This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX Q4KS %

24 16.186

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBRI, QUI SUPERSUNT, OMNES,

CUM NOTIS INTEGRIS

LAUR. VALLAE, M. ANT. SABELLICI, BEATI RHENANI, SIGISM. GELENII, HENR. LORITI GLAREANI, CAR. SIGONII, FULVII URSINI, FRANC. SANCTII, J. FR. GRONOVII, TAN. FABRI, HENR. VALESII, JAC. PERIZONII, JAC. GRONOVII;

EXCERPTIS

PETR. MANNII, JUSTI LIPSII, FR. MODII, JANI GRUTERI;

NEC NON INEDITIS

JANI GEBHARDI, CAR. AND. DUKERI,

ET ALIORUM:

CURANTE

ARN. DRAKENBORCH,

QUI ET SUAS ADNOTATIONES ADJECIT.

ACCEDUNT

SUPPLEMENTA DEPERDITORUM T. LIVII LIBRORUM

A JO. FREINSHEMIO CONCINNATA.

EDITIO NOVA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

TOMUS DECIMUS TERTIUS.

STUTGARDIAE,

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS WUERTEMBERGICAE.

LIPSIAE IN COMMISSIS APUD C. H. F. HARTMANNUM,

MDCCCXXV.

S 216.186

COLLEGE
OCT 16 1903
LIBRARY

From the estate
of
George P. Bangs

4
47
49-3
19-3

SUPPLEMENTA

LIVIANA

A LIBRO SEPTUAGESIMO QUINTO

AD CENTESIMUM OCTAVUM

AUCTORE

JOANNE FREINSHEMIO.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM AB URBE CONDITA LIBRI.

EPITOME LIBRI LXXV.

A. Postumius Albinus legatus, quum classi praeesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sulla legatus Samnites

A. Postumius legatus in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus, cum classi praeesset] In his verbis est insigne mendum. Inculcata enim multa verba sunt ex Epitome sequentis libri, eaque a Gabinio ad Postumium translata: quae autem ad Postumium pertinent, ea Sulpicio sine causa tributa sunt. Sic igitur lege ex veterum librorum fide: *A. Postumius Albinus legatus, cum classi praeesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est.* Reliqua autem dele. Haec ipsa A. Postumio evenisse, tradit etiam Orosius l. 5, [18.] *Postumius Albinus vir consularis, tunc L. Sullae legatus, intolerabili superbia omnium in se militum odia cum suscitasset, lapidibus occisus est.* et Valerius lib. 5. cap. 8. *A. Albinus, nobilitate, honorum omnium consummatione civis eximius, propter falsas et inanes suspiciones in castris ab exercitu lapidibus obrutus est.* SIG. Hunc στρατηγικόν, *praetorium*, vocat Plutarch. in Sulla. *consularem* Oros. 5, 18. DUK. *Aurelius Postumius* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad Epit. praeced. Sequentia ita exhibet Leid. *legatus in obsidione castrorum hostium cecidit. Sulpicius cum classi.* Voss. *legatus in obsidione castrorum hostium cecidit. Sulpicius legatus cum classi.* neque aliter Boend. et ed. Camp. nisi quod Boend. *recidit* legat, pro *cecidit.* At septem vocabula, quae codd. vett. fide ejecit Sigonius, desunt etiam in Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Id verum est, A. Postumium Albinum fuisse, qui a militibus suis interfectus periit: id enim praeter Valer. Max. et Oros. a Sigonio laudatos narrat etiam Plut. in Sull. 455. *Τῶν στρατιωτῶν ἀυτὸν στρατηγικὸν ἄνδρα, πρεσβευτὴν, Ἄλβινον ὄνομα, ξύλοις καὶ λίθοις διαχρησαμένων παρῆλθε.* Eum vero classi praefuisse, alibi non invenio. Quin etiam omnes, qui caedem ejus referunt, militum, a quibus caesus est, nullus vero sociorum navalium meminit. Praeterea *in castris* lapidibus obrutum fuisse Valer. Max. narrat: quid autem negotii illi, qui classi praeest, cum castris? Denique, Romanos in bello sociali classibus usos esse, nullus tradit. Hae rationes eo ducere videntur, ut locum ita constituamus: *A. Postumius legatus in obsidione castrorum hostilium, infamis crimine pro-*

proelio vicit, et bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompejus Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius consul, rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. ea res hostibus victoriam ejus proelii dedit. Cosconius et Luccejus Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sulla Hirpinos domuit, Samnites multis proeliis fudit, aliquot populos recepit: quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

ditionis, ab exercitu suo interfectus est. Verum verba illa invitis codd. delere non audeo; praesertim quum illa, quae Sigonius expunxit, perperam ex sequentis lib. Epitome repetita esse verisimile sit. Ultima vox *est* ante *interfectus* deest in Norv. et edd. antt. Eam Sigonius addidit, et servant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp.

Sulla legatus Samnites proelio vicit] *Samnitem* Boend. quod ferri posset, si plurium codd. testimonio firmaretur. V. ad 3, 2, 11. et 28, 44, 5. Eum, qui hic *legatus* vocatur, *consulem* vocavit Oros. 5, 18. At Sullam, antequam consul crearetur, plures victorias de Samnitibus reportasse refert Appian. 1. Civ. 381.

Dum castra eorum expugnat, cecidit] Vel legendum *obpugnat*. V. ad 21, 57, 6. vel *expugnat* eodem fere modo capiendum, quo illud interpretatur Gronov. ad Epit. 49. Tum *occidit* Leid. V. ad 36, 36, 6. Paullo ante *jussisque*, pro *fusisque*, Exc. Pithoei. In verbis seqq. *Et ea res victoria ejus proelii dedit* Boend.

Cosconius et Luccejus Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium] *Costonius* ed. Camp. *Constonius* Boend. *Coscenus* Voss. *Cesenius* Leid. *Censonius* Berg. Sed recte vulgatum servat Lov. 2. *Γάϊος Κοσκώνιος* vocatur apud App. Alex. 1. Civ. 381. Vide ad Epit. 56. Tum *Lucanus* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei. *Lucejus* Norv. et edd. ante Gronov. qui recte *Luccejus* reposuit. Recentiores tamen alterum *c* iterum expunxerunt. V. Victor. ad Cic. 5. ad Famil. 12. Deinde *Marium Ognentium* Voss. *Marium Equatium* Berg. *Marium Aegnatium* Norv. et priscae edd. *Marium Ignatium* Boend. et ed. Camp. *Μάριος Ἰγνάτιος* vocatur App. 1. Civ. 375. At Perizon. apud Cl. Duker. ad Flor. 3, 18, 6. pro eo, qui apud eumdem App. p. 381. *Τρεβάτιος* vocatur, *Ἐγνάτιος* scribendum conjicit. Mox *quamplurimaque eorum oppida in deditionem accepit* Voss. Vox *eorum* deest in Berg. et Lov. 2.

L. Sulla Hirpinos domuit] *Arpinos* Boend. scribarum lapsu; quos supra similiter erraſſe, vidimus ad 22, 13, 1. Mox *pluribus proeliis* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quisquam ante consulatum] Vet. lib. *quisquam alius ante*. SIG. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XL.

IN LOCUM LIBRI LXXV. T. LIVII.

I. Iisdem ferme diebus, quibus praetoris urbani fusus in foro suo sanguis est, etiam in castris, ne quid usquam castum sanctumve foret, praetorium virum, A. Postumium Albinum, quum legatus classi praeesset, exercitus, quem ducebat, interfecit. Intolerabili superbia militum in se odia suscitavisse traditur; sed, quo speciosior furentibus praetextus esset, crimine proditionis insimulatum saxis atque fustibus oppresserunt. U. c. 663. A. C. 89.

A. Postumius ab exercitu suo necatur.

II. Copias ejus quum L. Sulla, ipse quoque legatus L. Porcii consulis, accepisset, suppliciumque de nocentibus sumpturus putaretur, impunitum esse flagitium passus est. Id eo pertinuisse judicant, ut tanto beneficio obligatos promptiores haberet ad exsequenda, quae animo destinasset. Jam enim eo processerat cum Mario simultas, ut aut perdendum illum, aut sibi pereundum esse intelligeret: et, quia, senescente jam sociali bello, Mithridaticum adesse sentiebat, ad spem consulatus et provinciae obtinendae favorem exercitus aucupabatur. Id licet multi palam incusarent, et in tam atroci delicto impunitam esse facinorosorum audaciam quererentur; contempsit sermones hominum Sulla, ultro praedicans consilii sui utilitatem, *quod hoc pacto melioribus usurus esset militibus, dum fortibus factis eluere turpitudinem admissi niterentur.*

Id facinus impunitum patitur L. Sulla.

III. Neque vanum id ei augurium fuit. Gerebat tum in Campania bellum, Stabiisque receptis, Pompejos, haud amplius sex millibus passuum distantes, oppugnabat. Ad auxilium obsessorum L. Cluentius accurrerat, fiduciae spirituumque plenus adeo, ut intra

L. Sullae gesta contra L. Cluentium.

Cap. I. Plut. Sulla. Liv. Epit. Oros. 5. 18. Liv. Epit. Cap. II. Diod. Eclog. l. 37. Plut. Polyaen. Strat. l. 8. Oros. Cap. III. Vell. 2. 13. Appian. Civil. l. 1.

U. c. 663. A. C. 89. passus omnino quadringentos castra sua Sullanis opponeret. Sulla, quamquam magnam suorum partem pabulatum emiserat, contumelia stimulatus, protinus ad hostes movit signa: sed numero victus tum quidem in sua castra se recepit. Ceterum, ubi pabulatores reverterunt, adsumptis illis Cluentium denuo adortus, magna cum caede profligavit.

Sullae oratio ad milites.

IV. Cluentius, motis in mediterranea castris, quum ingentia ad eum Gallorum auxilia venissent, animo recepto, ad Pompejos iterum duxit, si pugnandi copia fieret, haud detrectaturus certamen. Ibi Sulla, quo paratiores ad proelium milites haberet, in concionem vocare jussis, ita coepit: *Non, ut, tamquam adversus novum hostem, quae fieri velim, admoneam, neque ut virtutem vestram verbis exstimulem, vobiscum agere constitui, milites. pariter enim et obsequium vestrum mihi, et animum praeteritis proeliis approbastis. sed, quia toties pulsus hostis denuo haec signa et hos vultus intueri sustinet, hoc tantum a nobis dedecus amoliri conantem ut adjuvetis, cohortandos existimavi.*

Indignum fert, hostem victum iterum tentare fortunam belli.

V. *Cur enim victoriam nostram in ullo pretio ponimus, si cladem suam non sensit hostis? aut quorsum tollimus animos, si ille nondum demisit? Prorsus extorquenda confessio est, ut victos se fateantur, quos repulimus. Ea nimirum res non ad novam tantum adquirendam laudem, sed etiam ad retinendam, quam paravimus, vehementer pertinet. Quamdiu in vicino castra Cluentius habebit, quis credet nos vicisse? quo auctore, aut mihi speratos honores, aut vobis digna labore vestro praemia senatus decernet? Fortuna partium utrarumque comparabitur, et tantumdem hostis, quantum Romanus, adversi prosperique rumoris auferet. Simili timoris ac audaciae vicissitudine uterque exercitus et fugisse hostem, et repetisse dicetur.*

Ita parem hostium et ipsorum laudem fore.

VI. *Hoc igitur de nobis senatus populusque Romanus nuncium, inter aliorum exercituum victorias et gratulationes, accipiet, ut ubivis locorum res Romana haud dubie superior, hic tantum ancipiti Marte dicatur dimicare? Qua enim re inferiores aliis sumus, ut patienter feramus post omnes collocari? Numerus, arma, copiae, lacerti, non aliis in castris meliora. Nam, ut de nobis ducibus nihil dicam, nisi post viginti ferme annos omnibus, Africanis, deinde Gallicis atque Cimbricis bellis, postremo in Cilicia et Cappadocia, sic esse cognitos, ut numquam operae nostrae consiliique aut rem-*

publicam, aut exercitum poenituerit: eosdem sane homines, eadem arma intueor, quibus persaepe hoc ipso bello hostium maximae copiae, et munitissima praesidia cesserunt. Non enim, quasi nihil sit a nobis gestarum, queror; aut aliud incuso, quam quod nondum ad id fastigium gloriae pervenimus, quod virtuti vestrae et felicitati nostrae debetur. U. c. 663. A. C. 89.

VII. *Tantum enim, nec diffiteor, Fortunae favorem omnia vatum haruspicumque responsa, et cujusque generis divinationes constanti praedictione spondent; ut, quae sunt hactenus a vobis gesta, minime quidem poenitenda illa aut contemnenda, magnitudine eorum, quae speramus, non vinci modo, sed etiam obscurari et obrui fatum sit. Idcirco, quoties imperia nostra accipitis, non hominis, sed Deae ductum vos sequi cogitate; ejusque Deae, cujus in arbitrio res humanas omnes esse fixas, prudentes simul fatuique uno ore pronunciant.* *Fortunam suam depraedicat.*

VIII. *Nec igitur me piget ad hujus beneficium maxime referre, quidquid a me fuerit praeclare optabiliterque gestum, ut ingratus adversus ita meritam sim, aut benevolentiam ejus in iracundiam mutem. Est enim et huic numini suarum injuriarum sensus, et facile fastidit eos, a quibus fastiditur.* *Ejus numinis vim extollit.*

IX. *M. Reguli casum quis ignorat, florentissimi, priusquam Fortunam contemneret, postea longe miserrimi ducis? Athenienses Timotheum Cononis filium habuerunt, qui laude bellicarum rerum non inferior, quam pater, ingenii praeterea et doctrinae magna ornamenta adjecerat. Sed ista omnia, postquam Fortunam offendit semel, minime profuerunt. Quum successisseut ei omnia mirabiliter, aemuli pinxerunt in tabernaculo sedentem, pendente supra caput Fortuna, quae civitates in rete dormientis compelleret. Id homo vanus quum tolerare nequivisset, et, aliqua forte re gesta, publice negasset, et ista laude Fortunam posse quidquam decerpere, ab eo die fuit infelicissimus.* *Exemplis Reguli et Timothei.*

X. *Mihi vero hoc temperamentum placet, ut vigilantiam, consilium, audaciam praestanda homini censeam, eventum lubentius referam ad Deos. ita demum necessum erit prospere cedere omnia, si neque nostro officio desumus, neque cum injuria potentioris indebitam gloriam adfectamus. Sed haec quidem aliquanto verbosius exsequutus sum, milites, quod non in praesentia tantum intelligere vos cupiebam, quid mihi pro-* *Officium faciundum: eventus referendus ad numen.*

Cap. IX. Cic. de Off. 1. 32. Aelian. 13. 43. Plut. Sull. c. 9.

U. c. 663. A. C. 89. *positi esset, sed in posterum quoque scire, qualem ducem, et quibus praesidiis fultum sequeremini.*

Severitatis et liberalitatis suae admonet milites.

XI. *Cetera jam vobis nota sunt, rebusque ipsis perspecta, neque mihi severitatem in noxios, nec erga fortiter facta liberalitatem defuisse. quamquam et hoc adscribo Fortunae, quod mihi sic animatos milites dedit, ut praemia creberrime, supplicia non saepe repraesentarem. Quamquam sane incusor a multis, quod aequo mollior etiam foedissimorum facinorum poenas a sontibus non exigam. Verum enimvero, milites, ita mecum inii rationem, dandum esse hominibus spatium, ut contractam, nescio quo furore, noxam poenitentia magis, quam poena, eluant: et, ubi forti adversus hostem opera tantum profuerint reipublicae, quantum crimine et exemplo nocuerunt, ipsi veniam, respublica tot cives incolumes habeat: sin vero sceleri addiderint ignaviam, ne ipsi quidem recusent, quin servili cum cruciatu necentur.*

Postumianis veniam aut supplicium proponit.

XII. *Haec vobis me dicere, quibus super A. Postumius Albinus praefuit, non ignoratis. Apud majores nostros, quam simili facinore sublatus ab exercitu M. Postumius Regillensis esset, jussu populi acriter exercita quaestio est. Nunc aliena judicia ne timueritis: vestra in manu est, qualis manere vos exitus debeat. ferro, non suffragiis, haec caussa decidetur. Victores virtus absolvet: ignavos, ut hostile ferrum pepercerit, legum vindicta consumet.* Quum ejusmodi oratione L. Sulla milites cohortatus esset, eamque conditionem, maxime qui poenas interfecti ducis timebant, cupide accepissent, promptos paratosque et ad omnia prolixe operam pollicentes in aciem eduxit.

Res levis, praecipua Sullanae victoriae caussa.

XIII. Eo tempore, ut maximi quique mortalium conatus levi subinde casu eluduntur, res per se haudquaquam magni momenti, praecipua tamen Sullanae victoriae caussa fuit, Romanorum insigni fiducia inflammatis animis, et hostium alacritate exstincta. Gallus quidam insigni proceritate, qui inter auxilia Cluentii merebat, quum ex diversa acie fortissimum quemque ad singulare certamen provocasset, ab exiguae staturae Mauro confectus, tantum pavoris popularibus suis injecit, ut vix primum telorum conjectum sustinerent.

Cap. XI. Oros. 5. 18. Cap. XII. Liv. 4. 50. et 51. Cap. XIII. Appian.

XIV. Gallorum fuga sociorum quoque commovit ordines, perterritosque et turbatos, tamquam imbelle pecudum agmen, trucidandos hosti praebuit. neque pugnantium fugientiumque minus triginta millia periisse referuntur. Ceteri cum duce Cluentio, nihil tutum arbitrantes, priusquam ad Nolam cursu pervenissent, castra ante ipsam urbem posuerunt. Sulla non amplius moratus, quam donec hostium castra expugnasset, sive deditis Pompejis, sive post tantam suorum cladem mature venturis in deditionem, protinus victorem exercitum ad persequendas rebellium reliquias in agrum Nolanum ducit. U. c. 663. A. C. 89. *Ingens clades Italicorum.*

XV. Eo loci quum castra communivisset, accidit, ut ante praetorium forte immolanti subito ex infima ara anguis erumperet. Felicissimum id prodigium esse C. Postumius haruspex interpretatus, hominem, Fortunae nihil non credere solitum, facile impulit, ut, nulla interposita mora, exercitum adversus hostem educeret. Atque sic evenit, quemadmodum in commentariis suis sibi saepe accidisse ipse prodidit, ut temere festinata expeditio prosperius caderet, quam si matura deliberatione cautoque consilio suscepta fuisset. *Anguis ex ara erumpit, immolante Sulla.*

XVI. Nam in tantam consternationem conjecit Italicos, ut, post pugnam parum constanter initam, refugientes ad urbem circum ipsos muros caederet: quia Nolani, ne simul irrumperet hostis, non amplius una porta ad recipiendos suos aperire audebant. Inter occisos ipse quoque dux Cluentius pugnando cecidit: et cum eo viginti militum millia desiderata sunt. Hic quoque florentissima Samnitium castra in potestatem victoris venerunt. Et, quod miraculo proximum est, in tam magnifica victoria ne unum quidem de suis militibus amisisse Sullam, memoriae proditur: ut id non sine caussa, quum omnium cognominum haberet potestatem, *Felicis* appellationem ceteris praetulisse dicas. *Alia Sullae victoria.*

XVII. Non igitur minor, quam pro re, laetitia et exsultatio in castris Romanis fuit. Postumiani milites, hostili sanguine civilem satis expiasse crediti, *L. Sulla corona obsidionali donatur.*

Cap. XIV. Liv. Epit. Oros. Cap. XV. Cic. de Divin. 1. 33. Val. Max. 1. 6. Plut. Sull. c. 10. Cap. XVI. Appian. Oros. Appian. Cic. Liv. Epit. Eutrop.

U. c. 663. A. C. 89.

venia, ceteri laudibus, omnes praemiis ampliſſimis donati, viciſſim et ipsi ducem raro, nec nisi paucis omnino conceſſo, honore adfecerunt. Certe, se ab exercitu ad Nolam obsidionali corona donatum, quum Italico bello legatus eſſet, et scripsit ipse in Commentariis Sulla, et in villa Tusculana, quae poſtea fuit Ciceronis, pinxit. Eam solebat e gramine viridi servatus exercitus dare, ubi virtute insigni ducis liberata ab inſtanti excidio caſtra eſſent. Igitur seriem rerum atque temporum examinanti ad Nolam accepta videtur, ad Pompejos merita.

Cn. Pompejus Veſtinos vincit.

XVIII. Interea temporis Cn. Pompejus consul, relictis ad obsidionem Asculanam idoneis copiis, in Veſtinos, vicinam Picentibus gentem, expeditionem fecit: eosque multo certamine ita domuit, ut palam inter se de deditione agitarent. Cui ferme tempori colloquium cum P. Vettio Catone, quod se tirone praesente habitum Cicero scribit, adsignari poteſt: ad quod quum frater consulis Sextus evocatus Roma veniſſet, eumque Cato saluta ſſet, *quem te appellem?* inquit. At ille, *voluntate hospitem, neceſſitate hoſtem.*

Cum P. Vettio colloquitur.

L. Porcius consul occiditur.

XIX. Dum prospere Pompejo locis plerisque expeditiones cedunt, alterius quoque consulis haud poenitenda geſta fuerant: neque poſtremus eo bello imperatorum Marsos aliquoties fuderant, multisque locis acrem ſtrenuumque ducem geſſerat. Sed in ipso cursu prosperitatis, spes amplas gloriamque illuſtrem cum ipsa vita posuit. Dum enim ad Fucinum lacum caſtra Marsorum oppugnat, et propemodum exploratam in manibus victoriam habet, accepto vulnere, mortuus proſternitur.

XX. Quum incertus caedis auctor eſſet, circa C. Marium C. F. suspicio haesit, quasi patris sui contumeliam vindicare proditorio facto ſtuduiſſet. L. enim Porcium ferunt, quum easdem haberet legiones, quae superiore anno sub C. Mario militaverant, succeſſu laetum, per jactantiam dixiſſe, *C. Marium non majora feciſſe.* Hanc ipsi vocem letalem fuiſſe putant, nihil nec a perfidia, nec a crudelitate Mariana abhorrente

Cap. XVII. Plin. 22. 6. Id. ibid. c. 4. Cap. XVIII. Appian. Liv. Epit. Cic. Philipp. 12. 11. Cap. XIX. Liv. Epit. Oros. Appian. Vell. 2. 16. Eutrop. Oros. Cap. XX. Liv. Epit.

sententia. Ceterum mors consulis adeo exterruit Romanos, ut non modo victos fere hostes omitterent, sed ipsi quoque vincerentur. U. c. 663. A. C. 89.

XXI. Felicius in Iapygia a C. Cosconio praetore gesta res est, qui, adjutore Q. Lucejo, (cujus filius Italici belli historiam non meliori, quam ceteri, fato scripsit) Samnites acie vicit: Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occidit: Salapiam, Cannas, alia oppida complura in deditionem accepit. *C. Cosconius Samnites vincit.*

XXII. Circa Canusium, quod obsidere aggressus fuerat, acriter cum Samnitibus dimicatum est, magna utrimque caede, donec prior Romanus exercitum Cannas reduxit. At Trebatius Samnitium ductor insequutus, quum inter duo castra medium Aufidi flumen esset, optionem detulit Cosconio, ut vel in suam ripam pugnandi caussa descenderet, cujus rei potestatem se ei, abducto, quantum satis esset, exercitu, facturum; vel eadem conditione transitum sibi concederet. *Trebatius Samnitium ductor.*

XXIII. Cosconius altera conditione accepta, ut suam intra ripam admitteret hostem; simul ille trajecerat, signa intulit. neque tantum pepulit Samnitem, sed trans flumen fuga evadere conatum ita cecidit, ut ad millia hominum quindecim occumberent: a ceteris et duce Trebatio perniciem, non ipsorum virtus, sed Canusina moenia depulerunt. Cosconius, vastato Larinati et Venusino agro, et, qui Piceno cognominis in Apulia est, Asculano, in Poediculorum fines tanto terrore incubuit, ut universam gentem biduo proximo in fidem acciperet. *Vincitur a Cosconio.*

XXIV. Eadem aestate L. Sulla, captis ad Nolam Samnitium castris, per Campaniae montes in Hirpinos movit, eumque populum, Aeculani urbis calamitate perdomitum, recepit. Aeculanenses, quum in eandem diem, qua Romanus ibi castra ponebat, Lucanorum auxilia exspectarent, tempus ad deliberandum poposcerant. Sulla, intellecta fraude, legatis longam orationem orsis, nihil opus esse otioso sermone apud occupatos praefatus, *unius horae spatium se dare* dixit. *Sulla Hirpinos recipit.*

Cap. XXI. Diod. Eclog. l. 37. Liv. Epit. Cic. ad Fam. 5. ep. 12. Cap. XXII. Liv. Epit. Appian. Cap. XXIV. Sisenna, apud Non. voce *Protinus*. Appian.

U. c. 663. A. C. 98.

Aeculanum diripit.

XXV. Interea suis dat negotium, ut magnam vim sarmentorum colligant, fascibusque effectis, admoveant ad murum; quod is multa materia exstructus fuerat. Quum inter haec hora praeteriisset, ignem supposuit fascibus, territosque obsessos ad deditionem adegit. Nec eo minus diripi oppidum jussit, sive quia dilata in extremam necessitatem deditio fuerat; sive captum potius, quam deditum, videri maluit, ut milites praeda delinitos, benevolos sibi addictosque efficeret.

XXVI. Quod si forte ideo fuit in hos severior, ut ceteros metu parium malorum ad alia consilia cogeret, non fuit opinione falsus. Nam Aeculanensium calamitas ceteris Hirpini nominis urbibus documento fuit, ut, celeriter missis legatis, imperata facturas nunciarent. Sed metus erat, ne duriores a victore conditiones dicerentur. Idcirco, ad mitigandam ejus iram qui missi fuerant, ita fere verba fecerunt.

Hirpinorum legatorum oratio.

Moderationem Sullae depraedicant.

XXVII. *Oratores pro gente nostra venimus, L. Corneli, ut, quando eam stultitiae suae poenitet, quomodo tibi populoque Romano satisfieri posset, disceremus. Est quidem nonnulla nobis sollicitudo, ne forrasse, recentium irarum memor, vindictam exercere in obnoxios, quam clementiam, malis: sed plus tua nos moderatio consolatur: quam quia semper amavisti, quoniam erat tibi ingenita, nunc profecto non abjicies, postquam haud inferiorem inde, quam ex tot victoriis, exstitisse tibi gloriam comperisti. Nemo eorum, quos mala mens aut aliorum persuasio eo adegit temeritatis, ut hostes esse vestri, quam socii, praeoptarent, vim tuam sensit, nisi quamdiu rectis monitis se praebuit intractabilem.*

Qui et Postumianis militibus pepercerit.

XXVIII. *Nec adversus hos tantummodo tua mansuetudo enituit: sed et Romanos milites, quum multorum opinione facinus inexpiabile fecissent, pro summa tua humanitate et prudentia ita conservasti, ut tibi nunc gratis agat respublica, seque melius hostium sanguine, quam suppliciis civium, vindicatam esse fateatur.*

Quamquam graviore culpa onerati.

XXIX. *Quid ni ad nostram quoque spem trahamus tam nobile exemplum? Neque plus, quam illi, peccavimus; neque minor postea ad ea, quae volueris, nostri usus erit. Illi nominare neminem possunt, in quem initium aut partem culpae*

Cap. XXVI. Auctor de viris illustr. in Sulla. Liv. Epit. Appian.

transferant: sponte exarserunt. Nos contra sententiam seniorum, consensus tot gentium, et potentiora nostris vicinorum arma, et juventutis atque vulgi nusquam satis coërcita temeritas, bello Romano implicuit. Nec tamen haec ideo dicimus, quasi caussam nostram defendere conaremur: (satis indignationem vestram Hirpini meruimus) sed ut appareret ratio, cur in minore delicto non impudenter a clementissimo imperatore parem speremus veniam, quam in graviore concessam aliis vidimus. U. c. 663. A. C. 89.

XXX. *Sed senatus populique Romani non abhorrentem a sua lenitate sententiam nuper perspeximus, quum nonnullis, qui arma contra tulerant, non veniam modo, sed etiam civitatem, dedit. Atque hoc jam antiquitus alterum post victricia arma firmamentum urbis Romanae fuit, quod Italas gentes maxima semper et obvia non dicam mansuetudine, sed prorsus pietate, excepit, communis omnium parens. Ne ad alienа exempla abeamus, domesticis instructi, majores nostri non minus clementiam, quam virtutem, Romanam experti sunt: semel quum inter Samnites adhuc censeremur, quo tempore P. Cornelius Rufinus, avi tui proavus, pristinum illis foedus reddidit; iterum Punico bello secundo, quando societatem Hannibalis sequutus Q. Fulvius consul recepit, verbis tantummodo castigans, quamquam satis diu et praefracte fuissent in partibus, nec, nisi ad Bruttios et extremum Italiae angulum Hannibale compulso, poenitentiam approbassent.* *Laudant et senatus Romani lenitatem.*

XXXI. *Placuit Diis, ista lenitas, dederuntque, ut complures alii populi ad societatem populi Romani reverterentur, per longa deinceps annorum spatia durantibus usque ad infelix hoc bellum obsequiis. Eumdem exitum, ut speramus, nunc quoque dabunt, eoque optabiliorem, quod et redibunt in fidem vestram, qui defecerunt; et perpetuam vobiscum amicitiam colent, suo malo iterum edocti, non aliter Italiae salutem atque dignitatem salvam esse posse, nisi Romam imperare patiatur, secundo post principem terrarum urbem loco conventa.* *Diis etiam gratam.*

XXXII. *Satis constat, nonnullos populos de pace petenda deliberare, nec alia re magis retineri, quam timore, ne duriora imperentur, quam ferre queant. de his profecto dubium esse non potest, quin, simul nobis veniam datam cognoverint, protinus in partes vestras sint transituri. Hos, ut fit, alii aliique sequentur, et, quam Italiam majores vestri* *Populo Romano utilem.*

Cap. XXX. Supra 11. 20. Liv. 27. 15.

U. c. 663. A. C. 89. *per multas aetates perdomare vix potuerunt, eam universam paucis mensibus recipietis.*

Plures in gente sua Romanarum partium fuisse adseverant.

XXXIII. *Ceterum, quia neque tibi consilio nostro opus est, et nos deprecatum magis commissa, quam purgatum, venimus; omissis, quae in illam partem dicerentur, supplices pronique te rogamus, et per communes Deos, perque hanc parentem utrorumque terram obtestamur, ut unius anni crimen tot aliorum perpetuis meritis, et paucorum defectionem tot millium constanti fidei obsequioque dones. Rari apud nos sponte, reliqua multitudo coacta deceptave ferrum adversus vos strinxerunt: et pro his ausis vastatus ager, caesae cohortes nostrae, maxima urbium capta direptaque, saziare victoris iram potuerunt, ut, occisis captisve auctoribus et concitoribus belli, reliquorum necessitati aut errori placatus ac lubens ignosceres. Hoc et nostris precibus te concessurum esse sperabant, qui propterea nos legarunt, quia propter constantiam in Romanis partibus ab adversa factione multa perpessos apud vos gratiosos fore arbitrabantur: et, si nostri non habeatur ratio, ad alios neque paucos neque contemnendos deprecatores respice.*

Minatium, et multa millia pro iis militare.

XXXIV. *Respice Minacium hunc Magium, qui avitam in populum Romanum fidem, dubiis temporibus, singulari studio ac virtute retulit. Satis sit illi, caesas civium strues et fumantia patriae tecta vidisse: ne universum suae gentis excidium usurpare oculis, festinare manu cogatur. Idem orare puta tot Hirpinorum militum in Romanis castris millia, quorum fortem fidelemque operam tuo quoque testimonio haud semel ornavisti.*

Hos respici orant, et alios innocentes.

XXXV. *Hos profecto, quum alienissimi semper ab omni crimine fuerint, aliena culpa perire durum esset. Perisse autem putabunt, ubi civitatem suam omnibus belli cladibus pervastari, et, quod necessum est tali tempore, eodem exitio nocentes innocentes, ut quisque occurrerit, involvi videbunt. Neque enim quisquam est vere Italus, tam ab omni pietate remotus, ut inter hanc patriae calamitatem salutem suam magni aestimet. Sed et liberos parvos, matronasque et virgines occurrere fac animo tuo: quorum omnium haudquaquam ambigua est innocentia. Quum vero cogitabis viduarum atque pupillorum lacrumas, quae viros suos, qui parentes sanguinem vitamque pro imperio populi Romani allegabunt profudisse, jam ipse profecto pro humanitate tua judicabis, potius in gratiam*

Cap. XXXIV. Vell. 2. 16.

tiam tot insontium noxios dimitti, quam horum crimine adfligi meliori fato dignos, oportere. U. c. 663. A. C. 89.

XXXVI. Erat tum adhuc alienus ab omni crudelitate Sulla, aut saltem, ut esse videretur, studebat. Idcirco non modo benigne respondit legatis; sed etiam paullo post excessit Hirpinorum finibus, in Samnium tendens, ut ipsam belli socialis arcem exscinderet. Sed Papius Mutilus, Samnitium ductor, in ipsis finibus cum valida manu excubans, aditus obsidebat. *Sulla benigne respondet.*

XXXVII. Igitur Sulla, quum se in eas angustias demisisset, ut circumveniri facile posset; colloquio petito, de conditionibus pacis agitare cum hoste coepit varie rem trahens, donec occasionem evadendi nancisceretur. Ubi satis remissam Samnitium attentionem vidit, et propter inducias omnia negligentius administrari; silentio noctis profectus est, relicto in castris buccinatore, ut, tamquam mutandis vigiliis, classicum per solita intervalla caneret. ea res fidem manentis eodem loco exercitus incauto hosti fecit. Quarta vigilia commissa, buccinator, agminis suorum sequutus vestigia, vacua hostibus castra reliquit: militesque ad unum omnes incolumes, cum impedimentis tormentisque, in tuta pervenerunt. Inde L. Sulla, longo circumitu usus, qua minime venturus putabatur, irrupit: Samnitesque improviso discrimine ita terruit, ut, occisis plurimis, ceteros in fugam conjiceret. Dux hostium Papius, prosequentibus suorum paucis, Aeserniam saucius pervenit. Sulla, captis Samnitium castris, ad Bovianum perrexit. *Sullae strategema ad evadendum ex locis iniquis.* *Ejusdem victoria de Samnitibus.*

XXXVIII. Praecipuae claritudinis illa tempestate Bovianum erat, tribusque arcibus et communi gentis concilio superbiebat. Sulla, divisis copiis, quum ipse ad urbem signa admovens Bovianenses in se convertisset; alios longo flexu circummissos, quam primum possent arcium, expugnare jubet: futurum ratus, quod accidit, ut, eam in partem, unde initio se ostendisset, concurrentibus oppidanis, segnior de remotioribus cura esset. Ubi captam arcem ex fumo, sic enim convenerat, cognovit, ipse quoque tota mole obpugnare urbem coepit. Tribus omnino horis *Bovianum vi capitur.*

Cap. XXXVI. Appian. Cap. XXXVII. Frontin. I. 5. Appian. Liv. Epit. Appian.

U. c. 663. A. C. 89. fortiter ab obsessis repugnatum est. inde quum, et a capta parte urbis decurrente Romano, anceps metus circumsisteret, profligatis defensoribus, Sulla Boviano per vim potitus est.

XXXIX. Deinde, late circumlato belli terrore, quum aliquot populos recepisset, appetente hieme ad petitionem consulatus Romam profectus est: certa quidem spe consequendi honoris, quum tot tantasque res, quantas raro quisquam alius ante consulatum, confecisset; eamque sibi fortitudinis prudentiaeque conciliasset existimationem, ut apud cives magnus dux, maximus apud socios, apud hostes etiam fortunatissimus haberetur. Igitur, quum togam candidam sumpsisset, comitiis consularibus, pene omnium civium suffragiis, anno aetatis suae undequinquagesimo designatus est.

C. Caesar consulatum contra leges petit.

XL. Ea comitia certamen haud tralatitium habuerunt, C. Julio Caesare consulatum contra leges petente. Sed, quoniam ad ea tempora accessum est, quibus frequens mentio facienda Caesarum, et alias, et propter eum Caesarem, qui postea dictator fuit, errorem parere legentibus posset; simul ut illius aevi domesticae discordiae penitius intelligantur, non abhorrere a praesenti instituto judicavi, si de hac familia, et praecipue iis hominibus, qui tum maxime floruerunt, pauca, nec injucunda scitu, proderem.

Familia Caesarum exponitur.

XLI. Igitur Julii, cujus gentis familia Caesarum fuit, antiquissimae originis fuerunt: quum genus ad Iulum referrent, Aeneae filium, quem Aeneam Anchise et Venere genitum vetus fabula praedicabat. Qui primus Juliorum hoc cognomine discriminavit gentem, quum caeso matris utero prodisset in lucem, ex eo casu appellationem traxisse non absurde creditur. Eum ante tempora Hannibalici belli vixisse oportuit, ex eo enim Caesarum in historiis mentio frequentatur. Sed primus omnium Sex. Julius Sex. F. Sex. N. Caesar consul fuit, L. Oreste collega, ad annum urbis conditae quingentesimum nonagesimum sextum. Nepos hujus esse potuit Sex. Caesar C. F. qui cum L.

Cap. XXXIX. Liv. Epit. Diod. apud Vales. Plut. Sull. c. 5. Vellejus, II. 17. Cap. XL. Cic. de Har. Resp. c. 20. Cap. XLI. Sueton. Caes. c. 6. Plin. VII. 9.

Philippo gessit consulatum, quum bellum sociale inciperet: potuit et L. Julius Caesar L. F. Sex. N. qui sequenti anno consul res eodem illo bello gessit, et mox censuram adeptus est. Sed, ut illa certo adfirmari non possunt, ita hoc minime controvertitur, L. Caesaris fratrem hunc, de quo dicere coepimus, C. Caesarem fuisse. U. c. 663. A. C. 89.

XLII. Igitur C. ille Caesar claritudine generis et fratrum, (nam matre Popillia natus erat, quae antea Q. Lutatium Catulum pepererat, Cimbrica victoria celebrem) praeterea ingenii felicitate elatus, ad summos honores magnis animis contendebat. nam inter primos sui temporis oratores numerabatur, et nativo quodam facetiarum lepore omnes superabat. Is ante biennium, Sex. Julio, L. Philippo consulibus, in curuli aedilitate quotidianis fere concionibus, de republica accurate habitis, magnam et gratiam vulgo, et auctoritatem quaesiverat. His ille fretus, quum aedilitius esset, omissa praetura, consulatum ambire coeperat. *C. Caesaris Strabonis elogium.*

XLIII. Sed tribuni plebis, P. Sulpicius, quamquam familiaris Caesaris, et P. Antistius, extraordinariam petitionem refutabant. Iisdem C. Marius se aggregaverat. nam, ex disciplina illorum temporum, contentiones in republica vi ferme et armis dirimebantur. Idcirco, divisis vulgi studiis, magnae ex hac caussa seditiones exstiterunt. *Jus populi* Caesar extollebat, et *pro eo senatum judicasse, quum T. Quintium Flamininum M. Fulvius, M. Curius tribuni plebis rediter consulatum, transcensis mediis honoribus, petere non paterentur. Neque poenituisse aut judicii sui Patres, aut suffragiorum populum, quum paucis annis opulentissimum Macedoniae regem, fortis, si quis unquam, et felix imperator, maximo Romani juris incremento superasset. Neque tamen aut aetate parem sibi Quintium, aut caussa fuisse: se aedilitate functum olim, illum ex quaestura petisse consulatum.* *Propter eum seditiones.*

Cap. XLI. Cic. de Or. III. 3. Cap. XLII. Cic. de Or. II. 11. 3. 7. 23. et 54. Cic. Tusc. Quaest. V. 19. Cic. Bruto, c. 89. Cap. XLIII. Ascon. in Scaur. Cic. Bruto, c. 63. et de Har. Resp. c. 20. Diod. Eclog. l. XXXVII. Ascon. Plut. Flamin. c. 1. Liv. XXXII. 7.

U. c. 663.
A. C. 89.

Exempla veterum adducit pro sua caussa.

XLIV. *Quin et nonnullos, priusquam magistratum ullum curulem gessissent, consules factos. Ioa P. Sulpicium Galbam, quum in Italia Hannibal esset, ita M. Valerium Corvum, quum Gallicis tumultibus arderent omnia, summis honoribus admotos; hunc quidem admodum adolescentem: adeo, nihil in candidatis praeter virtutem spectari, populo Romano semper placuisse. Idcirco postea quoque duos Scipiones, alterum magnis quidem rebus, sed sine magistratu, gestis; alterum non aedilitium, sed candidatum aedilitatis, ad idem fastigium evectos.*

Se illorum imitatorem profitetur.

XLV. *Magna se quidem adferre exempla, sed eorum, qui tum demum explicare virtutem animi potuerint, postquam campum ipsis gloriae consulare nomen imperiumque aperuissent. Sibi quoque licere de suis rebus sperare ampliter: laudique potius, quam vitio, vertendum, si maximorum virorum imitatori esse cupiat. Esse sibi nobilitatem nulli gentium, quas nominasset, imparem: neque recusare, quin cum quolibet istorum, sed nondum consule, conferatur. Acres populo Romano esse oculos, acutas aures: quomodo domi se quisque, quomodo militiae gesserit, diligentiam ejus non fallere. Se quaesturam et aedilitatem sic gessisse, ut satis magna speret dedisse documenta industriae, vigilantiae, humanitatis. nec in bello segnem aut ingloriam operam navasse imperatoribus, et saepe numero donatum ab his laudatumque virtutis caussa esse. Hoc sibi non pudendum ad summos honores iter videri, etiam praeturam declinet. quam minime quidem a se sperni: sed neque praeturae deesse candidatos idoneos; et in praesentia bum esse rerum statum, ut se consulem, quam praetorem, multis modis utiliorem reipublicae futurum confidat. Fortasse Dei immortales hoc fratribus Juliis servavisse decus, ut alterius victoria sagum toga mutaretur, per alterum plane exstinguretur sociale bellum.*

Mores civitatis esse mutabiles.

XLVI. *Suos adversarios nihil adferre, quo minus jure petat consulatum, jure obtineat. tantummodo mores atque institutum civitatis ingerere: tamquam sit in eo genere perpetuum quidquam, aut esse possit. Ab isto more saepe recessum, multis exemplis doceri posse, si actum placeret agi. neque causam esse, cur non hodie populo Romano liceat, quod umquam licuisset. Nuper in uno homine continuatos per quinquennium consulatus satis ostendisse, nihil in his rebus tam fixum immutumque haberi, ut mutari ex caussa nequeat.*

Cap. XLIV. Liv. 25. 41. 7. 26. Liv. 28. 38. Supra, L.
Cap. XLV. Cic. Tusc. Quaest. V. 19.

XLVII. *Concessum cuilibet esse, ut de se quantumvis magnifice sentiat: concessum et adversariis, ut, si velint, secus opinentur. sed in beneficio populi summum arbitrium relinquendum eidem populo esse. hunc optime judicaturum, quo loco C. Caesarem esse oporteat.* U. c. 663. A. C. 89.

XLVIII. Contra haec tribuni *legum omnibus argumentis validiorem auctoritatem* allegabant. *Populi certe haudquaquam ambiguum jus esse, nec illud patrono C. Caesare indigere, aut quoquam alio, tribunis salvis. Sed nullis aliis in caussis aeque manifestam esse populi sententiam, quam in legibus ferendis, quoties consensu jubeantur: tum enim ad maturitatem judicii accedere concordiam voluntatis. Quibus igitur vere sit propositum, auctoritatem populi tueri, iis ante omnia laborandum, ut legum sarta tectaque sit veneratio. Esse autem leges, quae magistratus ordine capi gerique jubeant, neque liberum cuique sinant, protinus ab infimis ad summos transilire. Has aut servandas omnibus, aut abrogandas in universum esse; aut profecto solvendum legibus, qui contra has magistratum concupiscat. extra haec nihil esse, quod fieri citra juris et legum omnium abolitionem queat.* *Contraria oratio.* *Leges servandas esse.*

XLIX. *Sane pauca exempla adduci posse, in quibus aut ob caussam exceperit aliquos populus, aut per imprudentiam adfectumve lapsus conniverit. sed infinito esse plura servatarum legum; et, quoties tale aliquid tentatum fuerit, minime quieta comitia fuisse. Numquam igitur defuisse, praesertim ex collegio tribunitio, qui immoderata cupientibus resisterent. Quod si quatuor aut quinque consulatus extra ordinem datos suum in favorem trahere Caesar velit; quanto pluris aestimandum, quod in centenis aliquot tribuendis populus ne latum quidem unguem a more et lege recesserit?* *Exempla pauca non valere contra multis modis plura.*

L. *Non se contemnere Caesarem, honoribusque omnibus, quos ei capere per leges liceat, dignum arbitrari: sed non existimare, tantam in eo virtutis excellentiam conspici, ut propter eum spernendae leges sint, et, quod negatum sit omnibus, uni tribuendum. Satis mature consulem eum futurum, ubi hunc honorem habuerit populo, ut contra ejus voluntatem legibus declaratam petitioni injustae desinat insistere. Si semel hoc iter aperiatur hominibus, omnes protinus ad summos honores provolaturos, priusquam populo Romano specimen ullum animi sui consiliique gerundis inferioribus praebuissent. Consulibus summam rerum permitti, id adeo factum iri temere, ii summus populi Romani magistratus non amplius culmen honorum et perspectae virtutis praemium sit, sed gerendae reipublicae tirocinium fiat.* *Speciem animi consiliique sui praebent homines in magistratibus inferioribus.*

U. c. 663.
A. C. 98.

C. Caesari multos esse pares, et idem petituros.

LI. *Sane Caesari adesse nobilitatem, facundiam, industriam. sed multos esse in urbe futurosque pares: plures etiam, quibus si non meritum idem, tamen eadem cupiditas insit. qui et ipsi tamquam debitum exacturi sint, quod cuiquam fuerit tributum, a quo se non existiment notabiliter superari. Quem vero C. Caesari concessurum hanc virtutis dignitatisque palmam, quum eam C. Caesar Valeriis, et Scipionibus, et sexies consuli C. Mario ambiguam facere contendat? Numquam defutura certamina, si cujuslibet cupiditati aperiatur septus legibus locus. Et has non aliam ob caussam latas, quam ut contentiones amputentur: ipsumque populum, licet plane liberrimum sui juris arbitrum, tamen sibi legum hos concellos circumdedisse, ut in magnis negotiis, et quae valde ad rempublicam pertinent, non quidem ademptam, sed tamen a semetipso constrictam voluntatem esse, neque temere solvendam, quae alligata consulto sit, intelligat.*

Ex ea contentione belli civilis origo.

LII. Diu haec utrimque multis concionibus agitata quum essent, bonisque omnibus caussa C. Caesaris displiceret, simul adversarii ejus vim intentarent, victus aut territus Caesar petitione abstinuit. L. Cornelius Sulla, ut supra indicavimus, et cum eo Q. Pompejus Q. F. A. N. Rufus designati sunt. Nec tamen ideo exstinctum illud contentionis civilis incendium est, quin postea in bellum apertum erumperet. Quamquam enim belli civilis faces Marius et Sulla indubitanter fuerunt: tamen ab illa quoque contentione profecti fomites magis excitarunt, aluerunteque conceptas aliunde flammas, magna P. Sulpicii culpa, qui a bonis initiis et optima caussa, nimia contentione, et popularis favoris aura, ad ferrum et arma provectus est.

Cap. LII. Ascon. in Scaur. Cic. de Har. Resp. c. 20.

EPITOME

LIBRI SEPTUAGESIMI SEXTI.

A. Gabinius legatus, rebus adversus Lucanos prospere gestis, et plurimis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, totamque eam regionem recepit. Cn. Pompejus proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque, a L. Murena,

A. Gabinius legatus, rebus adversum Lucanos prospere gestis] Aliter Florus 3, 18, 13. *Gabinius Marsos* discutit, *Carbo Lucanos*. Orosius 5, 18. in eo cum Epitome consentit, quod eum in expugnatione hostilium castrorum interfectum esse scribit: sed nomen hostium non addit, et *C. Gabinium* vocat. DUK. In praenomine variant typis descripti. *P. Gabinius* praefert ed. Rom. princeps, teste Hearnio. *A. Gabinius* Rom. anni 1472. aliae *C. Gabinius*. aliae *C. Gabinius*. aliae praenomen omittunt. Cauffam erroris vide ad Epit. 62. Postea recte restitutum est *A. Gabinius*, cujus vestigia sunt in plerisque Mstis. Nam *Aurelius Gabinus* legunt Boend. et edd. Camp. *Aurelius Gabinius* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Librarios autem saepissime *Aurelius* pro *Aulus* dedisse, vidimus ad Epit. 74. Est autem illud praenomen genti Gabiniae usitatissimum, quam *Caji* praenomen usurpasse, alibi non inveni, nisi in loco laud. Orosii; ubi id ab uno Msto abesse Fabric. testatur. Tum *adversus Lucanos* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et edd. Camp. V. ad Epit. 47.

Et pluribus oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit] *multis oppidis*, omissa etiam copula, Exc. Pithoei, Norv. et edd. pleraeque. *et plurimis oppidis* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. *et pluribus oppidis* Gruterus substituit; quod tamen in nullo libro, vel scripto, vel edito antiquiore, obvium fuit. Dein *castrorum hostium* Voss. Lov. 2. et Boend. Ita aliquoties peccarunt librarii. V. ad 29, 35, 5. 41, 26, 4. ad Epit. praec. ad Epit. 110. et alibi.

Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, universamque eam regionem recepit] Omnia haec verba desunt in Leid. *Marutinos* legit Berg. *Marotinos* Boend. *Marruncinos* Lov. 2. Oros. 5, 18. *Marrucini Vestinique*, *Sul-*

et Caecilio Pinna legatis aliquot proeliis fracti, pacem petierunt. Asculum a Cn. Pompejo captum est, caesis et a Mam. Aemilio legato Italicis. Silo Pompaedius, dux Marsorum, auctor hujus rei, in proelio cecidit. Ariobarzanes Cappadociae, Nicomedes Bithyniae regno a Mithridate Ponti rege pulsi

picio legato Pompeji persequente, vastati sunt. V. etiam Freculph. part. 2. Chron. l. 6, 12. Tum *cecidit* omittunt Boend. et ed. Camp. ut tota oratio pendeat ex verbo *recepit*. Dein *totamque eam regionem* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. V. ad Epit. 52. Mox *recepit*, pro *accepit*, Boend. Quum autem Pompejus Vestinos jam supra Epit. praec. in deditionem accepisse dicatur, illud *recepit* cum emphasi capi posset, pro iterum accepit; verum id verbum modo praecessit. Tota periodus *Cn. Pompejus proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit* deest in Berg.

A L. Murena et Caecilio Pinna legatis] Quis iste *Pinna*? Numquid *Caecilio Pio*? Vellejus lib. 2, [15.] *Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello Cn. Pompejus, Cn. Pompeji Magni pater, C. Marius, de quo praediximus, L. Sulla anno ante praetura functus, Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat.* Loquitur autem de bello Marsico. J. FR. GRON. Conjectura confirmari potest ex Appiano et Plutarcho. Nam ille 1. Civ. 381. Caecilium Metellum Iapygas proelio vicisse, ac deinde pag. 391. eumdem post profectionem Sullae in Graeciam reliquias belli socialis persecutum fuisse scribit. Eum autem Metellum Pium fuisse, e Plutarchi vita Marii apparet. DUK. Ipsi etiam Appiano 1. B. civ. pag. 308. memoratur *Μέτελλος Καικίλιος ὁ Εὐσεβής, ἐκ πολλοῦ ῥρημένος ἐς τὰ λοιπὰ τοῦ συμμαχικοῦ πολέμου. Caecilio Pio* jam editio Sigonii secunda et tertia praeferunt. V. etiam Supplem. Freinsh. hoc lib. cap. 2. In vulgatum tamen conspirant scripti, nisi quod vox *Pinna* desit in Boend. et ed. Camp. qui ambo etiam ignorant praepositionem *a*.

Fracti pacem petierunt] Voss. et Gudiani *petere pacem coeperunt*. J. FR. GRON. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. *petierunt pacem* Boend. et ed. Camp.

Caesis a Mam. Aemilio legatis Italicis] Veteres lib. *caesis et a Mamerco Aemilio legato Italicis*. SIG. Illud *et a* Sigonio additum agnoscunt Leid. Lov. 2. et Exc. Pithoei. *a Mamerco et Aemilio legatis* ed. Camp. *legatis* operarum errore ed. Bas. anni 1539. quod omnes usque ad Sigonium male servarunt.

Silo Popedius dux Marsorum] Diodoro vocatur *Πομπαίδιος*, Appiano *Πομπάδιος*, sed mendose. Plutarchus in Mario et in Apophth. hujus viri nomen vitiose continet. DELR. *Silo Propelio* Boend. *Silo Poppelius* Voss. *Silo Pompedius* Leid. quomodo etiam, vel *Pompaedius* scribendum censet Ger.

sunt. Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

Vossius ad Vell. Pat. 2, 16. Varie hoc nomen in scriptis et editis exaratur. V. Viros doctos ad Vell. l. laud. ad Flori 2, 18. Val. Max. 3, 1, 2. ad Obseq. de Prodig. cap. 116. et quos laudarunt. Mox *ejus rei* Leid Voff. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *hujus belli* reponendum conjicit Cluver. Ital. Ant. 2, 11. 732. Praeterea praepositio *in* non adparet in Exc. Pithoei. Eadem etiam exsulat a nonnullis edd.

Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam continet] Vet. lib. *incursiones in Macedoniam populationesque continet*. SIG. *incursionem* Voss. Tum *in Macedonia* idem Voss. cum Berg. L. 2. et Boend. Vocem autem *populationesque* a Sigonio additam servant quatuor memorati codd. et Leid. atque ed. Camp. Ea recepta, habemus eadem verba, quae obcurrerunt Epit. 74.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLI.

IN LOCUM LIBRI LXXVI. T. LIVII.

U. c. 663. A. C. 89.

A. Gabinius a Lucanis occiditur.

I. In Lucanis interea clades accepta est, legato amisso A. Gabinio; qui multa iisdem in regionibus, multa in Marsis strenue feliciterque gesserat, et plurima oppida pugnando ceperat. Sed ille, dum fusis aliquando Lucanis victoriam urget, in oppugnatione castrorum hostilium interfectus est. Ex diverso legatus Cn. Pompeji consulis Ser. Sulpicius Marrucinos cecidit, totamque eam civitatem recepit. Vestini quoque Pelignique, missis ad consulem oratoribus, in fidem accepti sunt. Sub id tempus quum C. Vettius Pelignus a cohortibus suis ad Cn. Pompejum duceretur, servus ejus, gladio militis, a quo trahebatur, educto, dominum interemit; statimque, postquam hero consuluisset, *tempus esse* proloquutus *sibi prospiciendi*, in sua viscera retorsit ensem.

Marsi pacem petunt.

II. Marsi quoque, a L. Murena et Caecilio Pinna legatis aliquot proeliis fracti, pacem petierunt. Quis ille Caecilius fuerit, et unde habuerit non alibi lectum cognomentum Pinnae, in tantis ejus aevi tenebris frustra requisivi. Nec absurdam conjecturam esse arbitror statuentium, non Pinnam istarum rerum auctorem, sed Pium, Q. Metelli Macedonici filium, fuisse; quem inter praecipuos ejus belli duces nominari constat.

Q. Pompaedius novum exercitum cogit.

III. Quum hic status rerum per Italiam esset, tantis calamitatibus et defectione sociorum anxii, quot quot arma retinebant, communi decreto Corfinium deserunt; Aeserniam in Samnitibus publici consili

---

Cap. I. Liv. Epit. Flor. 3. 18. Liv. Epit. Oros. 5. 18. Liv. Epit. Appian. Civil. l. 1. Macrob. Sat. 1. 11. Senec. de Benef. 3. 23. Cap. II. Liv. Epit. Vell. 2. 15. Cap. III. Dion. Eclog. l. 37.

sedem statuunt, creatisque praetoribus quinque, quos inter Pompaedius Silo fuit, huic propter summam opinionem virtutis imperium in omnes tradunt. Atque is, collegarum sedula opera usus, magnas brevi copias paravit, ut adjunctae veteribus ad millia virorum triginta pervenirent. Praeterea, servis manumissis et, prout tempus ferebat, armatis, libertinum exercitum, haud multo pauciores millibus viginti, coëgit. Equites praeterea mille sunt effecti. Cum his copiis Mam. Aemilio se opposuit, qui tum legatus exercitui Sullano praeerat. U. c. 663. A. C. 89.

IV. Inter hos apparatus Asculana obsidio ad finem venit. Ab hac urbe primus belli turbo eruperat, et, licet eodem tempore per plerasque Italiae regiones adversarum partium exercitus colluctarentur, hic tamen plurimum laboris sanguinisque exhaustum est, unaque die circa hanc urbem quinque et septuaginta civium Romanorum, amplius sexaginta millia Italicorum, signa contulerunt. Tandem Pompejus Asculum ingressus, selectis, quos in triumpho ducturus erat, principes omnes praefectosque et centuriones virgis caesos securi percussit: servos praedamque sub hasta vendidit: libera corpora dimisit innoxia, sed rebus ademptis omnibus: urbem ipsam dirutam incensamque evertit. *Asculum capitur.*

V. Mox, Romam profectus ob res isto bello fortiter prospereque gestas, de Asculanis reliquisque Picentium, paucis prius diebus quam consulatu abiret, ante diem sextum Kalendas Januarias triumphavit. Ductum in triumpho P. Ventidium multi scriptores haud futilem ob caussam adnotant, quod hic post annos ferme quinquaginta idem Capitolium, quod tum triumphatus vidit, triumphans invectus est. Adeo inexspectatis interdum eventibus admonemur, donec vita maneat, nulla fortuna neque confidere nimium, neque perterreri. *P. Ventidii notabilis fortuna.*

VI. Quum deinde L. Cornelius Sulla, Q. Pompejus Rufus magistratum inivissent, Mam. Aemilius cum Q. Pompaedio Silone collatis signis dimicavit. Ejus proelii victoria penes Romanos fuit, quorum haud U. c. 664. A. C. 88. L. Cornelio, Q. Pompejo Coss.

Liv. Epit. Cap. IV. Supra, 72. 1. et 2. Vellejus, 2. 21. Oros. Flor. Cap. V. Fasti Capit. Ascon. in Pison. Val. Max. 6. 9. A. Gell. 15. 4. Plin. 7. 43. Vell. 2. 65. Dio, fin. l. 43.

U. c. 664. A. C. 88.

ita multi occubuere: de Italicis ad millia sex sunt desiderata. Sub idem tempus Q. Metellus Pius, qui C. Cosconio successerat, Venusiam, Apuliae nobilem urbem, firmo praesidio instructam expugnavit. Adhuc tamen conatu magis, quam viribus, Italici resistabant, et, ne desponderent animos, modicis interdum successibus recreabantur. Silo Pompaedius Bovianum oppidum receperat. ejus victoriae tam immoderata laetitia fuit, ut, vel in honorem ducis, vel ad referendam Romanis vicem, Pompaedio triumphus decerneretur: isque Bovianum triumphans invectus est. quod in omen acceptum. nam, in urbem victam laurea deportata, hostibus tradidisse victoriam visus est: utique postquam proximo deinde proelio, cum Ser. Sulpicio apud Teanum congressus, amisso exercitu, una cum Obsidio, alio Italicorum duce, oppressus est.

Mam. Aemilius Pompaedium vincit.

Socii legatos ad Mithridatem mittunt.

VII. Pompaedio praecipua tanti incendii face extincto, sive Sulpicius illum, sive, ut alibi relatum est, Q. Metellus Pius occidit, quum neque consilium Italicis, neque copiae tanto bello pares supressent; odii adversum Romanos tantum fuit, ut in alium pene orbem legatos ad Mithridatem mitterent, quem studere rebus novandis acceperant.

Fortunam suam exponunt.

VIII. Quum praebita his audientia esset, princeps legationis, *Samnites*, ait, *atque Lucani, et qui alii per Italiam populi eodem foedere continentur, tertium jam annum atrocia bella cum Romano gerunt; cujus equidem neque caussa sibi ignota esse, neque casus atque vicissitudines possunt. Idcirco, licet multos illorum duces exercitusque fuderimus, partim etiam deleverimus, castris urbibusque maximis atque munitissimis expugnatis atque captis; tamen et nos, cum validissimo potentissimoque hoste colluctantes, crebris atque vehementibus detrimentis quassari contigit. Plus tamen aliquanto fraus de, quam armis, Romani fecerunt: passim per civitates serendo fovendoque principum discordias, quod ipsis per suae factionis homines plerumque non fuit difficile, multis adhuc servitutem et otium laboriosae libertati praeferentibus.*

Propositum commendant.

IX. *Hoc tamen fuit in aliquorum defectione boni, quod, secreto quidquid in consiliis aut castris aegrum fuerat, arctius coïit fortissimorum populorum fide animisque indissolubilis*

Cap. VI. Liv. Epit. Diodor. Vell. 2. 17. Jul. Obseq. Oros. V. 18. Jul. Obseq. Liv. Epit. Cap. VII. Auctor de viris illustr. in Met. Pio. Diod. Eclog. l. 37.

et invicta societas. Nullae amplius voces belli mala deplorantium audiuntur: nulla pacis, nisi quae libertatem firmet, usquam habetur mentio. hoc omnes proposito sumus, ut prae dominatione Romana leve nobis videatur, quidquid ingerere calamitosis hominibus iniqua fortuna potest. U. c. 664. A. C. 88.

X. *Ceterum ab ista sorte procul adhuc virtute nostra et numere Deorum absumus: neque deteriorem armis nostris eventum fore, quam fuit caussa, speramus. Sed prae ceteris duo sunt maxime, quae fiduciam nostram augeant. Nam etiam post accepta bello hoc incommoda virium nostrarum haud sane poenitet: et multos ubique reges atque populos non aliis oculis intueri Romanam magnitudinem scimus, quam a nobis adspiciatur: nisi quod nos, quanto propiores huic pesti fuimus, tanto priores et penitius perspeximus insatiabilis populi improbitatem.* *Spem ostentant.*

XI. *Jam enim a primis initiis imperandi licet non aeque manifestam, aeque tamen magnam cupiditatem habuit: cui ut resisterent majores nostri, nihil inexpertum, suas opponendo opes, sollicitando alienas, reliquerunt. Sic et Pyrrhus a nobis, et postmodum Poenus Hannibal adjuti sunt: neque defuissent Antiocho aut Philippo regibus auxilia nostra, si inferre bellum Romanis in Italia, quam accipere domi, maluissent. Sed illos quidem suus error aut invidia numinum in diversa consilia transtulit, ut tuum decus esset, Italiam, quid autem Italiam? immo gementem sub Romano jugo terrarum orbem liberasse.* *Romanorum ambitionem traducunt.*

XII. *Licet enim, praeter paucos servituti natos homines, nemo usquam tam insolentium dominorum imperia patienter ferat, tacent tamen aut mussant plerique, animis aut viribus imbecilliores. Sed et quibus adhuc astu majore, quam modestia, parcitur, dum securos et incautos aliquando quaevis occasio subjuget, aliena mala, tamquam ad se minime perventura, otiosi quietique intuentur.* *Contra illam aliis esse vim aut animum negant.*

XIII. *Idcirco te esse unum omnium cognovimus, a quo et speraudum auxilium tantis necessitatibus et petendum esset. Annum tui magnitudinem, quam et corporis dignitas manifesta fide oculis monstrat, ignorari, gesta tua plurima atque amplissima nequaquam patiuntur. Ex iisdem potentia tua et aucta est, et inclaruit: quibus utrisque rebus neminem tibi putamus praesentium regum comparari posse. Ferocissimas enim Scytharum gentes, quibus neque Persarum magni reges, neque victorum Alexander, inponere jugum potuerunt, pene puer tu domuisti, ut alii tibi non obscure serviant, alii nomine sociorum eadem ferme faciant, quae victis imperantur. Nam vicinos quidem reges, nisi quibus pacem et amicitiam praestas,* *Sed Mithridati suppetere potentiam.*

U. c. 664. A. C. 88. *sic adsuefactos habes, ut placato te regnare illis liceat; quum iratus fueris, sibi sentiant exsulandum esse. Atque idem amico atque adsini Tigrane uteris, quo nemo regum tibi est magnitudine rerum gestarum et imperii similior.*

Et prudentiam.

XIV. *Sed haec tamen omnia nequidquam adessent, nisi tua singularis et pene divina prudentia tibi dictaret et tempus utendi, et modum. Jam olim, nec enim abstrusa aut ambigua loquimur, olim, inquam, te ambitionis et avaritiae Romanae piget. Idcirco et legatis eorum saepe virilitter respondisti, et, quum eadem tecum superbia vellent agere, qua ceteros terrere consueverunt, effecisti, ut intelligerent, sibi cum libero rege plenoque animorum, et ad omnia parato, negotium fore. Quin et illorum iniqua decreta haud semel ferro rescidisti: ut scirent vicini reges, minus illis in amicitia Romana praesidii, quam in tua offensa periculi esse.*

Inimicos Mithridati Romanos esse demonstrant.

XV. *Pro quibus ausis quae tibi sint apud populum Romanum reposita praemia, simul ille vacuus a propioribus bellis fuerit, ignarus esse non potes. Sic quoque legati illius atque proconsules minantur, fremunt, plane prae se ferunt bellum, suas copiolas parant, sociales excitant, ita agunt omnia, ut, quamvis derideas conatum, animus tamen appareat.*

Dictorum Marii et Sullae admonent.

XVI. *Non dubito, quin inter ista memineris, quam arrogantier olim Marius, deinde Sulla tecum egerint; quam non tecte denunciaverint tibi periculum, indixerint servitutem, nisi dederis operam, ut aeque armis, ac jure, sis potior. Atque haec jam noverant populi principesque nostri; nos plura et certiora usurpavimus oculis: ut jam prorsus certi simus, non inutilem legationem nostram, neque metuendam desideriis nostris a te repulsam esse. Quos enim eaedem caussae ad arma coëgerunt, iidem animi, vota paria conjungunt, de iis dubitari non potest, quin ad communem utilitatem fido foedere sint sociaturi consilia et vires.*

Sua omnia pollicentur.

XVII. *Quod igitur tibi nobisque faustum atque salutare Dii faxint, arma, viros, naves, commeatus pollicemur in Italia bellaturo; ad transitum, ad receptum, omnesque opportunitates belli, urbes nostrae patebunt; duces itinerum, participes consiliorum, socii laboris periculique erimus.*

Ut in Italiam veniat, contendunt.

XVIII. *Id modo fixum tibi sit animo, non alibi rectius cum Romanis, quam in Italia, bellari. absit a te laeva mens, quae Syriacos olim reges, quae Macedonicos decepit, quum eadem illis dicerentur. Nullum tuis regnis a Romano aut aliis tantum periculum est, quod non a quolibet praefectorum*

Cap. XVI. Supra p. 43.

morum propulsari queat. Neque spes et occasio se teneant domi; vicina subacturum. Etsi facilis ista esse possit, non erit tamen diuturna possessio. Nemo umquam eripere populo Romano occupato quidquam potuit, quod ille cum multiplici usura vacuus non reciperet. U. c. 664. A. C. 88.

XIX. *Jugulum petamus, et tamquam pestiferi draconis detrahamus caput; donec illud salvum fuerit, inani labore cetera corpus vexaturi. Quemadmodum flumina longo cursu acta, ne exundent, molibus ac crepidinibus aegre coërcentur; id ipsos fontes averti carpique nullo negotio possunt: ita, nisi Romanae potentiae scaturiginem et fontem in potestate habeas, impetum nequidquam moraberis, quin violentia sua, quidquid oppositum fuerit, evertat, et ocius, serius, omnia ubique regna, nationes omnes obruat.* Mithridates, re cum suis deliberata; nescio quomodo, minoris, quam pro Italorum exspectatione, negotium illud faciens, *venturum se in Italiam* respondit, *simul atque Asiam subegisset.* *Mithridates rem differt.*

XX. Credo longinquam a domo militiam laboriosam simul atque sumptuosam fore ratum, adhuc vicinorum sociatas Romanis vires perhorruisse, ne, dum appetit aliena, suo regno spoliaretur. Neque Tigranisatis poterat fidere, ut suspectos maxime pares habent, quicumque cupiunt opibus excellere: verebaturque, ne ille, perdomitis aliis, neque Pontum, si daretur occasio, sperneret. Terrebatur et Pyrrhi Hannibalisque exitu, quorum, licet a plerisque Italiae gentibus adjuvarentur, in alieno solo bellantium cito consenuerit exercitus, difficilibus, licet haud a maximo intervallo, supplementis. *Longinquae militiae periculis absterritus.*

XXI. Haec omnia vitari posse maximo cum emolumento sperabat, si vicinam sibi Asiam occuparet. Eam rem quoque facturam animos Italicis sociis: atque ita diuturno bello atteri posse Italiae vires, ut neque, si rursus conjungantur, valde sint sibi futuri formidabiles. Sane consilio huic institit, quamquam omnia legati pollicerentur, et *e Ponto facilem in Thraciam trajectum* ostenderent: *Thraces porro et ipsos bellum Romanis facere. horum ope per Macedoniam et vicinas regiones paucis diebus ad Ionium mare penetrari posse.* Neque diu cunctatus exercitum conducit, Ariobarzanem et Nicomedem reges, alterum Cappadocia, alterum Bithynia exacturus. Sed, antequam hoc bellum ex- *Et praesentis occasionis praemiis occupatus.*

Cap. XIX. Diodor. Cap. XXI. Liv. Epit.

U. c. 663. A. C. 88.

ponatur, quo regna ista jure, quibus finibus tum fuerint, quasque nationes urbesque habuerint insigniores, enarrari operae pretium fuerit Mithridatica bella lecturis, quae haud postremam historiae Romanae partem, illius quidem aevi, constituunt.

Cappadociae et vicinorum regnorum descriptio.

XXII. Quidquid terrarum longo tractu inter Heracleam et Trapezuntem, nobiles urbes, Euxini fluctibus alluitur, ab eo mari appellationem apud veteres nactum est, ut Pontus vocaretur. Propius Heracleam Bithyniae conjunctum Ponto regnum fuit, ad Propontidem deflectens. At orientem versus Cappadocia in mediterranea procurrens, inde Armenia, ad meridiem Tauro monte terminatur. Inter Bithynos atque Cappadoces ita sparsa erat Galatia, ut ab septentrione Pontum et Paphlagoniam, (Ponti enim pars etiam Paphlagonia nec absurde censeri potest) a meridie Phrygiam Lycaoniamque contingeret.

Cappadocia duplex.

XXIII. Omnes istae regiones in ditione Persarum fuerunt: a quibus ea pars, quae tum communiter Cappadocia dicebatur, in duas divisa praefecturas, postea totidem regna peperit: quorum alterum Cappadocia proprie, aut cum adjectione Cappadocia ad Taurum, interdum et Magna Cappadocia; alterum Pontus, sive Cappadocia Pontica coepit nominari.

Majoris praefecturae.

XXIV. Priore praefecturae decem continebantur: quarum sub Tauro erant Melitena, Cataonia, Cilicia, Tyanitis, et Garsauritis. Melitena, ceteris Cappadociae partibus mitior, olei quoque et vini optimi ferax, Armeniae majori praetenditur, a Sophenae praefectura medio Euphrate divisa. Nomen huic Melitae dedit, a Semiramide, ut volunt, condita. Trans flumen etiam ad hanc partem Tomisa pertinuerunt, insigne castellum. Cataoniae inter Amanum et Antitaurum ita planities Comana habuit, Bellonae templo memorabile nomen, et Apollinis Cataonis fanum castella in montibus munita, Azamora et Dastarcum.

Mazaca regni caput.

XXV. Cilicia quae vocabatur Cappadociae praefectura, sede regum nobilitata fuit Mazacis: quam urbem postea *Caesaream* vocarunt Cappadoces, in dictatoris Caesaris honorem. Altera urbium, nam dua omni-

Cap. XXIII. Strabo l. 12. init. Constantin. Porphyr. de Them. l. 2. Plin. 6. 3. Cap. XXIV. Ptolem. 5. 6. Solin. c. 47.

omnino fuerunt antiquis temporibus in Cappadocia, Tyanitidi praefecturae nomen dedit, ipsa quoque Semiramidis opus. At in Garsauritide postea Archelaïs fuit, Claudii Caesaris colonia. Praeter has praefecturas fuerunt et aliae quinque, Lavinasena ad Euphratem fluvium, Sargarausena, Saravena, Cammanena, et Morimena, superioribus obscuriores. Fluvii celebres, Halys Archelaïdem praeterfluens; Sarus, qui per media Comana labitur; Pyramus per Cataoniam decurrens, praeterea Lycus, et hunc excipiens Iris; et inter Morimenen et Galatiam, terminus gentis, idemque caussa nominis, Cappadox. U. c. 664. A. C. 88. *Fluvii Cappadociae.*

XXVI. At Mithridatis paternum regnum, praeter Pontum, continebat, quidquid gentium ab Haly fluvio usque ad Tibarenos et Armeniam coluit. Etiam intra Halyn delibaverat Cappadocum et Paphlagonum agros. Nec longe Bithyni aberant. quippe ubi per Propontidem in Euxinum intraveris. Quae regiones Bithyniae partem, deinde Mariandynos Heracleae subjectos, mox Paphlagonas, usque ad fluvium Halyn habuerunt. cetera ad Propontidem usque Chalcedonem fuerunt Bithynorum, Galli fluminis ostiis fines eorum terminantibus.

XXVII. Maxima urbium Nicomedia fuit: deinde Nicaea, item Prusa, quam ab Hannibale conditam de Prusiae nomine, reges Othomanici ante occupatam Adrianopolim regni sedem habuerunt. Flumina Bithyniae Syrium, Lapsias, Pharmacias, Alces, Crynis, Lylaeus, Scopius, memorantur, et, qui Bithyniam a Galatia disterminabat, Hieras. Erat et Hylas fluminis et lacus nomen, ab Herculis amasio deductum, si fabulis lubet credere, juxta Prusiadem urbem, diversam ab utraque Prusa. nam et altera fuit Bithyniae Prusa ad Hippium amnem. Ab his regionibus, Cappadociam et Bithyniam dico, quasdam partes abrasserunt Gallograeci, de quibus post prolixam Livii descriptionem taceo. *Urbes Bithyniae.*

XXVIII. Sed Paphlagoniam Halys fluvius ab ortu terminabat, a meridie Galatia: ad occasum Bithyni et Mariandyni habitabant; versus septentriones mare Euxinum erat. Amastris horum erat non incelebre oppidum, majorisque adhuc famae Amisus et Sinope. *Paphlagonia.*

Cap. XXVII. Plin 5. 32. Leunclavius. Solin. c. 44. Liv. 38. 16.

U. c. 664. A. C. 88. Neque refert has interdum Ponto vindicari. nam regionum istarum terminos, non minus atque gentium jura, Mithridatis ambitio turbavit, redactis in ditionem plerisque populorum, quos enarravimus.

Ponticae gentes.

XXIX. At antiquitus Ponticae gentes fuisse videntur Mariandyni, Mosynoeci, Caucones, qui jam aetate Strabonis nulli superfuerunt, Chalybes, qui et Chaldaei, Tibareni, Macrones Euboïcorum credita colonia. Nam tota illa Ponti ora, Graecorum frequentata navigationibus, plurimas gentis ejus urbes habuit, quarum celeberrimae fuere Trapezus, et Heraclea. Amnium Ponticorum nobilissimus Phasis, cum urbe cognomine ad ostium. Pyxites Trapezuntem alluit. flumen Jasonium memoriam retinuit antiquissimae Graecorum heroum expeditionis. Sed et alia multa per eas regiones in Pontum Euxinum permeant flumina, tanta quidem vi aquarum, ut terra, quam continuo inferant amnes, implendum aliquando illud mare Polybius disputaverit.

Pontus Euxinus aliquando terra implendus.

XXX. Haec igitur regna quamquam suos quaeque reges ab antiquissimis temporibus habuissent, tamen propter viciniam locorum, et linguae morumque commerciis varie mixtos populos, crebrae, ut fieri amat, rixae, deinde bella oriebantur. Et, ut graviora fere humanis remediis mala sunt, connubia regum, mixtusque adfinitate sanguis adeo non finiebat veteres controversias, ut non alia foecundior novis gignendis materies esset.

Belli Mithridatici caussae.

XXXI. Inde auctis odiis, quum etiam imperii amplificandi insana lubido Mithridatem stimularet, temperare non potuit, quin subinde ex occasione temporum vicinos infestaret. Et antea quidem Nicomedem etiam Ariobarzanemque expulerat: et, quamquam reduci a Romanis tulisset, tamquam imbecillitatem sibi exprobrantes adspiciebat. Illi vicissim, salvo tam potente vicino, nequidquam restituti videbantur. Et accedebant a Romanis ducibus stimuli, qui praedarum et gloriae spe, bellum undecumque cupiebant consurgere.

Legati senatus ad Mithridatem.

XXXII. Igitur operam dederant, ut cum minacibus ad Mithridatem mandatis senatus nomine legati mit

Cap. XXIX. Scholias. Apollon. Polyb. 4. 40. Cap. XXXI Appian. Mithrid.

terentur, *bellum* denunciantes, *ni, quos populus Romanus vicina regna obtinere jussisset, quieta in possessione manere pateretur.* Ille, ultro multa questus, *quanta patientia tot contumelias concoxisset*, demonstrat: *quantasque opes publice privatimque colendo Romanos profudisset. nunc etiam, licet provocatum, neque inermem, quiescere malle, modo finis injuriarum fiat.* Et fides promisso fuit. U. c. 664. A. C. 88.

XXXIII. Sed non eadem Nicomedi modestia mansit, quem Romanorum ducum hortamenta et inopia pecuniae invitum ad arma compulerunt. Nam et iis, a quibus reductus in regnum fuerat, multa erat pollicitus; et passim ab incolentibus Asiam Romani nominis hominibus magnam vim nummorum foenerato abstulerat. Igitur, in ditionem Mithridatis irruptione facta, usque ad Amastrim urbem praedabundus processit. Mithridates enim, quamquam paratas habebat copias, occurri vetuerat, quo pluribus paullo post et speciosioribus caussis bellum sumeret. *Nicomedes fines Mithridatis depopulatur.*

XXXIV. Ubi reversus in Bithyniam Nicomedes est, Pelopidam legatum Mithridates ad Romanos duces misit. Is, commemorato veteris societatis jure, quod a majoribus acceptum constanter atque fideliter multis neque levibus officiis Mithridates coluisset, *Nunc autem*, ait, *injuria pro gratia redditur. Adempta regi Phrygia est, adempta Cappadocia, quarum hanc, proavus suis debitam, pater Evergetes recepit, illam operae bello Aristonici navatae praemium accepit: si tamen praemium vocare possumus, magno auri pondere ab imperatore vestro emptam, et olim a Seleuco Callinico in dotem datam proavo regi. Sed illa sane, quia paullo longinquiora sunt, silentio, et, si vultis, etiam oblivione sepeliamus. Ista vero recentia qui possumus? quod Nicomedem os Ponti intercludere, agros usque ad Amastrin populari sinitis, praedamque avertere, cujus aestimationem novistis ipsi rectius, quam ut a quoquam debeatis edoceri.* *Legatus Mithridatis de hac injuria queritur.*

XXXV. *Et ista quidem hoc modo gesta sunt, non invalido nec imparato ad prohibendum rege, sed ut vos ipsos spectatores eorum, quae fierent, testesque haberet. Quae quia non auditu, neque incertis aut suspectis auctoribus, sed coram ipsi accepistis; ergo igitur amicus atque socius rex, haec enim omnia foederum tabulis continentur, hoc a vobis sociis ami-*

Cap. XXXII. Oros. 6. 2. Dio apud Fulv. Cap. XXXIII. Just. 38. 5. Appian. Cap. XXXIV. Just. 38. 5. Appian.

U. c. 664. A. C. 88. *cisque suis petit, ut adversus Nicomedis injurias auxilio sitis, aut injuriarum coërceatis auctorem.*

Bithyni respondent. XXXVI. Ad haec Bithyni, nam et ab Nicomede legati aderant; *Quam justas contra Mithridatem inimicitias Nicomedes gerat, ignorare nemo potest, qui meminerit, paullo ante Socratem, Ponticis armis instructum, Bithyniam invasisse: quieturum certe, fratrisque aetati concessurum, ni fuisset a Mithridate ad parricidiale bellum instigatus. Et haec contra illum Nicomedem fiebant, qui a vobis erat Bithyniae rex constitutus. Unde non nostra magis, quam vestra, Romani, haec censenda injuria est. Quorum ille nomen amicitiamque quanti faciat, ex aliis quoque gestis ejus promptum est intelligere. Populus Romanus Asiaticos nos reges in Europam transcendere vetuit. Sed hic Chersonnesi pleramque partem possidet. atqui Europae regio Chersonnesus est. Sed omittimus plura hostilis erga vos et contemptoris animi, quae protulit, indicia commemorare. Majora enim, et, nisi in tempore obviam itis, acerbiora sunt, quae exspectantur.*

Non se, sed Romanos, a Mithridate peti.

Apparatum ejus recensent. XXXVII. *Quorsum enim ingentes illi apparatus, tot propriae copiae, atque illa cum tot aliis regibus et populis foedera pertinent? quae et tranquille victuro supervacanea sunt, nec profecto contra Nicomedem providentur. Praeter domesticas vires, socios Thracum, socios Scytharum populos habet. Habet et Armeniae regem non amicitia modo, sed etiam adfinitate, conjunctum. In Syriam, in Aegyptum missitat, ut illorum quoque regum benevolentiam paret. Naves porro tectas quum habeat trecentas, alias insuper exaedificare non desinit. gubernatores atque proretas, magnis propositis praemiis, ex Aegypto et Phoenicia sollicitat.*

Caussam irarum expromunt. XXXVIII. *Scilicet superbum animum Phrygia et Cappadocia amissae angunt: quod contra vim et astutiam Ponticam vestra recepistis, aliena, quibus debebantur, reddidistis. Ille primum dolor animum Mithridatis avertit a vobis, Romani: ille cum invidia metuque magnitudinem vestram intueri cogit inimicum hominem, et sub obtentu nostrarum inimicitiarum occasiones contra vestrum imperium captantem.*

XXXIX. *Quare neque dubitare possumus, vos, quemadmodum viros prudentes decet, factorum ipsius, quam verborum, majorem habituros rationem esse: ne aut ob fictum amicitiae nomen vestros optima fide amicos Mithridati prodatis aut vestrum senatusque de hoc regno judicium a communi hosti sperni violarique feratis.*

Cap. XXXVI. Memnon apud Phot. Appian. Strabo l. 7. p. 309. Appian.

XL. Post haec iterum admissus in consilium Pelopidas, *Si quae veteres adversus Nicomedem querelae sunt, earum judicium vobis*, inquit, *deferimus, Romani. Sed haec postrema, quae ipsi adspexistis, ditionem Mithridatis minui, claudi mare, praedas ex agris agi; nulla disceptatione egeo. Sed denuo vos rogamus, ut aut prohibeatis ejusmodi facta, aut passo indigna Mithridati opitulemini; aut postremo non intercedatis suas injurias vindicaturo, neutris partibus mixti.* Haec iterante Pelopida, licet jam ante Nicomedi auxilia polliciti erant, movebantur tamen Romani dictis et amicitiae nomine, cujus adhuc inviolata erant foedera: neque facile, quomodo responderent, inveniebant. tandem vafro perplexoque responso, *neque Mithridatem a Nicomede vexari passuros, neque bello peti a Mithridate Nicomedem*, dixerunt. Simul Pelopidas, arguere dictorum obscuritatem cupiens, e consilio dimissus est.

U. c. 664. A. C. 88.

Legatus Mithridatis iterum loquitur.

Romanorum vafrum responsum.

XLI. Haec ubi Mithridati audita sunt, se vero jam haud obscure laesum a Romanis esse testatus, Ariarathen, unum ex filiis, in Cappadociam mittit, quam ille antea quoque tenuerat. Atque is, victo Romanorum duce Maltino, (qui et *Mancinus* alibi scribitur) ejectoque Ariobarzane, quum igni ferroque pleraque vastavisset, haud magna mole regnum occupavit.

Mithridates Cappadociam occupat.

XLII. Tum remissus ad Romanos duces Pelopidas in hunc modum verba fecisse dicitur: *Quam indigna rex Mithridates passus sit, Phrygia Cappadociaque spoliatus, id equidem, Romani, nuper audivistis. Quas deinde, vobis injungentibus, injurias eidem Nicomedes intulit, eas, quum vindicare deberetis, negligere maluistis. denique societatis amicitiaeque implorantibus fidem ita respondistis, ut, tamquam laesissemus alios, non ab aliis laesi essemus, non videri e republica vestra diceretis, Nicomedem et Bithynos violari. Idcirco ipsi caussam praebuistis recentibus Cappadociae turbis. Vester ille neglectus, vestraeque in responsis ambages Mithridatem in haec consilia coëgerunt. Jamque vos ad senatus vestri judicium vocat, Romam legatos missurus de rebus omnibus.*

Oratio legati regii ad Romanos.

XLIII. *Vos interea videritis, ne quid, inconsultis Patribus, temere moliamini. quantum conflari incendium belli pos-*

Bellum grave minatur.

Cap. XLI. Eutrop. Oros. Justin. 38. 4. Appian.

U. c. 664. A. C. 88.

sit, ex potentia Mithridatis aestimatu haud est difficile. Supra vicies centena millia passuum paternae ditionis tenet: ipse magnam adjecit terrarum partem, Colchorum bellicosos populos, Graecorumque et barbarorum quotquot supra Pontum nationes incolunt.

Potentiam regis depraedicat.

XLIV. *Jam Scythis, Tauricisque, et Bastarnis, et Thracibus, et omnibus, quae Tanain Istrumque fluvios et Maeotidem paludem circum gentes habitant, promptissimis ad imperia sua sociis utitur. Porro Tigranes Armenus gener illi Partborum rex Arsaces socius et amicus est. Navium quoque magnum possidet numerum: isque augetur quotidie: neque instruendis ornandisque ulla pars apparatuum deest. Sed et Bithyni nuper de Syriacis Aegyptiisque regibus mentiti minime sunt, quos equidem, si bellandum sit, nostros fore non ambigo. Sed et nuper possessam vobis Asiam, Graeciamque, et Africam, nobis accessuras reor: ipsiusque Italiae haud contemnendam partem, quando illa quoque, impotentiae vestrae et injuriarum pertaesa, bellum contra vos inexpiabile gerit.*

XLV. *Atque illud bellum quum conficere nondum potueritis, irritatis Mithridatem, nunc Nicomedem ei, nunc Ariobarzanem immittendo: et, verbis amicitiam praeferentes, hostium opera faciti. Quapropter, si quid actorum poenitet, vel nunc punite vestros in amicos injurium Nicomedem: quod si feceritis, magna vobis auxilia contra Italicos a rege pollicebor. Haec ratio si displicet, aut insidiosam istam amicitiam abrumpite, aut Romam in jus eamus.* Haec ubi dicta sunt a Pelopida, Romani, orationis insolentia commotiores, *Mithridatem abstinere Nicomede et Cappadocia*, jussunt; *hanc enim Ariobarzani se reddituros: Pelopidam continuo abire castris, neque reverti, nisi rex imperata fecisset.* Discedenti custodiam addi placuit, ne quo obiter in via corrumperet.

Romanorum responsum.

Alia legatio regis ad senatum.

XLVI. Haud absimilis legatorum, quos deinde ad senatum Mithridates misit, oratio, Patrumque ad eam responsum fuit. Petentibus, *siquidem amicus populi Romani Nicomedes esset, illum auctoritate sua ad satisfaciendum compellerent; sin vero, Mithridatem sibi consulere paterentur* neutrum concessum est: minaeque insuper additae *nisi Cappadociam Ariobarzani redderet, et omitteret Nicomedem.* Eademque die coactos abire legatos *nunciare regi suo* jusserunt, *ne quem deinde mitteret, donec mandatis satisfecisset.*

Cap. XLVI. Eutrop. Oros. Dio apud Fulv. Ursin.

XLVII. Sic irritatis utrimque animis, qui per Asiam erant, Romani duces, non exspectato senatusconsulto populive jussu, ex Bithyniae Cappadociaeque et Paphlagoniae delectibus exercitum coëgerunt, additis etiam Gallograecorum auxiliis. Simul L. Cassii, qui Asiam obtinebat, convenire jussus est exercitus, copiaeque auxiliares omnes eumdem in locum conductae. U. c. 664. A. C. 88. *Romani duces exercitum cogunt.*

XLVIII. Deinde partiti inter se vires. Cassius, ubi Bithyniae Gallograecia committitur, castris cepit locum. M. Aquillius, qua irrupturus in Bithyniam Mithridates credebatur, consedit. Cappadociae finibus Ap. Claudius praesidebat. Copiae his erant equitum peditumque quadragena circiter millia. Naves etiam aderant, quibus praefecti Minucius Rufus, C. Popillius angustias Ponti apud Byzantium observabant. Praeter haec Nicomedes suum habebat exercitum, quinquaginta peditum millia, sex equitum. Neque minus Mithridati virium erat, centum quinquaginta millia proprii militis, cum equitum millibus quadraginta: naves tectae trecentae, centum dicrota. deinde reliquus apparatus tantae expeditioni non impar. *Vires utrinsque partis.*

XLIX. Praetoribus Neoptolemo maxime et fratre ejus Archelao utebatur, nobilissimis viris, et genus ad regem Argivorum Temenum, cujus inter posteros et Magnus Alexander fuit, referentibus. Sed ipse rex per se administrabat plurima. Auxilia ex minore Armenia Arcathias Mithridatis ipsius filius adduxerat, decem equitum millia. Dorylaus phalangem regebat. Craterus curribus falcatis praeerat, numero centum triginta. Hae tum ab utraque parte copiae erant, quum primum Romana arma Mithridaticis collisa sunt. *Mithridatis duces.*

L. Primum inter Nicomedem et duces Mithridatis (ipse enim aberat) proelium fuit apud flumen Amnian, ubi Nicomedes exercitum suum instruxit. At Pontici, quum in universum quadraginta peditum, decem equitum millia haberent, quia phalanx sequi non potuerat, praeter Arcathiae equitatum, quosdamque falcatorum curruum, tantummodo levem armaturam adduxerant. idcirco, ne a multitudine Bithynorum circumvenirentur, tumulum quemdam saxosum mediocri praesidio occuparunt. Animadversum a Bithynis consilium est: et ad recuperandum collem magnae copiae missae. *Cum Nicomede conflignt.*

Cap. XLVII. Appian. Cap. XLIX. Joseph. de Bello Judaïc. c. 17. Appian. Cap. L. Strabo l. 12. p. 562. Memnon. Appian.

U. c. 664. A. C. 88.

Nicomedes primo vincit.

LI. Igitur Neoptolemus, ubi dejici ſuos videt, ſalutem omnium in eo verti ratus, ut locus teneretur, celeriter ad opem ferendam advolat, Arcathia quoque in partem periculi accito. Hoc ubi Nicomedes conſpexit, univerſum rapit agmen, et poſt acre certamen, multo ſanguine fuſo, Mithridaticos in fugam agit; illuſtris victoriae futurus compos, nisi Archelaus cum ſuis mature perſequentem fugientes a latere invaſiſſet.

Deinde ab Archelao superatus.

LII. Huſus virtute et prudentia mirifice commutata pugnae fortuna eſt. Nam averſum in ſe Nicomedem, jamque concepta ſpe vincendi, et impatientia morae calidius inſtantem, ſervatis ordinibus ſenſim recedendo, tantisper tenuit, donec Neoptolemo retinendi ſuos aciemque redintegrandi ſpatium eſſet. Deinde converſus in hoſtem quadrigas falcatas immiſit, non ſine clade Bithynorum. Ceterum major, quam pro damno, terror erat. Foeditas ſpectaculi magis, quam vis hoſtium, turbavit ordines: quum calidis adhuc vulneribus ſemineces viros, diviſa corpora, truncos artus in multo ſanguine volutari, aliorum membra haſtis aut falcibus curruum rotari cernerent. Perterritis Archelaus a fronte, Neoptolemus et Arcathias, recollectis, qui fugerant, a tergo incubuere. Diu tamen utrisque reſtitere Bithyni, donec, plerisque cadentibus, Nicomedes, ſolutis ordinibus, abiit. Fugientem in Paphlagoniam ſequuti ſunt, qui potuerunt: ceteros proelium confecit, aut in poteſtatem victoris tradidit captivitas. caſtra quoque cum pecunia Nicomedis capta ſunt.

LIII. Haec pugna Romanos etiam duces haud mediocriter commovit: quod per expeditos tantum et equites, quum gravis armaturae robur abeſſet, rem tantam confectam eſſe, nulla locorum opportunitate, nullo hoſtium errore adjuvante Ponticos, ne numero quidem aequo, ſed conſilio ducum et virtute militum, cernebant. Captivos ad ſe adductos Mithridates comiter affatus, viatico dato, dimiſit domum, ut inter initia rerum utilem clementiae famam adquireret. Circa eadem tempora Thraces, qui non ſine dolo Mithridatis Macedoniam populabantur, magnam iis locis ex vaſtitate famem et frumenti caritatem effecerunt; donec, a praetore Macedoniae C. Sentio ſuperati, cum rege ſuo Sothimo ad patrias ſedes reverterunt.

Cap. LII. Curtius, 4. 15. Appian. Cap. LIII. Diod. apud Val. Liv. Epit. Cic. in Verr. 3. 93. Plut. Sull. c. 22. Oros. 5. 18.

EPITOME

LIBRI SEPTUAGESIMI SEPTIMI.

Quum P. Sulpicius tribunus plebis, auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, ut exsules revocarentur, et novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur, *et adversantibus consulibus Q. Pompejo et L. Sullae vim intulisset, occiso Q. Pompejo consulis filio, genero Sullae; L. Sulla consul cum exercitu in urbem venit, et adversus fa-*

Ut consules revocarentur] De hac re est in Auctore ad Herenn. 2, 28. Exsules hi erant, qui lege Varia, ut quaereretur, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent, damnati fuerant, e quibus Bestiam, Cottam, et Summium memorat Appian. 1. Civil. 373. V. Pighium ad A. V. ɔɔcLxii. DUK.

Et novi cives libertinique distribuerentur in tribus] V. Sigon. 2. de Ant. Jur. Civ. Rom. 14. et Spanhem. in Orbe Rom. Exerc. 1. cap. 10. DUK. Copulam *et* omittit Boend. Voces autem *in tribus* non adparent in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. librariorum inertia. *ἐς τὰς φύλας ἀπδσας διαιρήσειν* dixit App. 1. B. Civ. 383. Mox *et ut consul Marius* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et edd. Camp. Rom. anni 1472. ac Parm. *et ut cons. Marius* Boend. Forte scriptum fuerat *et ut C. Marius.* Certe mox hac Epit. pro *inter quos C. Marius*, alii *consul Marius*, alii *cons. Marius* dederunt, alii praenomen omiserunt. Insuper *adversum Mithridatem* Leid. Sed v. ad Epit. 47.

Occisoque Pompeji consulis filio] Sensus docet, legendum esse: *occiso Q. Pompejo consulis filio.* Paulo ante enim patris consulis meminit. SIG. *occisoque Q. Pompei consulis*, vel *cons. filia* Leid. Voss. Berg. et Boend. *occisoque Pompejo consulis filio* Norv. *occiso Q. Pompejo consulis filio* Exc. Pithoei, et Lov. 2. Lectio haec non displicet; nescio tamen, cur Sigonius dicat, sensum docere, ita legendum esse. Certe *Q. Pompeji consulis filium* vocat Vellej. 2, 18. *Πομπηΐου τὸν υἱὸν* Appian. 1. Civ. 384. Ceterum, alibi saepe praenomen Q. et co-

ctionem Sulpicii et Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit. ex qua duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, judicati sunt. P. Sulpicius, quum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. servus, ut praemium promissum indici haberet, manumissus, et ob scelus proditi domini de saxo dejectus est. C. Marius filius in Africam traje-

pulam *que*, vel *q*; a librariis confundi, vidimus ad 22, 31, 7.

Ex quo duodecim a senatu hostes] *ex qua* legendum est. ad vocem enim *factionem* pertinet. SIG. Similiter Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. At contra paullo ante *eumque expulit*, pro *eamque*, perperam Voss. Berg. Boend. et edd. Camp.

Inter quos C. Marius pater et filius] Solebant hoc dicere *inter quos C. Marii pater et filius*. J. FR. GRON. V. tamen ad Epit. 80. Ceterum *inter quos consul Marius* Berg. *inter quos cons. Marius* Lov. 2. Boend. et edd. Rom. anni 1472. ac Parm. *inter quos Marius* Voss. et ed. Camp. V. supra h. Epit.

Ut praemium promissi indicii haberet] Vet. lib. *praemium promissum*. SIG. Sigonius e vet. *promissum*. Lege *ut praemium promissum indici*. J. FR. GRONOV. *ut promissi praemium haberet indicii* Boend. *ut promissi praemium indicii haberet* ed. Camp. *ut praemium promissi indicium haberet* Voss. *ut praemium promissi indicii haberet* Exc. Pithoei, et Norv. *ut praemium promissum indicii haberet* Berg. et Lov. 2. *ut praemium indicii haberet* Leid. Praemium promissum fuisse, aliunde non constat. V. Vell. 2, 19. Appian. 1. B. Civ. 386. Plut. in Sulla pag. 457. Oros. 5, 19. aliosque, quos laudat Freinsh. in Supplemento hujus lib. 28. Potest igitur vox *promissum* fide cod. Leid. omitti: quae si servanda est, *indici*, pro *indicii*, cum Gronovio praeferam.

Manumissus est, et ob scelus proditi domini] Dele *τὸ est*, ut sit: *manumissus, et ob scelus proditi domini de saxo dejectus est*. Sic Gudiani ambo. J. FR. GRON. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Tum *domini proditi* Boend. et edd. ante Gruterum, qui vocabulorum ordinem mutavit, consentientibus Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Mox *in Asiam trajecit* perperam Leid. Marium enim filium in Africam fugisse, narrant etiam App. Alex. 1. Civ. 388. et Plutarch. in Mar. 426. Id etiam indicat Oros. eum *Uticae* in custodia observatum fuisse narrans, lib. 5, 19.

Missus ad occidendum eum servus, natione Gallus] Ita Gronov. anno 1665. edidit, adsentientibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Reliqui typis descripti ante Gronov. cum codd. Leid. Voss. Exc. Pith. et Norv. habent *ad occidendum eum missus servus*. Hunc servum similiter *Γαλάτην ἄνδρα* vocat App. Al. 1. Civ. 387. *Gallum* Aur. Vict. de Vir. Illustr. 67. alii *Cimbrum*, adeoque Germanum. V. Vell. Paterc. 2, 19. et Val. Max. 2, 10, 10. et quae viri

genium etiam facundiamque a bonis initiis et rectissima voluntate ad ancipitia et prava transtulisset. Praecipuae Sulpicii actiones erant, *ut exsules, quibus caussam dicere non licuisset, revocarentur; novi cives libertinique distribuerentur in quinque et triginta veteres tribus; et* cujus gratia cetera fiebant, *C. Mario Mithridaticum bellum decerneretur.* U. c. 664. A. C. 88. *Exsules reduci postulat.*

VIII. Sed, exsules ne reducerentur, ipse nuper intercesserat: jam immutata voluntate, verba cavillando eamdem legem referebat, *non exsules a se reduci, sed vi ejectos*, dictitando. quasi non iidem essent, utro nomine appellarentur: aut quasi de vocibus, non de rebus, controversia in republica esset. Libertinos autem, et qui modo de sociis facti cives fuerant, ideo distribui in veteres tribus volebat, ut plus in suffragiis illorum roboris esset. quippe homines callidi, si hos, numero veteribus civibus facile superiores, jure aequassent, nihil fore existimabant, quod illorum opera non adsequerentur: et, quo minore negotio rem perficerent, de bello Mithridatico interea silentium agebant.

IX. Ne sic tamen tenere propositum potuerunt. quum ei rogationi veteres cives praefractis animis resistierent, resque interdum ad fustes et saxa pervenisset, L. Sulla ad opem reipublicae ferendam, ab Italici belli conficiendis reliquiis, alieno tempore avulsus est. Vehementer enim accisae sociorum vires erant. Lamponius tantum et Cleptius cum parte Lucanorum erant in armis: Samnitesque et Sabelli Nolam et vicina Nolae retinebant. Igitur Sulla profectus jam ad exercitum, qui Nolam obsidebat, fuerat: receptisque plerisque circa praesidiis, haud procul fine belli aberat. *Sulla ab Italico bello abstractus.*

X. Sed, urbano tumultu excitatus, accurrit Romam, ut collegam tribunitiis furoribus repugnantem adjuvaret. Consilio tamen magis, quam viribus, grassari placuit: ne patriae incumbentem pestem, si arma corripuissent, alia peste viderentur repellere. Igitur, justitio in dies aliquammultos indicto, hoc agebant, ut comitia differendo legis impediendae idoneam aliquam occasionem tempus suggereret. *Romam accurrit.*

Cap. VII. Vell. 2. 18. Ascon. in Corn. Liv. Epit. Cap. VIII. Rhetor. ad Herenn. 2. 28. Appian. Cap. IX. Joann. Antioch. Isodor. l. 37. Vell. 2. 17. Diod. Cap. X. Plut. Sull. c. 16. Appian.

proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est. Mithridates, Ponti rex, Bithynia et Cappadocia occupatis, et pulso Aquillio legato, Phrygiam, provinciam populi Romani, cum ingenti exercitu intravit.

scio, quas editiones Appiani secuti fuerint: nam in aliis est Ἀκύλιος. Plinius 33. H. Nat. 3. et Appian. in Mithrid. pag. 148. eum auro liquefacto in os infuso a Mithridate necatum tradunt. Vellejus 2, 18. auctor est, eum Mithridati, post edictum illius per Asiam de occidendis Italicis, a Mithylenaeis vinctum traditum fuisse. In Diodori Sic. Excerpt. Peiresc. pag. 401. scriptum est, eodem tempore Aquilium adolescentem, qui cum aliis Mitylenas confugerat, a Mitylenaeis vinctum, ut Mithridati dederetur, sibi mortem conscivisse. Quod in hac narratione tempus, locus, et auctores hujus facinoris eadem sunt, quae apud Vellejum, suspicionem aliquam erroris Diodori injicere potest. Sed tamen fieri potuit, ut eodem tempore duo Aquillii Mitylenas venerint: etsi non satis apparet, quomodo, qui vinctus erat, sibi manus inferre potuerit. DUK. *expulso Aquilio* Lov. 2. De hoc errore vide ad 38, 49, 4. de orthographia vocis *Aquillius* ad 2, 4, 1. Paullo ante *occupata*, pro *occupatis*, Berg. sed eam vocem integram ignorat Lov. 2. qui etiam in seq. omittit praepositionem *cum*. Eam abesse posse, docent, quae notantur ad Livii, 1, 14, 7. et alibi. Invitis tamen reliquis codd. non videtur expungenda esse. Vell. Pat. 2, 39. *Gallias intratas cum exercitu saepe et adfectavimus, et amisimus.*

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLII.

IN LOCUM LIBRI LXXVII. T. LIVII.

I. L. Sulla, Q. Pompejo consulibus, provinciarum ea ratio quum esset inita, ut Sulla, qui tum adhuc Romae erat, simul per res Italicas posset, Asiam et Mithridaticum bellum cum exercitu, quem hactenus duxerat, provinciam haberet: P. Sulpicius tribunus plebis, perniciosis legibus ferendis, priusquam vetus illud consopitum incendium esset, etiam foedius aliud atque horribilius, auctore Mario, conflavit. Quippe C. Marius, (ut est insatiabile honorum et potentiae humanum ingenium, quoties, ratione contempta, cupiditatum imperio regitur) post amplissimos triumphos et consulatum sexies gestum, miserum se putabat, si in tanta populi Romani fortuna quidquam ad laudem eximium cuiquam alteri relinqueretur. Atqui jam et bellis et bellorum praemiis vigorem annosque consumpserat; gravis corpore, etiam nuper imperio ob senectutis incommoda abdicato.

U. c. 664. A. C. 88.

P. Sulpicius tribunus plebis.

II. Igitur, dum conficiendis socialis belli reliquiis Sulla consul in Campania distinetur, C. Marius Asiaticae laureae desiderio P. Sulpicium Rufum impellit, ut ademptam Sullae provinciam sibi decernat. Erat alioqui in magna invidia consul, quod, uxore Coelia per caussam sterilitatis dimissa, Caeciliam duxerat, Q. Metelli pontificis maximi filiam. id multi nobilium aegre ferebant, et populus indignabatur. tanta erat ejus feminae aestimatio, ut hujus matrimonio judicarent indignum, quem dignissimum consulatu judicaverant. Hac animorum inclinatione Marius cum Sulpicio uti cupiebant, infaustis ominibus, et ad graviora

Ademptam Sullae provinciam Mario decernit.

Cap. I. Vell. 2. 18. Appian. Civil. l. 1. Joann. Antioch. apud Vales. Liv. Epit. Plut. Mar. et Sulla. Diod. apud Val. Plut. Cap. II. Eutrop. Vell. Joann. Antioch. Plut. Sull. c. 13. Oros. 5. 19. Appian. Plut.

U. c. 664. A. C. 88.

C. Marii adolescentis periculum.

XXIX. At Marius, post fugam ex urbe desertus a turba, per tenebras in praedium quoddam, quod habebat in Solonio, qui campus est agri Lanuvini, se conjecit. Unde quum filium ex vicinis agris Q. Mucii auguris, cujus ille filiam duxerat, necessaria petere jussisset, Ostiam descendit, repertoque navigio, quod unus amicorum Numerius paraverat, cum privigno Granio, filii reditum non exspectans, abnavigavit. Interim adolescens imminens exitium fide et astu villici evasit. Quum enim eum in praedio Muciano deprehendisset dies, ad comprehendendum eum suspicione ducti equites properabant. Ibi enim latere Marios posse propter adfinitatem rebantur, et quia Mucius hostem Marium judicare noluerat. quod ejus nobile factum non est silentio praetereundum.

Q. Mucii constantia.

XXX. Quum L. Sulla victor armatis circumdedisset curiam, eoque C. Marium hostem decerni cupienti nemo auderet negare, solus Q. Mucius sententiam dicere noluit. Atque, mitius instante Sulla, *Non ita*, inquit, *gladios tuos extimesco, ut propter has senilis sanguinis tenues reliquias hostem judicare C. Marium sustineam, a quo Italiam et hanc urbem conservatas memini.* Hujus igitur villicus, nihil a fide heri animoque dissentiens, Marium adolescentem inter fabas abditum imposuit plaustro, bubusque junctis, per medios inimicos deportavit in urbem. sic acceptis ab uxore, quorum praecipuus tum usus erat, ante lucem ad mare pergit; et, quum forte solventes in Africam nautas invenisset, navem conscendit.

C. Marii senis errores et miseriae.

XXXI. Major patri Mario cum ventis et tempestatibus lucta fuit, ingruentibus in eum velut manu facta malis. Ferente vento litus Italiae legens Terracinam evitare nautas jussit, Geminium, cujus ibi magnae opes erant, timens, inimicum hominem, et Sullanis partibus deditum. Ceterum, illis enixe parentibus, magna vis ventorum a mari coorta navigium procellis, et ipsum nausea sic fatigavit, ut vix apud Circejos applicare posset. Ibi ob tempestatis saevitiem, et quia deficiebant commeatus, exscensio facta est. sed anxiis et in momenta temporum extrema quaeque exspectantibus, incerta omnia intutaque.

Cap. XXIX. Plut. Mar. c. 58. Cic. de Divin. 1. 36. Plut. Val. Max. 3. 8. Cap. XXX. Plut. Liv. Epit. Cap. XXXI. Plut.

genium etiam facundiamque a bonis initiis et rectissima voluntate ad ancipitia et prava transtulisset. Praecipuae Sulpicii actiones erant, *ut exsules, quibus causam dicere non licuisset, revocarentur; novi cives libertinique distribuerentur in quinque et triginta veteres tribus; et* cujus gratia cetera fiebant, *C. Mario Mithridaticum bellum decerneretur.* U. c. 664. A. C. 88. *Exsules reduci postulat.*

VIII. Sed, exsules ne reducerentur, ipse nuper intercesserat: jam immutata voluntate, verba cavillando eamdem legem referebat, *non exsules a se reduci, sed vi ejectos*, dictitando. quasi non iidem essent, utro nomine appellarentur: aut quasi de vocibus, non de rebus, controversia in republica esset. Libertinos autem, et qui modo de sociis facti cives fuerant, ideo distribui in veteres tribus volebat, ut plus in suffragiis illorum roboris esset. quippe homines callidi, si hos, numero veteribus civibus facile superiores, jure aequassent, nihil fore existimabant, quod illorum opera non adsequerentur: et, quo minore negotio rem perficerent, de bello Mithridatico interea silentium agebant.

IX. Ne sic tamen tenere propositum potuerunt. quum ei rogationi veteres cives praefractis animis resisterent, resque interdum ad fustes et saxa pervenisset, L. Sulla ad opem reipublicae ferendam, ab Italici belli conficiendis reliquiis, alieno tempore avulsus est. Vehementer enim accisae sociorum vires erant. Lamponius tantum et Cleptius cum parte Lucanorum erant in armis: Samnitesque et Sabelli Nolam et vicina Nolae retinebant. Igitur Sulla profectus jam ad exercitum, qui Nolam obsidebat, fuerat: receptisque plerisque circa praesidiis, haud procul fine belli aberat. *Sulla ab Italico bello abstractus.*

X. Sed, urbano tumultu excitatus, accurrit Romam, ut collegam tribunitiis furoribus repugnantem adjuvaret. Consilio tamen magis, quam viribus, grassari placuit: ne patriae incumbentem pestem, si arma corripuissent, alia peste viderentur repellere. Igitur, justitio in dies aliquammultos indicto, hoc agebant, ut comitia differendo legis impediendae idoneam aliquam occasionem tempus suggereret. *Romam accurrit.*

Cap. VII. Vell. 2. 18. Ascon. in Corn. Liv. Epit. Cap. VIII. Rhetor. ad Herenn. 2. 28. Appian. Cap. IX. Joann. Antioch. Diodor. l. 37. Vell. 2. 17. Diod. Cap. X. Plut. Sull. c. 16. Appian.

U. c. 664. A. C. 88.

C. Marii adolescentis periculum.

XXIX. At Marius, post fugam ex urbe desertus a turba, per tenebras in praedium quoddam, quod habebat in Solonio, qui campus est agri Lanuvini, se conjecit. Unde quum filium ex vicinis agris Q. Mucii auguris, cujus ille filiam duxerat, necessaria petere jussisset, Ostiam descendit, repertoque navigio, quod unus amicorum Numerius paraverat, cum privigno Granio, filii reditum non exspectans, abnavigavit. Interim adolescens imminens exitium fide et astu villici evasit. Quum enim eum in praedio Muciano deprehendisset dies, ad comprehendendum eum suspicione ducti equites properabant. Ibi enim latere Marios posse propter adfinitatem rebantur, et quia Mucius hostem Marium judicare noluerat. quod ejus nobile factum non est silentio praetereundum.

Q. Mucii constantia.

XXX. Quum L. Sulla victor armatis circumdedisset curiam, eoque C. Marium hostem decerni cupienti nemo auderet negare, solus Q. Mucius sententiam dicere noluit. Atque, mitius instante Sulla, *Non ira*, inquit, *gladios tuos extimesco, ut propter has senilis sanguinis tenues reliquias hostem judicare C. Marium sustineam, a quo Italiam et hanc urbem conservatas memini.* Hujus igitur villicus, nihil a fide heri animoque dissentiens, Marium adolescentem inter fabas abditum imposuit plaustro, bubusque junctis, per medios inimicos deportavit in urbem. sic acceptis ab uxore, quorum praecipuus tum usus erat, ante lucem ad mare pergit; et, quum forte solventes in Africam nautas invenisset, navem conscendit.

C. Marii senis errores et miseriae.

XXXI. Major patri Mario cum ventis et tempestatibus lucta fuit, ingruentibus in eum velut manu facta malis. Ferente vento litus Italiae legens Terracinam evitare nautas jussit, Geminium, cujus ibi magnae opes erant, timens, inimicum hominem, et Sullanis partibus deditum. Ceterum, illis enixe parentibus, magna vis ventorum a mari coorta navigium procellis, et ipsum nausea sic fatigavit, ut vix apud Circejos applicare posset. Ibi ob tempestatis saevitiem, et quia deficiebant commeatus, exscensio facta est. sed anxiis et in momenta temporum extrema quaeque exspectantibus, incerta omnia intutaque,

---

Cap. XXIX. Plut. Mar. c. 58. Cic. de Divin. 1. 36. Plut. Val. Max. 3. 8. Cap. XXX. Plut. Liv. Epit. Cap. XXXI. Plut.

lis alterius fugam, alterius periculum, dominantes in urbe nostra, quos priore anno in adversa acie stantes ferro ac virtute vicimus, vos juxta mecum intoleranda judicatis: quid fieri in rem nostram publicamque sit, consideremus. U. c. 664. A. C. 88.

XIV. *Sed mature decreto opus est, donec consultare communiter et agere, quae volumus, licet. Si enim nescitis, mihi bellum Mithridaticum, vobis ego imperator eripior. C. Mario traditimini, nisi tamen vos ille fastidiat, et alterum exercitum mupero commilitio notiorem malis. Atqui provinciam illam, et has legiones senatus mihi dederat: et ego jam ad trajiciendum omnia paraveram, laetus et festinans, non ut mihi tantum gloriam triumphumque ex veris hostibus quaererem, sed etiam ut vobis aliquando referrem gratiam; vosque, ut exantlatis me duce pro republica laboribus, Asiaticarum opum larga et facili copia diterem, quo reliquam deinceps aetatem in otio locuplete et honorato degeretis. Sed haec et alia nobis ereptum eunt injustissimi mortales. quod si vobis volentibus est, doleo et quiesco: si, quod jure datum est, per injuriam auferri non finitis, non me subtraham vobis ducem. ad capessenda jussa prompti paratique este.* *Mature vult consilium capi.*

XV. Ad haec verba, quamquam nihil apertius de proposito suo dicere erat ausus, succlamatum a militibus est, facile, quid vellet, interpretantibus, *bono esset animo, et recta duceret ad urbem.* Nec enim imperatoris tantummodo vicem dolebant, sed de sua quoque erant solliciti, ne forte Marius ad bellum, ut rebantur, facile et quaestuosum alio potius exercitu teretur. Igitur tribunos a Mario praemissos lapidibus cooperiunt: signisque correptis properant Romam. *Milites ad urbem jubent ducere.* *Tribunos a Mario praemissos lapidibus obruunt.*

XVI. Ibi quoque populus inquietus et discors agebat, aliis unicum ducem Marium efferentibus in coelum; aliis ad curandum corpus, senio et morbis confectum, Bajas faceffere jubentibus. Nam in Misenensi villam C. Marius posuerat: quam postea L. Lucullus centies sestertio emit. Sed Marius, ut se vegetum paremque militiae muniis ostenderet, quotidie in Campo inter juvenes exercebatur: miserantibus multis, qui perspiciebant, quam inane ob praemium vir, ab ima sorte ad summam provectus, post septuagesimum aetatis annum, inhabile propter

Cap. XV. Plut. Sull. et Mar. Val. Max. Cap. XVI. Jun. Ant. Plut. Mar. Plin. 18. 6. Plut. Vell. Plut.

U. c. 664. A. C. 88.

C. Marii adolescentis periculum.

XXIX. At Marius, post fugam ex urbe desertus a turba, per tenebras in praedium quoddam, quod habebat in Solonio, qui campus est agri Lanuvini, se conjecit. Unde quum filium ex vicinis agris Q. Mucii auguris, cujus ille filiam duxerat, necessaria petere jussisset, Ostiam descendit, repertoque navigio, quod unus amicorum Numerius paraverat, cum privigno Granio, filii reditum non exspectans, abnavigavit. Interim adolescens imminens exitium fide et astu villici evasit. Quum enim eum in praedio Mucciano deprehendisset dies, ad comprehendendum eum suspicione ducti equites properabant. Ibi enim latere Marios posse propter adfinitatem rebantur, et quia Mucius hostem Marium judicare noluerat. quod ejus nobile factum non est silentio praetereundum.

Q. Mucii constantia.

XXX. Quum L. Sulla victor armatis circumdedisset curiam, eoque C. Marium hostem decerni cupienti nemo auderet negare, solus Q. Mucius sententiam dicere noluit. Atque, mitius instante Sulla, *Non ira*, inquit, *gladios tuos extimesco, ut propter has senilis sanguinis tenues reliquias hostem judicare C. Marium sustineam, a quo Italiam et hanc urbem conservatas memini.* Hujus igitur villicus, nihil a fide heri animoque dissentiens, Marium adolescentem inter fabas abditum imposuit plaustro, bubusque junctis, per medios inimicos deportavit in urbem. sic acceptis ab uxore, quorum praecipuus tum usus erat, ante lucem ad mare pergit; et, quum forte solventes in Africam nautas invenisset, navem conscendit.

C. Marii senis errores et miseriae.

XXXI. Major patri Mario cum ventis et tempestatibus lucta fuit, ingruentibus in eum velut manu facta malis. Ferente vento litus Italiae legens Terracinam evitare nautas jussit, Geminium, cujus ibi magnae opes erant, timens, inimicum hominem, et Sullanis partibus deditum. Ceterum, illis enixe parentibus, magna vis ventorum a mari coorta navigium procellis, et ipsum nausea sic fatigavit, ut vix apud Circejos applicare posset. Ibi ob tempestatis saevitiem, et quia deficiebant commeatus, exscensio facta est. sed anxiis et in momenta temporum extrema quaeque exspectantibus, incerta omnia intutaque,

---

Cap. XXIX. Plut. Mar. c. 58. Cic. de Divin. 1. 36. Plut. Val. Max. 3. 8. Cap. XXX. Plut. Liv. Epit. Cap. XXXI. Plut.

secundi, deinde tertii ab urbe legati venerant, quibus caussam consilii tam praecipitis requirentibus, idem responsum omnibus datum: *ad liberandam tyrannide patriam iri.* postremo tamen adjecit, *si senatus cum Mario et Sulpicio descendere in campum Martium velit, nihil se, nisi de communi sententia, acturum esse.* U. c. 663. A. C. 89.

XX. Sed Marius Sulpiciusque, neque fidei se inimici credere ausi, neque satis parati ad resistendum, novam senatus nomine legationem mittunt; cujus haec mandata fuere: *Neminem magis, quam ipsos consules, scire, quantopere semper senatus laborasset, uti amborum, et praecipue L. Sullae, pro praestantissimis in rempublicam meritis, quam amplissima dignitas foret. Ceterum eam esse conditionem Romae, ut saepe contra voluntatem senatus populi jussa valeant: praesertim ubi propter metum majoris mali prudentissimus quisque concedendum temeritati multitudinis putet. Id adeo nuper etiam accidisse, iis ferendis legibus, a quibus haud minus reliqui Patres, quam consules ipsi, abhorreant.* *Aliorum legatorum oratio.*

XXI. *Verum enimvero in libero populo multa ferenda esse potentioribus, donec arte et occasione corrigantur. Ita Gracchorum olim, ita postea Saturnini rogationes, quae, ferventibus populi studiis, nulla vi potuissent impediri, tempore capiato citra tumultum abolitas esse. Idem nunc quoque fieri posse de iis, quorum iniquitate se laesum consul Sulla conqueratur.* *Culpam in plebem conferunt.*

XXII. *Nihil antiquius esse senatui, quam ut, inter claros et potentes viros quae inciderint, controversiae citra publici status periculum ex aequo et bono componantur. Eumdem animum et C. Marium, et P. Sulpicium prae se ferre, nec dubitari, quin par maneat et consulibus in communem patriam pietas. Nihil opus esse armis, ubi civili modestia transigi melius possit: nec adhuc admissum tam inexpiabile quidquam, ut ad extremae desperationis auxilia veniri oporteat. Tempore tantummodo et modica patientia rem indigere. Igitur hoc unum deprecari Patres, ne per praecipitem iracundiam omnis concordiae spes abjiciatur. Omnia conventura, modo hanc dent consules senatui veniam, ut ne propius quinque millia passuum ab urbe castra metentur: donec Patres conscripti consultare amplius de praesentibus possint.* *Rem componi posse dicunt.*

XXIII. Ad Pietas haec agebantur. id tabernis nomen erat, ad quintum decimum ab urbe lapidem via Lavicana sitis. Ibi responsum a Sulla legati abstule- *Sullae fallax responsum.*

Cap. XXIII. Plut. Sull. c. 18.

U. c. 664. A. C. 88. cum lacrumis sene, domini navis, postquam diu fluctuassent animis, negarunt se ejicere virum posse.

Deinde relinquitur expositus. XXXV. Deinde, ubi cum atrocibus minis equites citi recesserunt, iterum immutata mente, ad Liris amnis ostia prope terram jecerunt ancoras; hortatique Marium, ut ad cibum capiendum, corpusque rectius curandum tot adflictum incommodis, in terram exscenderet, donec, qui stata hora flare debebat, ventus surgeret, sublatis velis in gramine accumbentem reliquerunt. Ita, derelictus ab omnibus hominibus, diu in litore sine voce jacuit. Postquam aegre se recollegit, per invia et uliginosa loca, oppletasque coeno et aquis fossas defecta membra trahens, tandem ad tuguriolum venit, in quo senex quidam, paludibus purgandis operam dare solitus, habitabat. Ad hujus pedes se abjiciens obtestabatur, *servator atque adjutor esse vellet hominis, si praesentem tempestatem effugisset, majora opinione praemia redditurum.* Ille, sive olim visum recognoscens, sive ex adspectu virum haud vulgarem judicans, placide respondit: *si quidem quietis egeret, posse tugurio uti; sin vero inimicos aliquos fugeret, monstraturum se aptiorem latebris locum.*

In paludem immersus capitur. XXXVI. Ibi dum juxta profluentem, in cava ripa, multa arundine levibusque sarmentis contectus sedet, subito ad aures accidit clamor, increpantium senem, et, ubi Marium abscondisset, jubentium ostendere. Nam quosdam eorum, qui a Geminio ad retrahendum Marium quoquoversum emissi fuerant, ad illud tuguriolum casus detulerat. Is tumultus hominem proditionis certum subegit, ut, exutis vestibus, in paludem se immergeret, oculis tantummodo ac naribus exstantibus. Sic repertus extractusque, ut erat nudo corpore, limo coenoque deformis, injecto in collum loro, Minturnas rapitur: et, dum, quid facto opus esset, magistratus deliberant, custodiendus ad aedes Fanniae mittitur, quae ob veterem offensam irata Mario putabatur.

Benevole tractatur a Fannia. XXXVII. Nam sexto ejus consulatu repudiata a C. Titinnio Minturnense caussam dixerat. Titinnius ampla dote spoliare cupiverat mulierem, impudicitiae crimine objecto. Sed Marius, caussa cognita, *Fanniam impudicam videri* pronunciavit, mulctamque ei dixit sestertium nummum: Titinnio praecepit, *ut do-*

Cap. XXXV. Appian. Plut. Cap. XXXVI. Liv. Epit. Vell. 2. 19. Plut. Val. Max. 8. 2.

et, ut fit in magno metu, praesentia quaeque molestissima videbantur. Terram hostilem vitarent; inimicum erat mare: occursum metuerent hominum ob pericula; non minus metuendae ob penuriam solitudines erant. Sero in bubulcos pauces incideruntqui dare quidem nihil poterant egentes egentibus, sed agnitum Marium celeriter jubebant se subducere: *paulo enim ante magnam adfuisse equitum manum, quae illum quaereret.* U.c. 664. A.C. 88.

XXXII. Plurima tum malorum imago circumstebat hominem. nudus, desertus, inops, inter mortis et contumeliarum adsiduos terrores, Italiam, quam honoribus imperiisque suis toties ornaverat, semel iteramque defenderat, ut hostilem terram fugere cogebatur. Jamque etiam comites taedio et inedia fatiscebant: quum, omissa militari via, in profundum nemus secessit.

XXXIII. Ibi quum aerumnosam sane noctem exegisset, cogente inopia, et corpore, donec aliquid superesset virium, usurus, secundum litus incessit, adhortans comites, *ne deficerent animis, neve spes suas extremas et promissa numinum immatura mollitie corrumperent. Sibi enim, quum ruri adolescentulus ageret, id ostentum evenisse, ut septem pulli aquilini cum ipso nido in sinum decidere: parentibusque suis consultos haruspices respondisse, fore se mortalium omnium clarissimum, summumque imperium uti septies capessat, fatale esse.* Id quidem saepe jactasse Marium in confesso est: rei vero fidem naturae avium periti derogant, negantes aquilam plura duobus ova parere. Sed tamen id, vere seu falso expositum, Mario tum temporis profuit, ut ad extrema omnia spem animosque comites sui durarent. *Marius hortatur comites.* *Ostentumque sibi obtulum narrat.*

XXXIV. Sed, ubi ad passus bis mille quingentos Minturnis abfuerunt, simul equitum alam ad se tendentem eminus conspexere, simul duas naves onerarias prope litus, per quod incedebant ipsi, vela facientes. igitur ad has citato cursu delati, projectis in mare corporibus, adnatant. Et Granius quidem, altera navium exceptus, in Aenariam insulam trajecit. Marius corpore gravior, multo duorum servorum labore vix sublevatus, et in alteram impositus est. Jamque aderant equites, et nautas clamore cientes appellere jubebant, aut saltem, praecipitato in aquas Mario, quo instituissent cursum, pergere. Sed, supplicante *A praetervehentibus suscipitur.*

Cap. XXXIII. Appian. Plut.

U. c. 664. A. C. 88.

XL. Sed properantibus obstabat religio, quod per lucum Maricae, quam et *Circeu* frequentius vocant, ad mare iter erat, quem praecipuae sanctitatis Minturnenses habebant, neque fas putabant efferri quidquam earum rerum, quae semel eo illatae forent. Sed ceterorum dubitationem unius senis alacritas solvit: qui, *nihil irreverens, aut ingratum Diis esse* clamitans, *quod ad C. Marii salutem pertineret*, cum parte rerum, quae ad mare portabantur, per lucum primus evasit. Fingenda deinde curavit ista Marius, tabulamque votivam in fano Maricae suspendit. Sic in perparvum impositus navigium, lacrumis, votis, omnibusque prosequente Minturnense populo, evitatis, quantum poterat, terris portubusque omnibus, vela in altum fecit.

Dimittitur a Minturnensibus Marius.

In Africam navigat.

XLI. Forte ad insulam Aenariam delatus, quum ibi Granium et nonnullos amicorum reperisset, una in Africam cursum intenderunt. Sed, quia penuria aquae laborabant, in agro Erycino Siciliae fecerunt exscensionem. Ibi quaestoris Romani cura dispositi equites propemodum egredientem navi Marium excepere. Aquatores ferme sexdecim interfecti sunt. Marius, propere soluto navigio, Meningem tenuit, Africae insulam, quae hodie *Gerbarum* vocabulo est notior.

In Karthaginiensem agrum transit.

XLII. Hic de filio suo cognoscit, *illum, cum P. Cethego salvum, ire ad Hiempsalem*, sive *Mandrestal* is fuit: cui patrive ejus Numidiae partem, capto Jugurtha, Marii maxime opera senatus dederat. Hinc, recepto nonnihil animo, statuit in Karthaginiensem agrum transmittere. Ibi, quum in locis solitariis vastisque sederet, venit ad eum lictor Sextilii, qui tum Africam pro praetore obtinebat. De hoc Marius, neutram in partem meritus, humanitatis tamen aliquod officium exspectabat. At lictor *decedere eum provincia* jussit: *ni malit in se, ut hostem ab senatu judicatum, decerni*: torveque intuentem et vocem nullam emittentem Marium rogavit tandem, *ecquid renunciari praetori vellet?* Ibi Marius, *Nuncia*, inquit, *vidisse te C. Marium exsulem, in Karthaginis Magnae ruinis sedentem*: duobus clarissimis exemplis inconstantiam rerum humanarum praetoris animo figurare non inepte conatus.

Cap. XL. Lactant. 1. 21. Hor. Carm. 3. 17. et ibi interp. Strabo, l. 5. p. 233. Plut. Cic. pro Sext. Cic. pro Planc. c. 10. Cic. pro Sext. Cap. XLI. Appian. Plut. Cellar. Geogr. Ant. l. 4. Cap. XLII. Plut. Appian. Cic. post Redit. ad Quir. c. 8. Plut. Appian. Plut.

XLIII. Hic ad eum cum Cethego filius venit, Albinovanusque, et ceteri exsules. ii Numidarum dolos, non sine digno, qui notetur, casu, evaserant. Marium adolescentem miris in speciem officiis colebat regulus. sed, quia discedere cupientem morabatur crebrius et apertius, quam ut per benevolentiam facere credi posset, suspicionem illi, et ex hac ardentius abeundi desiderium injecit. Igitur ob formam a pellice regia dilectus, quum ejus amorem aversatus eousque fuisset, tum amplexus occasionem est, eaque juvante cum amicis fuga capta, ad patrem penetravit. U. c. 664. A. C. 88. *Marius adolescens Numidarum dolum evadit.*

XLIV. Magna erat gratulatio, quod post ancipites tot casus, qui de se suisque saepius utrimque desperassent, salvi sospitesque se vicissim intuerentur. Inter hanc dum in litore obambulant, forte scorpiones inter se pugnantes Marius pater videt. Erat ille vir huic stultitiae generi deditus, et, ut facile est delirantibus artem ex errore facere, valere se talia interpretandi calliditate putabat. Igitur, aversatus hostilitatis omen, non distulit conscendere piscatorium navigiolum, et cursum in Cercinam dirigere. Et opinionem prudentiae ejus sors velut dedita opera confirmavit. Vix in altum evecti erant, quum missos a Numida vident equites eo ipso in loco vagantes, unde navem conscenderant. Sic inter Africi maris insulas, quia plus insidiarum in continente timebat, quod reliquum erat hiemis, C. Marius exegit. *Et ad patrem redit.*

XLV. Dum ad hunc modum inimicus L. Sullae terra marique jactatur; ipse, rerum omnium potens, statum civitatis ordinabat, non victoris insolentia, sed propemodum ad justum legitimumque modum. Igitur et aeris alieni perplexam atrocemque controversiam, quae nupor ad praetoris Romani necem pervenerat, ex aequo bonoque lata lege unciaria decidit. Ejus legis quum argumentum lateat, nomen esse videtur indicio, duodecimam debiti partem remissam debitoribus fuisse. *L. Sulla rempublicam ordinat.*

XLVI. Comitia deinde, priusquam proficiscereturin provinciam, habuit: in quo negotio mansuetum se praebuit, et omnimodis popularem. Nam et Nonium sororis filium, et Ser. Sulpicium, quamquam subnixi sua commendatione essent, ignominiose re- *Comitia habet.*

Cap. XLIII. Appian. Plut. Cap. XLIV. Val. Max. 1. 6. Plut. Appian. Cap. XLV. Liv. Epit. Festus, voce *Unciaria*. Cap. XLVI. Plut. Sull. c. 19.

U. c. 664. A. C. 88. pulsos civiliter tulit: *jucundum sibi esse* dictitans, *videre populum, libertate recepta vel contra auctores beneficii utentem.*

Consulem L. Cinnam designari petitur.

XLVII. Consulem quoque L. Cinnam designari passus est, licet iniquum sibi, et partibus adversum sciret. Jurejurando tamen adegit nihil novaturum: isque in Capitolio, multis praesentibus, silice lapide comprehenso, *si fulleret*, precatus Deos fuerat, *ita se quoque projectum vellent*, cum dicto lapidem emittens manu. Sed et collegam ei Cn. Octavium addidit, compertae modestiae virum, cujus maturitate Cinnam, si ruere coepisset, sperabat retineri posse. His ita curatis, consulari potestate contentus, praemisso ad Capuam exercitu, coloniis per Italiam deducendis operam dedit.

Adversa factio res novas molitur.

XLVIII. Sed adversa factio, ubi cessare metum armorum videt, ad pristinum consilium revoluta, locupletes praesertim et feminae quaedam praedivites, nihil non, ut exsules restituerent, moliebantur. Et jam consulum vitae dicebantur insidiae fieri, quod iis se salvis tenere posse propositum inimici non putabant. Sed Sulla, belli Mithridatici decreto imperio, tutior ab ejusmodi periculo videbatur: Q. Pompeji miseratio subibat animis, quod is nihil ad praevalidas reprimendas inimicitias virium habebat. Ideo provincia ei Italia cum exercitu, qui tum sub Cn. Pompejo proconsule merebat, populi jussu datur.

Consul Q. Pompejus ab exercitu occiditur.

XLIX. Offendit ea res Cnaeum, et, ut novo nec antea audito sceleri praeberet exemplum, incitavit. hoc enim primum anno consulis Romani sanguine polluta castra imbutaeque militum manus sunt. Quippe consul Pompejus, ad accipiendum exercitum profectus, et intra vallum acceptus, quum postridie concionem haberet, cedente in speciem proconsule, satis laeta habere initia imperii visus est. sed mox, majore turba quasi audire concionantem cupientium concurrente, ab iis, quos ad caedem proconsul subornaverat, quum sacrificare jam inciperet, interfectus est.

Cn. Pompejus exercitum recipit.

L. Proconsul, diffugiente consulis comitatu, tamquam nescius omnium, tulit se obviam, et, re scilicet cognita, graviter increpuit tanti sceleris auctores. sed statim rediit cum iis in gratiam, receptoque imperio, non est passus dubitari, cujus ope consilioque interceptus consul foret. Neque senatus vin-

Cap. XLVII. Diod. apud Vales. Plut. Appian. Liv. Epit. Cap. XLVIII. Appian. Cap. XLIX. Vell. 2. 20. Liv. Epit. Appian. Val. Max. 9. 7. Cap. L. Appian.

dicavit: majore talibus temporibus castrorum, quam curiae, potentia. Hac re comperta, consul Sulla intentiorem corporis sui custodem egit, numquam non fido septus amicorum, etiam per noctem, praesidio. Neque diu moratus, Capuam ad exercitum profectus, militibus commeatuque et ceteris bello necessariis in classem impositis, ad Mithridaticum bellum navigavit. U. c. 664. A. C. 88.

LI. Neque res Asiaticae adventum ejus parum desiderabant: ita tempore et occasione Mithridates utebatur. Huic regi tum in se magnifica erant omnia, tum, quae sibi dare nemo potest, fortuna providerat. Opes atque potentiam illustrabat genus a septem Persis illustri serie deductum, et Artabanes regni conditor. Sed praecipue auctoritatem ei parabant prospera et magna belli primordia, quod tanta in eo vis esse videretur, ut, quum primum inciperet moveri, tota regna, nullo magnopere adhibito conatu, raperet. Neque majus aliud ad movendam quolibet inclinationem animorum instrumentum est, quam commodo conatorum eventu parta felicitatis fama. *Mithridatis potentia.*

LII. Igitur, fortunae instandum ratus, post victum a suis Nicomedem, ex Amaseno campo, ubi auxilia variarum gentium recensuerat, per Paphlagoniam incessit, centum quinquaginta millium exercitum ducens. Inde expulso obiter Pylaemene rege, ad Scoroba montem, ubi Bithyniae Pontique confinia sunt, deflexit. *Mithridates Paphlagoniam occupat.*

LIII. Non longe abhinc M'. Aquillius castra posuerat, et post infelix proelium cum reliquiis suorum Nicomedes. Ibi ex praecursoribus centum omnino Sarmatae, quae acerrima equestribus proeliis gens est, octingentos Nicomedis equites nacti, profligant Bithynos, quosdamque eorum captos adducunt ad regem. Ille ex priore instituto hos quoque viatico dato dimittit in patriam. Ita vim aliis Pontici regis, militumque virtutem, aliis clementiam praedicantibus, quum ab utraque caussa popularium animis Nicomedes diffideret, non exspectato Mithridatis adventu, versus L. Cassium retrocessit. *Nicomedem fugat.*

LIV. Manius, fuga Bithynorum nudatus, quum solus resistere tantis copiis non posset, in tutiora loca cogitabat recedere. sed eum Neoptolemus, Mithri- *M'. Aquillium vincit.*

Cap. LI. Flor. 3. 5. Polyb. 5. 43. Auctor de viris illustr. Sallust. apud L. Ampel. Cap. LII. Memnon apud Phot. Oros. 5. 2. Eutrop. Appian. Mithrid. Cap. LIII. Tac. Hist. 1. 79. Appian. Cap. LIV. Memnon. Appian.

U. c. 664. A. C. 88.

datis purpuratus, cum Armenio Menophane, sub horam diei septimam, adsequuti pugnare coëgerunt. Habebat sub signis equitum quatuor millia, peditum decuplum. sed, victus ab hostibus, ferme decem millia militum in proelio amisit: ceterae copiae dissipatae in diversa abierunt. Aquillius, ad Sangarium flúvium fuga delatus, licet jam nox tegeret terras, transmisso statim flumine, postea Pergamum venit. Castra quoque ejus capta sunt. Sed Mithridates, captivos, sicut antea facere consueverat, quum Asiatici essent, comiter alloquutus, cum vestibus et viatico ad suos quemque redire passus, tantum excivit benevolentiae, ut certatim ad eum omnia deficerent; legatique magno numero accederent, decreta civitatum adferentes, quibus regem ad se vocabant, *Deum atque Servatorem* appellantes: et, quocumque venisset, obviam effusis, cum splendida veste omnibus ordinibus, summa laetitia excipiebatur.

Romanis non ultra resistentibus.

LV. Neque Cassius, et Nicomedes, et qui alii legatorum Romanorum iis locis erant, inhibere impetum properantis, aut opponere se ruenti Asiae audebant: frustraque tentatis Phrygum auxiliis, quum homines ad militiam ineptos exercere irrito labore instituissent, dimiserunt omnes, et a castello Phrygiae, quod Leonum appellant caput, (eo enim propter munitionem loci convenerant) diversi abierunt. Cassius Apameam reduxit suos; Nicomedes Pergamum, Mancinus Rhodum ire constituit. A Pergamo Nicomedes, ut conspectu suo plus moveret senatum, in Italiam navigavit. Hoc ubi auditum est iis, qui occludendis Pontici maris faucibus ad Byzantium excubabant, partim diffugerunt, alii majore flagitio naves quoque Nicomedis tradiderunt Mithridati.

Naves Nicomedis Mithridati traduntur.

LVI. Bithynia omni paucos intra dies recepta, rex Mithridates, civitates obiens, pecunias apparatumque belli ubique ab hostibus relicta colligebat. ceterum, quo clementius imperium speraretur, debita publica simul ac privata remittebantur. His ita ex praesenti usu ordinatis, vocatos in concionem milites accurata oratione ad virtutem cohortatus, intentos in signum profectionis esse jussit: omnibusque, uti voluerat, paratis, Phrygiam, Romani populi provinciam, cum ingenti exercitu irrupit, ominisque caussa, ubi quondam Magnus Alexander stativa habuisse dicebatur, castra posuit.

Cap. LIV. Diod. apud Vales. Justin. 38. 3. Cic. pro Flacco, c. 25. Cap. LV. Appian. Plut. Themist. c. 52. Appian. Strabo, l. 12. p. 562. Appian. Cap. LVI. Justin. 38. 3. Liv. Epit. Appian.

EPITOME

LIBRI SEPTUAGESIMI OCTAVI.

Mithridates Asiam occupavit: Q. Oppium proconsulem, item Aquillium legatum, in vincula conjecit: jussuque ejus, quidquid civium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. Urbem Rhodum, quae sola in fide permanserat, obpugnavit, et aliquot

Q. Oppium proconsulem] Eruditiss. Norissus Cenotaph. Pis. Diss. 2. cap. 11. pag. 211. Oppium *praetorem*, non *proconsulem*, fuisse sibi persuadet, eo quod Athenaeo 4, 14. et in Appiani Mithrid. pag. 184. στρατηγὸς vocatur. Non credo quidquam obstare, quo minus, qui Graecis στρατηγός, Latinis *proconsul* dicatur, quum praetor cum imperio consulari esse potuerit, quod putat Pighius ad A. V. ɔɔɔLXIV. Nec auctor Epitomes ex eo, quod Graeci Oppium στρατηγὸν vocant, erroris argui potest. Nam hi etiam eos, quibus post consulatum imperium prorogabatur, generali nomine στρατηγοὺς appellant. Sic Q. Metellus Numidicus proconsul in Exc. Peiresc. Diodori Sic. pag. 386. est στρατηγός, et Q. Mucius proconsul ibidem pag. 392. Et Appian. eodem lib. pag. 174. eum, qui pecunia corruptus Mithridati Phrygiam attribuerat, Romanorum τινὰ στρατηγὸν fuisse dicit. Eum autem fuisse M. Aquillium, qui, quum A. V. ɔɔɔXXIV. consul Asiam fortitus fuisset, deinde reliquias belli Asiatici ab Aristonico concitati confecit, ex oratione Sullae ad Mithridatem pag. 208. intelligitur. In quo tamen animadvertendus est error Appiani, quod Sullam Mithridati exprobrasse scribit, eum Phrygiam ab Aquillio emisse, quam patri suo praemium dati adversus Aristonicum auxilii a Romanis concessam ipse Mithridates apud Justin. 38, 5, 3. dicit; quod verius esse, etiam aetas illius ostendit. DUK. *Q. Appium* Voss. Boend. et ed. Camp. librariorum errore, etiam alibi ab iis commisso. V. ad 31, 2, 6. Ipse hic Oppius male Ἄππιος vocatur apud App. Alex. in Mithrid. pag. 131. ubi tamen interpres in versione Latina recte *Oppius*. Mox *una die* Boend. dissentientibus aliis. V. ad Liv. 28, 28, 9.

Quae sola in fide permanserat] *in fide manserat* Boend. *in fidem P. R. manserat* Exc. Pithoei. Forte igitur legendum *in fide populi Romani manserat*. Infra Epit. 81. *Magnesia*,

proeliis navalibus victus recessit. Archelaus, praefectus regis, in Graeciam cum exercitu venit; Athenas occupavit. Praeterea trepidationem urbium insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum Romanum civitates suas trahentibus, continet.

quae sola in Asia civitas in fide manserat. Liv. 21, 55. *Ea sola in fide manserat Gallica gens.* ubi alia vide. 38, 10. *Quum in fide Romanae societatis mansissem.* Ita *manere in foedere* 4, 8. *manere in auctoritate* 9, 14. *manere in amicitia* 23, 20. et 36, 12. *manere in pace* 30, 32. *manere in conditione* Cic. 7. ad Att. 15. *manere in eo, quod convenerat* Mela 1, 7. Reliqui codd. nihil mutant, quibus dicto audiens fui. Livius 32, 2. *De ceteris, si in fide permanerent, spes facta.* 42, 26. *Omnes sollicitatos legationibus Persei, sed egregie in fide permanere.* Flor. 4, 2, 17. *Nisi in fide permaneret, non se remittere exercitum.* ubi v. Cel. Dukerum.

Archelaus praefectus regis] *praefectus regni* Voss. Berg. Boend. Lov. 2. et ed. Camp. Voces illae et alibi a librariis confunduntur. V. Cort. ad Sall. Jug. 15, 5.

Trepidationem urbium, insularumque] Gud. *trepidationes.* J. FR. GRON. Similiter Boend. et ed. Camp. Tum *urbium, insularum* sine copula Berg.

JO-

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLIII.

IN LOCUM LIBRI LXXVIII. T. LIVII.

I. Mithridates, simul tantum aggredi bellum, vimque Romanam lacessere coepit, eo prosperitatis cursu est usus, ut proniora ei omnia, quam votis optare ausus esset, viderentur. Phrygiam et Mysos et minorem Asiam, nemine obsistente, percurrens, maximas urbes, opulentos populos, citra sudorem atque sanguinem recipiebat. Lyciam quoque ac Pamphyliam, et cetera ad Joniam usque, dimissis passim ducibus, occupavit. U. c. 664. A. C. 88. *Mithridatis res prosperae.*

II. Laodiceam, Lyco flumini impositam, Q. Oppio proconsule cum equitibus et mercede conductis tenente, praecone tantum ad moenia misso, in deditionem accepit. Laodicenses enim, offerri sibi veniam audientes, si Romanum ducem tradidissent, nihil cunctati, dimissis mercenariis, Q. Oppium comprehensum ad Mithridatem adduxerunt: ludibrio addito, ut lictores eum cum fascibus praecederent. Et hunc quidem rex cetera illaesum, vinculorumque immunem, quocumque pergeret, circumducebat, proconsulem Romanum a se captum civitatibus gentibusque obiter ostentans. *Laodicenses Q. Oppium regi dedunt.*

III. Sed in M.^ Aquillium, postquam et ille in manus ejus incidit, multa asperitate usus est: quod is et legationis Asiaticae, et belli contra Ponticos sumendi praecipuus auctor exstitisset. Hunc Mitylenis ex aegritudine decumbentem Lesbii, maximam a Mithridate inituri gratiam, si vivum traderent, robustissimos juvenum miserunt, a quibus comprehensus *Et Lesbii M.^ Aquillium.*

Cap. I. Appian. Mithrid. Liv. Epit. Flor. 3. 5. Appian. Plin. 5. 29. Cap. II. Appian. Liv. Epit. Appian. Cap. III. Liv. Epit. Appian. Diod. apud Val.

U. c. 664. A. C. 88. atque vinctus est. Alii quoque Romanorum eadem perfidia correpti: nisi quod unus adolescens hostilem saevitiam voluntaria morte antevertit. Quo magis crimini Manio datum, quod vir triumphalis et senex, vitae desiderio victus, extremae servitutis mala perferret. Rex enim vinculis et verberibus atque omni supplicio excruciatum asino miserum imposuit, secumque ducens in agmine, subinde, *Manium se esse*, proclamare coëgit: donec in Pergamenam urbem ventum est. ibi ut ipsi non modo, sed etiam universo nomini Romano, exprobraret avaritiam, aurum liquefactum in os ejus infudit.

Ephesii Romanorum statuas dejiciunt.

IV. Inde, praefectis ubique impositis, Mitylenen adiit. mox in Joniam usque processit, ac Magnesiae, deinde Ephesi gratanter exceptus est. Ephesii quum aliis rebus omnibus eximia in regem studia declararunt, tum etiam Romanorum, quas in urbe sua collocaverant, statuas everterunt: quo nomine non ita multo post acerbe mulctati sunt. Ex Jonia revertenti Stratonicea portas clausit, non ignobilis Cariae civitas. Igitur post deditionem pecuniam exegit ab oppidanis, praesidiumque imposuit.

Mithridates Monimam ducit.

V. Dum in his curandis occupatur, forte puellam egregiae formae conspicatus, Monimae nomen erat, Philopoemenis Milesii filiae, aureos ei quindecim millia dono misit, concubitum virginis expetens. Sed, illa pudicitiam divitiis anteponente, quum nec expugnare blanditiis animum ejus posset, neque vim adhibere vellet, eo postremum adductus est, ut justas cum ea nuptias contraheret, missoque diademate reginam appellaret.

VI. Haec per otium agendi tempus regi Romanae urbis discordiae dabant: quibus prohibitus Sulla maturare expeditionem nequiverat. Sed et nummariae rei difficultas non parvum festinanti impedimentum se objecerat: tantum inopiae uno intestini belli biennio effectum erat. Neque deerant omnino pecuniae, sed paucos intra finus condebantur. quos inter Cn. Pompejus Strabo, qui Asculum omni refertum opu

Cn. Pompeji avaritia.

Cap. III. Vell. 2. 18. Diodor. Val. Max. 9. 13. Cic. p Scauro. Cic. pro Leg. Manil. c. 5. Appian. Plin. 33. 3. Ca IV. Appian. Eutrop. Appian. Strabo, l. 14. p. 660. Appia Cap. V. Plut. Lucull. c. 36. Appian. Plut. Cap. VI. Appia Oros. 5. 18.

lentia ceperat, de tantis manubiis in aerarium intulerat nihil: bellator fortissimus, sed avaritia inexplebilis. Igitur loca, quae in circumitu Capitolii sacerdotibus et sacris jam a Numae temporibus erant dicata, subjecta hastae et publice divendita sunt. Auri inde redacta millia librarum novem: ea sola tantum ad bellum proficiscenti de publico data pecunia est. U. c. 664. A. C. 88.

VII. Interea Mithridates pluribus exaedificandis navibus operam dabat, quo Rhodios, quae, ceteris deficientibus, aut vi abstractis, sola civitas Asiatica, praeter Magnetas Sipyli accolas, in fide Romana manserit, ad obsequium cogeret. *Mithridatis apparatus contra Rhodios.*

VIII. Cognito deinde, cives Romanos, quorum ingens erat per Asiam negotiandi gratia dispersus numerus, passim apud urbes destinatis suis impedimento esse conari, consilium cepit crudelissimae calliditatis, clam misso ad magistratus locorum edicto, *uti ad diem trigesimum, postquam datae eae literae essent, quotquot in suis quisque urbibus haberent Romani generis homines, cum liberis et uxoribus, atque etiam libertis, qui Italici sanguinis essent, occiderent.*[1] Caesos autem inhumatos projici jubebat: bona cum interfectoribus partiebatur. Sed et minae adjectae erant, si quis aliquem ex eo numero aut celare vivum, aut sepelire mortuum ausus esset. contra, servis heros interfecturis libertatem, debitoribus dimidium aeris alieni, praemii loco, promittebat. *Ejusdem crudelissimum edictum.*

IX. Dubites, sceleratius haec a rege excogitata, an ab Asiaticis facta sint. Postquam constituta dies adfuit, miserrima per omnes Asiae urbes spectacula edebantur. Notabilis inter haec Trallianorum amentia fuit: qui, quos in urbe sua habebant Romanos, ne videlicet hospitali sanguine polluerent manus, Theophilo Paphlagoni jugulandos locaverunt, tamquam interesset. Atque illud singulari saevitia monstrum compulsos intra aedem Concordiae contrucidavit; etiam manibus quorumdam abscissis, quibus Deorum complexi simulacra fuerant. Neque magna illa *Trallianorum amentia.*

Cap. VI. Plut. Pomp. c. 1. Oros. Appian. Cap. VII. Liv. Epit. 80 et 81. Cap. VIII. Appian. Memnon apud Phot. Val. Max. 9. 1. Flor. 3. 5. Liv. Epit. Cic. pro Leg. Manil. 3. et 5. Oros. 5. 1. Vell. 2. 18. Eutrop. Auct. de vir. illustr. in Mithr. Cap. IX. Appian. Diod. apud Vales. Appian. Athen. 5. 14. Acta Apost. c. 19. Appian.

U. c. 664. A. C. 88. Diana contra furorem Ephesiorum tueri supplices suos potuit; neque Pergamenorum Aesculapius, quo minus ad ipsa pulvinaria gladiis aut sagittis interficerentur.

Adramytenorum et Cauniorum saevitia.

X. Adramytteni nando salutem quaerere visos inter ipsas undas consequuti trucidarunt; infantibus fugientium liberis pelago mersis. Caunii quoque, qui devicto Antiocho Rhodiis attributi, deinde ab horum dominatu Romanorum beneficio liberati fuerant, Italos, ad sacratam urbis curiam concurrentes, ab ipsis aris diripuerunt, raptosque ab ulnis matrum infantes ante ora ipsarum, ipsas deinde, et postremo viros earum interfecerunt. Soli omnium, qui Mithridatem reverebantur, Coï Romanos, in Aesculapii templum introductos, vetusto asyli jure tutos praestiterunt. Hac tam improvisa clade intra eamdem diem diversissimis locis exstincta hominum circiter octoginta millia esse, satis inter auctores constat.

Occisorum civium Romanorum numerus.

XI. Neque silentio praeterierim atrocem Theophanis Lesbii calumniam, qua viri innocentissimi P. Rutilii famam lacerare est conatus: *Rutilii scilicet hortatu Mithridatem tantae saevitiae consilium cepisse.* Ceterum Theophanes illis quoque temporibus, quibus recens harum rerum erat memoria, se potius turpissime mendacem, quam Rutilium improbum, ostendit: liberalibus literis perquam illiberaliter usus, qui in historia scribere de Rutilio falsa crimina non erubuit, non ob aliud, quam quia Rutilius de patre Cn. Pompeji vera scripserat. Colorem fingenti nonnullum praebuit Rutilii, qui tum Mitylenis agebat, quum Romani occiderentur, incolumitas. Sed ille, comperto, togatos ad necem quaeri, praesens periculum vestitus mutatione vitaverat. quae cautio aliis etiam passim per Asiam saluti fuit.

P. Rutilius vestis mutatione servatur.

XII. Sed haec atque talia revolventi animo illa subinde cogitatio occursat, eos, qui rerum gestarum monumenta conscribunt, nihil magnopere aliud, quam errorum atque suppliciorum humanorum commentarios, texere. Atque utinam hujus tantae calamitatis caussam ut investigare non difficile, ita tollere promptum esset! Sed nos bellum cum natura suscepimus

Calamitatum humanarum origo.

Cap. X. Polyb. Leg. 99. Appian. Tac. 4. Ann. 41. Memnon Cap. XI. Val. Max. 9. 2. Plut. Pomp. Cic. pro Rabir Post. c. 10. Athen. 5. 14.

ejusque certum et immutabilem ordinem, cujus auctor statorque Deus est, neque scire curamus, neque respicere: deinde, optime consulta male cecidisse questi, nos absolvimus, fatum et nescio quam Fortunam incusamus. U. c. 664. A. C. 88.

XIII. Atqui nobis hoc jam a primo rerum conditore inditum insertumque fuerat, ut, qui haec omnia regit, neque bonis adversum, neque contumaciter pravis placabilem intelligere possemus. Eumdem tanta esse sapientia, tantisque viribus novimus, ut neque cujusquam astu circumveniri, neque cogi ingratiis queat. Omnem igitur prudentiae summam eo recidere, ut, siquidem bene nobis esse velimus, hunc ante omnia faventem propitiumque habere debeamus.

XIV. Haec vera atque indelebilia decreta rationi omnium insevit Deus. at homines, his contemptis, ad quaelibet alia, quae deceptor atque deceptus animus suggerit, lubentius exerrant: et quum de cetero absonum atque indignum putent, pueros sapientia non vincere, in rebus longe maximis id modo pueriliter anteponunt, quod in praesentia jucundissimum videatur. Ergo et inter magnorum bellorum initia deprehensi eo plerumque inclinant, unde praesens aliqua lucri spes adfulget: et, dum hujus potiantur, fas fidemque, et si quae alia praeferenda omnibus erant, pro nihilo ducunt. *In rebus maximis pueriliter errant homines.*

XV. Neque mihi aliquis Saguntum et praeterea paucos objecerit, qui pro fide extrema quaeque perferendo perierunt. Longe major eorum est numerus, quos perdidit perfidia. Et tamen, si par omnium eventus fuisset, ingens inter utrosque discrimen communis inveniret sensus, quod alteri perierunt et laudantur; alteri nec laudantur, et perierunt. Sed bene, quod meliora plerumque exempla felici exitu donavit Deus: ut, quibus haec offeruntur, si sua sponte honestum amare nolint, saltem utilitatis caussa turpitudinem vitiorum sequi dediscant. *Plures ob perfidiam, quam ob fidem, pericerunt.*

XVI. Mithridatici etiam belli casibus haec approbata sententia est: quo ceterae civitates Asiae, postquam Pontici regis caussa multa nefanda fecerunt, ab illo primum miserrime vexatae, deinde a victoribus graviter mulctatae sunt; Rhodios atque Magnetas *Id Mithridatici belli casibus ostensum.*

Cap. XVI. Appian.

U. c. 664. A. C. 88. et ab hoste tutos virtus, et apud populum Romanum fides caros honoratosque praestitit. Nam Rhodii, moenibus portubusque communitis, machinas locis opportunis frequentes opposuerunt, a Telmissensibus quibusdam et Lyciis adjuti. Romanorum etiam omnium, qui vitare crudelitatem Asiaticorum potuerunt, interque eos L. Cassii, qui proconsul erat Asiae, receptus fuit.

Mithridates in Coum navigat. XVII. At Mithridates, instituta in Coum navigatione, prompte susceptus ab oppidanis, Alexandri, qui nuper in Aegypto regnaverat, filium abduxit, regioque secum cultu habuit. Sed ex thesauris, quos ibidem avia pueri Cleopatra posuerat, magnas opes, mundumque muliebrem, et alia lapillis aut arte pretiosa, signataeque pecuniae vim minime spernendam in Pontum mittere non est oblitus. Reperit etiam ibidem pretium talentorum octingentorum in auro, quod Asiatici Judaei, ut Hierosolymam exportaretur, collegerant; deinde, quia Mithridatem metuebant, apud Coos, tamquam tutissimo loco, deposuerant.

Rhodum obsidet. XVIII. Omni continente Asiae, insulisque in potestatem redactis, quum sola Rhodus resisteret, totis viribus in oppugnationem ejus urbis rex incubuit. Jam ante plures in hunc usum naves fabricandas curaverat. his perfectis, cum ingenti classe ad insulam est advectus. Rhodii dirutis, ne qua hostibus adjumento forent, suburbiis, suas quoque naves instruxerunt, ita formata acie, ut aliae recta in hostem ferrentur, aliae a lateribus facerent impetum.

Pugna navalis. XIX. Sed Mithridates, cum quinqueremi sua circumvectus, praecipiebat suis, ut in altum recedentes producerent cornu, celerique deinde remigio pauciores Rhodiorum naves circumventas includerent. Id, priusquam fieret, suspicata classis Rhodiorum sensim e proelio se recepit: mox, expansis velis refugit in portum. Ponticos celeriter insequentes opposita claustra prohibuerunt ingressu: simul a moenibus ballistarum scorpionumque telis petiti recesserunt. Ab hoc tempore Mithridates, donec pedestres copiae advenissent, oppugnatione abstinuit: levia tantum certamina ad muros fiebant. quibus plerumque superiores Rhodii, magis magisque confirmabantur

Cap. XVII. Strabo apud Joseph. l. 14. 12. Cic. pro. Flacco, c. 28. Joseph. Cap. XVIII. Liv. Epit. Appian.

animis, paratasque ad audendum, si qua occasio se dediſſet, naves habebant. U. c. 664. A. C. 88.

XX. Forte in onerariam ex regiis, praeter portum vela facientem, Rhodia dicrotos invecta fuerat. ab hoc initio, quum utrimque ad suorum auxilium multae naves adremigaſſent, in acre certamen contentio evaluit. Diu atque vehementer est pugnatum, quum diſſimillimis cauſſis par utrorumque robur eſſet. Rhodiis ars gubernatorum, ordo navium, peritia remigum aderat: praefectorum quoque dexteritate et navalium sociorum virtute praeſtabant. Pontici, maritimarum rerum rudes, non minus inter sese, quam ab hoſtibus, turbabantur: ita quidem flagitiose, ut Chia navis, quae Mithridati militabat, in praetoriam, qua rex ipse vehebatur, illisa, magno illam impetu concuſſam tantum non deprimeret. *Alia pugna.*

XXI. Animis tamen aequabant hoſtem, quod sub oculis Mithridatis pugnabatur; cui fidem suam virtutemque approbare cupiebant. Ad hoc multitudine navium superiores circumdare hoſtes, et in medium acceptos undique urgere nitebantur. Sed id periculum Rhodii eadem, qua prius, arte vitarunt: trirememque unam cum ipsis viris captam remulco trahentes, multis armamentis atque spoliis onuſti in portum redierunt. At poſtquam, recensitis navibus, abeſſe quinqueremem videre, ignari ab hoſtibus captam, quaesitum eam velociores ceteris naves sex de omni numero longarum emittunt: in his Damagoras erat, claſſis Rhodiae praefectus. Viciſſim a rege naves quinque et viginti occurrere jubentur: quas Damagoras quum ad solis occasum usque cedendo eluſiſſet, recedentibus invectus duas depreſſit: totidem ad importuoſa Lyciae litora compulit: et, inter haec nocte consumpta, poſtridie Rhodum reversus est. *Rhodii vincunt.*

XXII. Mithridates, quum tanto paucioribus par eſſe non potuiſſet, in Chios effudit iram, totique civitati minatus, gubernatorem navis, quae in suam accurrerat, cum proreta supplicio adfecit. Sub eosdem dies, quum pedeſtris exercitus regis onerariis et triremibus adveheretur, repentinus turbo partem navium in Rhodium litus impegit. Rhodii, impigre *Mithridates in Chios effundit iram.*

Cap. XX. Diod. apud Vales. Appian. Cap. XXI. Diodor. Appian. Cap. XXII. Val. Max. 5. 2. 2. ext.

U. c. 664. A. C. 88. evecti in adflictam tempestate sparsamque classem, naves quasdam cum viris quadringentis abripuerunt, alias perforatas merserunt alto, aut injecto igne exusserunt.

Leonicum captum a Rhodiis redimit.

XXIII. Nescio hac, an superiore aliqua, navali pugna captus Leonicus fuerit: qui se acerrimum salutis regiae defensorem aliquando ostenderat. hunc igitur ut recuperaret, quotquot habebat, Rhodiorum captivos pro uno corpore reddidit. Deinde, obfirmato ad expugnationem animo, simul ad navale aliud proelium, simul ad tentanda moenia cogitationes intendit.

Urbem noctu conatus occupare,

XXIV. Forte proditores quidam clivum ei monstraverant juxta Jovis Atabyrii delubrum; qua parte, qui primi exstruxerant moenia, quod altitudini situs confiderent, breviore contenti muro fuerant. sed, clivum adscensu non difficilem esse, transfugae confirmabant. Igitur, noctu copiis in naves impositis, silentio admovere naves jussit, donec in Atabyrio monte fax tolleretur; deinde, quanto possint cum clamore ac impetu, ad locum cuique adsignatum decurrere. Nam ita partitus erat operas, ut, donec pars exercitus cum scalis ad moenia vim tentat, alii ad portum terrorem facerent.

Fortuito casu occasionem emittit.

XXV. Sed id quidem consilium, ut multa alia ejusdem, casus elusit. Excubiae Rhodiorum, quum forte surdum strepitum audivissent, ignem extulerunt. id prope Atabyrii factum Mithridatici putantes, signumque suum arbitrati, ex altissimo silentio simul repente omnes horribilem clamorem ediderunt. Rhodii contra, alacriter clamore reddito, quum ad moenia confertim currerent, regios, ne per noctem aliquid auderent, absterruerunt. luce dein orta, ut homines non ad proelium, sed ad furtum noctis egressos, haud magna mole submoverunt.

Et a Rhodiis repellitur.

XXVI. Ad Isidis tamen fanum haud mediocris illatus terror est, ubi sambucam, duobus navigiis junctis impositam, Mithridates applicuerat, et ab ingenti machina plurima simul tela hastasque late spargebat, et arietem inde ad pulsanda moenia admovebat. Juxta frequens manus cum multis scaphis aderat, scalas ferens, et oppugnationi parata. Resistebant tamen egregie Rhodii, neque laboribus aut periculo fatigabantur: donec Mithridatem major vis amovit. nam

Cap. XXII. Appian.

et sambuca prae pondere subsedit, et Isidis apparuit species, copiosum ignem, fulminis in modum, eidem machinae immittens. U. c. 664. A. C. 88.

XXVII. Postremus hic adversum Rhodios conatus regis fuit. Frustra videbat operam copiasque et tempus perdi ad firmissimam urbem, quae portuum murorumque munimentis omnique apparatu parem eo tempore non habebat; et a peritissimis rei nauticae hominibus, atque inter sese legibus optimis egregie conjunctis, defendebatur. *Ergo ab obsidione Rhodi recedit.*

XXVIII. Ad Patara hinc ductus est exercitus: ubi iterum iniquos expertus est, quos vocabant Deos. Quum enim, quia machinis exaedificandis materia deerat, lucum Latonae dicatum succidere coepisset, minaci somnio territus destitit. Sunt, qui lucum Furiarum succidi coeptum scribant, sed ingenti risu, cujus auctor non apparebat, deterritos, qui in opere erant. inde quum haruspicis jussu Furiis virginem Mithridates immolaret, e jugulo puellae risum ortum. Igitur, Pelopida Lycium bellum administrare jusso, principem amicorum Archelaum cum magnis copiis in Graeciam misit. ipse Pergamum secedens, delectibus agendis, parandisque armis, et interim Monimae amoribus operam dabat: simul cognoscebat caussas Asiaticorum principum, quorum petitus insidiis dicebatur, quive res novare, aut omnino Romanis studere arguebantur. *Lucum Furiarum succidens, terretur.*

XXIX. Inter haec, Sulla adhuc in Italia faciente apparatus, variisque impedimentis retento, Cn. Octavius, L. Cornelius Cinna consulatum inierunt. Cinna, licet ultimis exsecrationibus, nihil contra Sullae rationes et ordinatam ab eo rempublicam facturum, se adstrinxerat, fidem adeo non praestitit, ut nihil magis haberet cordi, quam quemadmodum Sullam citissime ex Italia submoveret, ne consiliis suis impedimento esset. Deinde, ad diversa consilia detrusus, cunctanti, et reliqua prius ex usu suo componere volenti, accusationem struxit; diemque dicendam curavit per M. Verginium tribunum plebis. U. c. 665. A. C. 87. Cn. Octavio, L. Cornelio Coss. *Cinna consul rebus novis studet.*

XXX. Ea fuerant, erantque tempora, ut deesse criminandi materia non posset. *Hominem superbum et* *Criminationes in Sullam.*

Cap. XXVI. Jul. Obseq. Cap. XXVII. Appian. Strabo, l. 14. p. 652. Cap. XXVIII. Appian. Jul. Obseq. Appian. Plut. Sull. c. 23. Appian. Cap. XXIX. Plut. Dio apud Vales. Plut. Cic. Bruto c. 48.

U. c. 665. A. C. 87.

ambitiosum dicebant *olim praedicare solitum, sibi summam in omnes et omnia potentiam deberi. Ab hac cupiditate, non ab aliqua injuria sua, exstimulatum fuisse, ut nefarium patriae bellum inferret, dominamque gentium, et hostilibus armis intactam urbem, civis, et, si Diis placeret, consul expugnatam captamque cruentus ingrederetur.*

Illius praetextum nauci fuisse.

XXXI. *Scilicet egregium impio facinori colorem induci, quod decretam ab senatu provinciam inimici eripuissent: eam injuriam hominem generosum pati nequivisse. Sane datum Mario jussu populi Mithridaticum bellum: neque referre, si prius L. Sullae senatus idem decrevisset. Non minoris aestimandum fuisse Marium, toties consulem, quam fuerit in primo consulatu: neque cum Q. Metello Numidico Sullam comparari posse: neque minus modo fuisse juris populo Romano, quam ante annos viginti fuisset. Sed tum quoque Numidiam provinciam, quamquam ab senatu Metello decretam, populum Romanum C. Mario dedisse: neque ideo Metellum urbi bellum indixisse.*

Plura passum Q. Metellum, Sulla majorem.

XXXII. *Sullam vero, ne quidem sanguine aut exsilio tot illustrium civium satiari potuisse, aut vindicta, licet nimia sane fuerit, placari, ne ultro rempublicam everteret, statumque immutaret civitatis. Scilicet non dolore, nec cupiditate ultionis, sed spe et desiderio regnandi, impetum in leges, in mores, in populi Romani jus auctoritatemque fecisse. Quorsum enim alias tribunitiam coërcere potestatem vellet, nisi ut ipsam invaderet arcem libertatis? Ferme quadringentorum annorum experimentis esse cognitum, tribunatum plebis quasi Palladium populi esse; quo sublato, interire ipsum, aut certe servire, necessum sit.*

Defensio pro Sulla.

XXXIII. Ex diverso non amici modo Sullae, sed qui omnino quietem ac pacem amabant, *Tribunatum, omnium in urbe seditionum unicam originem, recte atque ordine justos intra fines cohibitum,* adseverabant. *Neque Sullam aut sine caussa, aut ultra modum, aut postremo solum fecisse, quae fecerit. Hominem, sociali bello de republica optime meritum, consulem populi Romani, vigentem aetate et armorum gloria, nihil fecisse novum aut mirum, si eripi datam ab senatu provinciam aegre sit passus. Sed neque e republica fuisse, ut ad tantum bellum imperator exacti jam aevi, exhaustarum virium, et cui modo difficilis in Italia militia fuisset, trans mare mitteretur.*

Adversariorum ejus saevitia taxatur.

XXXIV. *Sed nec ibi substitisse adversariorum insolentiam, verum etiam ad sanguinem ac caedes erupisse. Filium consulis, eumdemque consulis alterius generum occisum: patrem ejus fuga, socerum dissimulatione et temporibus obsequendo, vi-*

retinuisse vitam. Sullae vero sicuti dolorem non injustum, ita modestiam in victoria singularem fuisse. De sententia senatus et optimi cujusque constitutam rempublicam; liberrima magistratuum comitia fuisse. Atque haec omnia socio et adjutore Q. Pompejo gesta, ut duorum consulum voluntate ac consensu fierent. neque aliud oppressos tyrannide factionum Patres optavisse. U. c. 665. A. C. 87.

Sullam nihil, nisi consensu collegae, egisse.

XXXV. *Quid vero stultius, siquidem violentia arguatur Sullae, quam irritare impetum, quo violata omnia modo ac eversa queraris? Scilicet L. Cinnam novum consulem, et Verginium hac balbutie tribunum, laturos tempestatem, cui summa gloria belli, summaque facundia viri, C. Marius, P. Sulpicius succubuissent! Et iis cum incipientibus adhuc Sullae opibus negotium fuisse; nunc pugnandum fore cum confirmatis. Eosdem illos milites, qui nullo dum exemplo portas urbis hostiliter essent ausi recludere, nunc feliciter tentatam vim, quocumque juberet imperator, incunctanter adhibituros.*

Eumdem nunc reprimi non posse.

XXXVI. *Praeterea, quod neque fieri oporteat, neque possit, ut Sulla legibus reus peragatur, id hoc tempore neque optandum postulandumve fuisse. Universam Asiam erumpentes ab Euxino Ponto barbaros velut diluvio inundasse: trucidata tot civium Romanorum foedo exemplo esse millia: regem nomini Romano inimicissimum instare, urgere. Ab eodem fidelissimos socios, unicam hostilium successuum moram, Rhodios oppugnari. His temporibus detineri paratum ad haec corrigenda imperatorem, eorum potius esse, qui perditam, quam qui salvam, rempublicam cupiant.* Sane etiam iis, qui abessent reipublicae caussa, negotium creari lex Memmia vetabat. Igitur ejus beneficio L. Sulla, tribuno et judicibus valere jussis, in Asiam est profectus.

Ne debere quidem, si maxime posset.

XXXVII. Iisdem diebus, quibus Sullana classis ab Italia solvit, multa Mithridati terribilia ostenta objecta esse memorant: et inter alia Victoriam, adulatione Pergamenorum tali artificio fabricatam, ut, quasi de coelo descendens, coronam Mithridati imponeret, quum ferme caput ejus attigisset, subito et occulto machinae vitio haesisse: dimissamque e manibus ejus coronam de theatro ita procidisse humi, ut confringeretur, non sine ingenti horrore populi, ut regis ipsius consternatione.

XXXVIII. Inter haec profectus in Graeciam cum magna classe Archelaus Cycladas in potestatem regis re-

Archelaus praetor Mithridatis.

Cap. XXXV. Cic. Bruto, c. 48. Cap. XXXVI. Val. Max. 3. 7. Plut. Sulla. Cap. XXXVIII. Appian. Flor. 3. 5.

U. c. 665. A. C. 87. degit, aliasque item insulas ad Maleam usque: Eretria quoque et Chalcide, totaque simul Euboea potitus. Eo tempore Delus a Metrophane praefecto regio direpta est: quum, sine muris et praesidio, sacrorum veneratione ad id tempus defendi soleret. In eo tumultu convulsum a barbaro quodam Apollinis Delii simulacrum, et in mare per contumeliam missum, ferentibus undis ad Laconiae oppidum Boeas appulisse autumant, ubi deinde fanum Apollinis, *Epidelii* cognomento, Boeatae dedicarunt. Alia quoque diversis insulis castella a regiis expugnata sunt, oecisis ubique circiter viginti hominum millibus, maximam partem Italicis. Ea loca Atheniensibus Archelaus attribuit, a quibus defecisse dicebantur.

Athenae regis partes sequuntur. XXXIX. Athenas enim regiis partibus Aristion quidam adjunxerat; adeo nullis vel ad cogendum vel ad suadendum praesidiis instructus, ut nihil relinquatur haec legentibus, quam Graecam levitatem admirari. Eum Aristionem, ex Aristotelis, vel, ut alii malunt, ex Epicuri schola sophistam, Athenienses ad Mithridatem legatum miserant: et rex benigne acceptum, quoniam magni aestimabat Athenienses habere socios, in amicorum cohortem receperat: ejusque opera in legationibus ad Graecas urbes utebatur.

Impellente Aristione. XL. Atque ille, saepe domum missitando literas, gratiam suam regisque magnitudinem extollebat. *hujus amicitiam si amplecterentur, et mulctas a Romanis dictas facturos lucri; et, restituto populi imperio, maxima publice privatimque a rege munera impetraturos esse.* Ita levissimae parti populi facile persuasum est: et quum appareret, quid esset futurum, optimates, qui Romanarum partium erant, mature excesserunt: cum quibus et princeps Academiae Philo Romam profectus est.

Qui reversus Athenas, XLI. Interim Aristio cum sacra, quae in Delo fuerat, pecunia, et duorum millium militum praesidio, quod Archelaus adjunxerat, Athenas rediens, tempestate abreptus apud Carystios appulit. Hoc ubi populo Atheniensi compertum, longae naves ad deducendum eum mittuntur, cum sella argenteis pedibus fulta.

Cap. XXXVIII. Plut. Memnon. Pausan. Lacon. Appian. Cap. XXXIX. Posidon. apud Athen. 5. 13. Appian. Posidon. Pausan. l. 1. Cap. XL. Posidon. Pausan. Cic. Bruto, c. 89. Cap. XLI. Appian. Posidon.

XLII. Advenientem effusa civitas excepit, plerique caeca in Mithridatem benevolentia; quidam, ut spectarent inopinatum fortunae ludum, quod obscurus, ancillae filius, adscriptitius Athenarum civis, majore fastu, quam Romanorum magistratuum spectatus quisquam fuerat, adventabat. Occurrerant inter ceteros et Bacchici artifices, *Liberique junioris* (ita Mithridates vocari coeperat) *nuncium*, *ad communem focum*, *epulasque et sacrificia* invitabant. nam propter felicem ejus reditum sacra faciebant, et praecone publice proclamante, libabant. U. c. 665. A. C. 87. *Cum magna fastu urbem ingreditur.*

XLIII. Ille, in domum splendidissime instructam degressus, postridie cum insigni vestitu et annulo, cui Mithridatis insculpta effigies erat, cum magna antecedentium prosequentiumque turba, in publicum processit. Jam artatae plateae erant exitum ejus praestolantium turba, maximusque peregrinorum oppidanorumque numerus spontanea concione Ceramicum impleverat. circa ipsum praecipue premebat inter se populus, satellitum vicem comitantibus hastatis; qui, ut populo placerent, hoc munus rapuerant. alii pro magno ducebant, si vel vestimenta hominis possent contingere. *Et honorifice excepius,*

XLIV. Ante porticum Attali exstructum tribunal erat, unde concionari proconsules Romani consueverant. Hoc conscenso, Aristion, circumspectans in orbem, deinde sublatis in coelum oculis, *Res ipsa me cogit, Athenienses, patriaeque caritas*, inquit, *ut, quae mihi comperta sunt, non reticeam: vicissim eorum, quae dicenda sunt, gravitas et incredibilis rerum conversio vocem intercludit.* *Concionem ad populum habet,*

XLV. Adhortantibus deinde cunctis, ut proloqueretur, *Ergo igitur dicenda sunt*, inquit, *qualia ne per somnium quidem exspectare quisquam potuisset. Rex Mithridates Bithyniam obtinet atque Cappadociam, Asiam praeterea omnem ad Pamphylios usque et Cilicas. Reges Armeniorum Persarumque in satellitio habet, Maeoticosque regulos, et qui Pontii universum illum ambitum per triginta stadiorum millia possident. Romani vero duces, Q. Oppius Pamphyliae proconsul in vinculis sequitur; M.ᵒ Aquillius, consulatu functus, et Siculo triumpho insignis, Bastarnam quemdam, quinque cubitorum hominem, catena eadem vinctus, sed equitem pedes sequitur. Cetera togatorum turba vel ad ipsa numinum simu-* *Mithridatis progressus exponens,*

Cap. XLII. Plut. Sympos. l. 1. quaest. 6. Posidon.

U. c. 665. A. C. 87. *lacra effudit spiritum, vel, abjecto patrio cultu, palliorum beneficio servat.*

Et Romanorum calamitatem.

XLVI. *Civitates autem omnes, augustioribus, quam hominem fas est, honoribus exceptum, Deum fatentur et nuncupant. oracula quoque passim hunc designatum a Diis dominum et rectorem orbis canunt. Sed et adsunt ab ipsa Italia legati; adsunt et ab ipsa Karthagine; et, ad evertendas Romae opes, amicitiam regis et societatem expetunt.*

Athenienses hortatur.

XLVII. Haec ubi dixisset, silentio interposito, quum capita inter se conferre homines, et de rebus tam inopinatis differere videret; perfricuit frontem, et, resumpto sermone, *Quid igitur vobis consulam?* inquit. *Quid enim aliud? quam ut rempublicam sine certo imperio diutius esse ne sinatis. Senatus Romanus urbis nostrae ad se revocavit arbitrium: vetuitque magistratus officio fungi, priusquam ipse, quid fieri vellet, constituisset. Ergone clausas adspiciemus Deorum aedes, squallentia gymnasia, theatri hanc solitudinem, et hoc silentium fori? sacram Iacchi vocem non audiemus amplius? Quid autem Deorum responsis consecrata Pnyx? quid vetustissimis religionibus venerabile Castorum templum? ipsae denique philosophorum scholae perpetuane oblivione damnabuntur, et, velut in capta dirutaque urbe conticescent?*

Et ab iis praetor creatur.

XLVIII. His atque talibus animatum vulgus, et inter se tumultuarie colloquutum, in theatrum se proripit, et, *quod bene vertat, imperium atque praeturam Aristioni* decernunt. Ille, quum in orchestram adscendisset, gratiis populo actis, postremo haec adjecit: *Quandoquidem ergo reipublicae summa ad vos rediit, vestris autem sententiis ego lectus sum princeps, aequum est, ut non minus ego possim, quam universi potestis atque polletis.* Statimque, juris usurpandi caussa, nomina quorumdam, quos collegas esset habiturus, edidit.

Arripit tyrannidem.

XLIX. Neque multos post dies, praesidio militum Archelaï fretus, aperte arripuit tyrannidem, grassarique in optimum quemque aut locupletissimum mira ferocia et crudelitate coepit. Unde quum ex urbe multi profugerent, custodias in portis posuit: at illi noctu e muris demittebantur. Igitur emissis, qui fugientes persequerentur, equitibus, multi ab his occisi sunt, alii in vinculis retracti. Saepe inter haec prodibat in concionem cum armato satellitio, multosque studere Romanis insimulans, resque novas moliri,

Cap. XLIX. Appian. Posidon.

ac clam ad profugos missitare, complures hoc crimine sustulit: aliis ademit bona, tantumque his rapinis congessit nummorum, ut etiam puteos aliquot compleret pecunia. Nec enim civium tantum, sed etiam peregrinorum facultates diripuit: sed nec a Delii Apollinis pecunia sacrilegas abstinuit manus. U. c. 665. A. C. 87.

L. Quoties alicui dixisset perduellionis diem, inter judices ipse quoque suffragium ferebat. sic, qui semel factus esset reus, elabebatur nemo: eratque tantumdem, postulatum aliquem hoc judicio, quam convictum atque condemnatum esse. Unde ceteri exterriti, simul deferri nomen suum intellexerant, in exsilium proficiscebantur. Sed Aristion, fuga illorum minime contentus, sanguinemque sitiens, ter denis adpositis militibus, ne quis egredi se invito ingredive posset, portas custodiebat: et, quotquot ab insidiatoribus passim per agros dispositis excipi potuerant, eos, indicta caussa excruciatos, supplicio capitis adficiebat. sed et inter ipsa tormenta multi emoriebantur. Quum sic quoque, praesentium malorum sensu minas impendentium vincente, multi profugerent, edixit per praeconem, *ut sub occasum diei domi suae quisque esset; nec inde postea, vel cum laverna aut funali, egrederetur.* *Ipse accusator est et judex.*

LI. Ceterum, Athenis, hunc in modum ad Mithridaticas partes adductis, Archelaus tamquam arce belli usus, alias quoque Graeciae civitates a Romanis abalienavit. Inter hos Achaei fuerunt, et Lacedaemonii, cum universa Boeotia, nisi quod una Thespiensium urbs obsidionem pati maluerat. nam Thebani, sive propter amicitiam Atheniensium, sive levitate quadam animorum, ultro partibus accesserunt. *Achaei et Lacedaemonii deficiunt ad Archelaum.*

LII. Inter haec Metrophanes, qui Delum spoliaverat, cum regia classe vagatus, agros circa Demetriadem, itemque Magnetas, et si qui alii dominationem regis abnuebant, populabatur. Sed hunc Bruttius Sura, C. Sentii Macedoniam obtinentis legatus, cum paucis suis navibus aggressus, navem unam cum hemiolia depressit, et omnes, qui his vehebantur, inspectante Metrophane, concidit. quem, contentis velis fugientem, negotiatores, qui crudelitatem regiorum Deli effugerant, ex insidiis adorti, nova cla- *Bruttius Sura Metrophanem fugat.*

Cap. LI. Plut. Sulla. Appian et Memnon. Pausan. l. 9.
Cap. LII. Pausan. l. 3. Appian. Plut. Appian. Pausan. l. 3.

U. c. 665. A. C. 87. de adfecerunt. Bruttius, ad Sciathum insulam appulsis navibus, ubi praedarum receptaculum barbaris erat, oppidum expugnavit, servos in crucem egit, liberorum amputavit manus.

Archelao se opponit. LIII. Inde profectus in Boeotiam, quum mille praeterea hominum equites peditesque ex Macedonia ad eum pervenissent, ruenti torrentis instar Archelao parvis copiis, sed excellenti animo prudentiaque fretus, se opposuit. Apud Chaeroneam cum Archelao et Aristione triduo continuo est dimicatum: et contra horum vim atque potentiam Bruttii virtus invicta stetit. Quum aequo Marte certatum esset, Archelaus, eo ipso se inferiorem judicans, quod superior esse non potuisset, omissa Boeotia, ad mare cessit. donec Lacedaemoniorum Achaeorumque auxiliis auctum Romanus amplius lacessere non ausus, Piraeei munitionibus se continuit ad id usque tempus, quo praemissus a Sulla L. Lucullus quaestor abstinere Bruttium aliena provincia jussit. Tum enim vir laude dignissimus, quamvis omnia supra votum processerant, et integritate ejus allecta Graecia Romanam amicitiam respiciebat, ne quid praeter leges faceret, in Macedoniam reversus est. Archelaus, discessu Bruttii cognito, Piraeeum admota classe statim recepit.

Cap. LII. Appian. Cap. LIII. Plut. Appian. Plut. Appian. Plut. Appian.

EPI-

EPITOME

LIBRI SEPTUAGESIMI NONI.

L. Cornelius Cinna, quum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus urbe a Cn. Octavio collega, cum sex tribunis plebis: imperioque ei ab-

Cornelius Cinna] Vet. lib. *L. Cornelius Cinna.* SIG. Addit vetus lib. *consul.* DELR. Praenomen primus omisit Frob. anno 1535. Priores dederant *Gajus*, vel *Cajus Cornelius Cinna.* Sed *C. Cornelius Cinna* Norv. *Silla* (*Cinna* in margine) *consulum*, praenomine et nomine neglecto, Boend. *Cornelius Cinna consul* Voss. *L. Cornelius Cinna consul* Lov. 2. *L. Cornelius Cinna* Leid. Berg. et Exc. Pithoei.

Quum perniciosas leges per vim ferret] Vet. lib. *per vim atque arma ferret.* SIG. Voces *atque arma* non exstant in MS. Voss. et de iis adeo dubito, ut non esse auctoris pronunciem. Nam et Epit. 86. *Consul ante annos viginti per vim creatus.* Epit. 117. *Antonius consul quum impotenter dominaretur, legemque de permutatione provinciarum per vim tulisset.* JAC. GRON. Non multum interest ad sententiam, verba *atque arma* tollantur, an retineantur. Sed, quum pro utraque scriptura stent libri veteres, nolim affirmare, ea auctoris non esse, qui aeque *vim atque arma* conjungere potuit, ac Cic. pro Sextio cap. 17. *Quos homines si* etc. *vi armisque superassem.* cap. 36. *Quum omnia vi et armis egeris* Et pro Domo cap. 24. et 26. Vis multis modis fieri potest, sed praecipue fit armis, quae vis maxima est. Hinc in Pandectis *vi et vi armata*, et in Cic. 7. Famil. 13. et 15, 16. pro Caecina cap. 8. et Fragm. Orat. pro M. Tullio, *vi, hominibus armatis.* DUK. Voces *atque arma* desunt etiam in Boend. et Norv. contra eas agnoscunt Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Utrumque, ut vel simpliciter *per vim* dicat, vel *per vim atque arma* jungat, auctori harum Epitomarum in usu fuit. Et quidem prius, praeterquam locis a Gronov. laudatis, obcurrit insuper Epit. 69. *Tribunus plebis per vim creatus.* Eadem Epit. *Quum legem agrariam per vim tulisset.* Epit. 71. *Per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit.* Posterius Epit. 107. *Armis ac vi contendebant.* Similiter apud Livium 8, 13. *Pedum armis virisque et omni vi expugnandum.* Hinc vocabula

rogato, corruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, et bellum urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus: in quo bello duo fratres, alter ex Pompeji exercitu, alter ex Cinnae, ignorantes concurrerunt: et, quum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamenta-

illa servantibus, quam omittentibus, adsentiri malo. Eadem tamen Crevierio displicuerunt. Mox *pulsus ab urbe* Leid. Sed nihil muto. V. ad Epit. 46. Voces *pulsus urbe* exsulant a Voss.

Cum Sextio tribuno plebis] Melior lectio est manuscriptorum librorum *cum VI. tribunis plebis*, id est, *cum sex tribunis plebis*. Hoc probatur, quia scribit Appian. [1. Civ. 389.] majorem tribunorum partem Octavio adversatos esse: ἔτι δὲ Ὀκταβίῳ κατὰ τὴν οἰκίαν τὸ μέλλον περιορωμένῳ ἐξαγγέλλεται τοὺς πλέονας δημάρχους κωλύειν τὰ γιγνόμενα. SIG. *cum Sex. Publio. tri. pl.* Boend. et ed. Camp. *cum Sexto Publio tri. plebis* Berg. *cum Sex. tri. pl.* Norv. *cum sex tribunis plebis* Leid. Voss. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Verum locus Appiani, quem Sigonius laudavit, huic lectioni, cui firmandae eum adduxit, aperte adversatur. Nam verba τοὺς πλέονας δημάρχους κωλύειν τὰ γιγνόμενα accipienda sunt de tribunis plebis, sive majore eorum parte, adversantibus Cinnae ejusque legi, ut novi cives per omnes tribus distribuerentur: unde etiam Appian. subjungit: Σόρυβον δὲ τῶν νεοπολιτῶν εἶναι, καὶ ἀπογύμνωσιν ἤδη τῶν ξιφιδίων περὶ ὁδὸν ἐς τοὺς ἀντιλέγοντας δημάρχους, ἀναπηδώντων ἐπὶ τὰ ἔμβολα. Forte igitur hic latet nomen tribuni plebis, qui cum Cinna urbe pulsus est, et *Sexti* praenomen habuit. Emendatio Sigonii ob similes rationes displicuit etiam Crevierio.

Imperioque ei abrogato] Vet. lib. *imperioque abrogato*. Sic Epit. 111. *Abrogato magistratu pulsus urbe*. SIG. Sola Exc. Pithoei favent Sigonio. Reliqui codd. Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et Norv. pronomen *ei* servant. Supra Epit. 67. *Damnati bona publicata sunt, imperiumque ei abrogatum*. Mox *bellum urbi contulit* nullo sensu Voss.

Arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus] In hunc ordinem vocabula primus composuit Gruterus: concinunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Antea legebatur *cum aliis exsulibus ex Africa*, ut superest in Boend. Exc. Pithoei, et Norv. Paulo post voces *alter ex Pompeji exercitu* desunt in Norv. culpa librarii ob repetitionem *τοῦ alter*. V. ad Livii 9, 11, 11.

Ignorantes concurrerunt] Gud. *corruerunt*. J. FR. GRON. *concurrunt* Voss. *corruerunt* quod Gronovius in Gud. invenit, errantis est librarii. Nec enim ambo, sed alter eorum et quidem qui in Cinnae exercitu stipendia faciebat, corruit, alter victor interfecti cadaver spoliavit. Praeter auctorem hunc loco, v. Valer. Max. 5, 4, 4. Tacit. 3. Hist. 51. ubi v. Lipsium, Oros. 5, 19. et Augustin. de Civ. Dei 2, 25. qui tamen, quo bello id acciderit, reticuit.

tione edita: rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni consumtus est. Et quum obprimi inter initia potuissent, Cn. Pompeji fraude, qui, utramque partem fovendo, vires Cinnae dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmati Cinna et Marius qua-

milem casum tempore belli civilis inter Caesarem Octavianum et Antonium memorant unus alterve poëta incertus, quorum poëmata ediderunt Jos. Scaliger in Catal. Virg. pag. 185. et Pithoeus in Catal. vet. Poët. pag. 159. Alium tempore belli inter Vitellium et Vespasianum refert Tacit. loco laud. Poëtica, ut videtur, licentia finxit Silius, patrem a filio ignorante interfectum esse bello Punico secundo, lib. 9, 86. ubi plura vide.

Quum victor mortuum spoliaret] Vet. lib. *spoliaret occisum.* SIG. Pariter Leid. Voss Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Primis editoribus admodum displicuisse debuit vox *occisus*, cui hic substituerunt *mortuus*, at saepius alibi *interemtus*, ut vidimus ad Epit. 57.

Rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit] *obstructo* Berg. *instructo* Voss. *constructo* Leid. Sed frustra. Liv. 25, 17. *Tradunt, in vestibulo Punicorum castrorum rogum exstructum esse.* Ovid. 15. Her. 116.

Portet ad exstructos corpus inane rogos.

V. ad Silii 4, 746. Praeterea τὸ *ipse* deest in Leid. Tum *se supra rogum* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *se super rogum* Boend. Voces *super* et *supra* saepe a librariis confunduntur. V. ad 23, 36, 6. Mox *eodem igne* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et edd. Camp. Rom. anni 1472. ac Parm.

Quum opprimi inter initia potuisset] Scribe *potuissent.* Refertur enim ad quod sequitur, *confirmati Cinna et Marius.* Et sic Gudianus minor. J. FR. GRON. *in initia* Boend. forte pro *in initio.* Sed nihil mutato Justin. 7, 5 *Inter prima initia regni bellum ab Illyriis redemit.* 11, 2. *Inter initia multas gentes rebellantes compescuit.* Liv. 1, 55. *Inter principia condendi hujus operis.* Ita *inter primum tumultum* Liv. 32, 38, Plura vide ad Livii 6, 24, 10. et Torren. ad Val. Max. 3, 2, 3. Insuper *potuissent* Leid. Mox *Cnaei fraude*, omissa media voce, male Voss Tum *quod utramque partem* Berg. V. ad 37, 35, 3. Denique *vires Cinnae dabat* Leid.

Optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmati] *optimatum* Leid. Voss. Berg. et Boend. Et ita codd. praeferunt infra Epit. 84. Utrumque in usu fuisse, Vossius docet 4. Gramm. 14. At in Livio quidem pejoris notae codd. *optimatum*, reliquos *optimatium* legere, vidimus ad 3, 35, 9. 4. 9, 5 10, 18, 8. et 24, 32, 3. Tum *segnitia* Voss. Berg. Lov. 2. Boend et ed. Camp. V. ad 31, 6, 5.

Quatuor exercitibus, quorum duo] Voss. et Gudiani *ex quibus.* Sic lib. 92. erat *plurimus amicorum*, etc. priusquam Sigonius restituerat *ex amicis*,

tuor exercitibus, ex quibus duo Q. Sertorio et Carboni dati sunt, urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit, et crudeliter diripuit.

cui nostri subscribunt. Iidem lib. 88. *qui soli ex Italicis populis.* Et lib. 130. et 137. sic peccatum. J. FR. GRON. Similiter Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Ita supra Epit. 77. *Ex qua duodecim a senatu hostes judicati sunt.* Epit. 89. *Unus ex proscriptis.* lib. 92. *Singula ex utraque parte cornua.* Epit. 93. *Plurimos ex amicis proscripsit.* Sallust. Jug. 13. *Singulos ex senatu.* Similiter Mſti praeferunt infra lib. 129. *Ita ut ex duabus Caesaris classibus altera, cui Agrippa praeerat, vinceret*, pro *ut duarum classium Caesaris.*

Ostiam coloniam Marius expugnavit, et crudeliter diripuit] *Hostiam* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et quaedam ex vett. edd. Sed vide ad 1, 33, 9. Tum vox *Marius* exsulat a Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Praeterea *diruit* Voss. sollemni scribarum lapsu. V. ad Livii 6, 4, 9. 8, 20, 7. et 31, 45, 16. Ne vero, si *Marius* omittatur, deesset, quo verba *oppugnavit* et *diripuit* referantur, Leid. legebat *pugnaverunt et crudeliter diripuerunt.* Sed voluit forte *expugnaverunt.* Id tamen probari nequit. Ita enim quatuor ducibus simul Ostiae expugnatio et direptio tribueretur, quod alii uni Mario adscribunt. Appian. 1. Civ. 391. *Μάριος δὲ καὶ Ὄστια εἷλε καὶ διήρπασε.* Adde Plut. in Mario pag. 430. et Oros. 5, 19. Nihil itaque mutandum.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLIV.

IN LOCUM LIBRI LXXIX. T. LIVII.

I. L. Sulla ex Italia profecto, L. Cornelius Cinna consul, homo foedus et seditiosus, occasionem novandi res adesse ratus, corruptus insuper, ut suspicio fuit, septuagies sestertio, perniciosas ferre leges coepit; ab iisdem illis orsus, quas nuper, auctore Mario, P. Sulpicius in tribunatu promulgaverat: *ut novi cives in omnibus tribubus suffragia ferrent.* ad quam legem sciscendam ex universa Italia civium novorum multitudo ingens concucurrit. E diverso veteres, et quicumque quieta republica gaudebant, refragabantur. Apparebat enim rem ad revocandos exsules spectare, renovandamque malorum istorum acerbitatem, unde paullo ante vix eluctata civitas fuerat. U. c. 665. A. C. 87. *L. Cinnae perniciosae leges.*

II. Idcirco, postquam Cinnani cum sicis veste tectis in forum convolaverant, antiquas in tribus recipi postulantes, melior pars civitatis ad consulis Octavii domum, ne ipsa quidem inermis, confluxit. Is, quorsum evasura res esset, animo circumspectans, ubi majorem tribunorum partem intercedere legi audivit, sed eosdem a novis civibus stricto ferro de rostris deturbari; ad auxilium ferendum per Sacram viam cum magno civium agmine decurrit in forum, disjectisque adversariis, Cinnam reverentia paris potestatis, et solita ingenii lenitate declinans, in aedem Castorum deflexit. *His obviam it Octavius, Cinnae collega.*

III. At comites ejus, non exspectato consulis jussu, impetum in novos cives fecerunt: caesisque non *Cinnani vincuntur.*

Cap. I. Liv. Epit. Appian. Civil. l. 1. Vell. 2. 20. Appian. Flor. III. 2. Auctor. de viris illustr. in Cinna. Cap. II. Flor. Appian. Vellejus, 2. 22. Cap. III. Appian. Plut. Sertor. c. 6.

U. c. 665. A. C. 87. multo minus decem millibus, reliquos ad ipsas usque portas urbis insequuti sunt. Cinna, quum praeter expectationem suam fusos fugatosque a paucioribus multos videret, per urbem discurrebat, servitia ad pileum vocans. Sed, accedente nemine, pulsus ab optimatibus in Campaniam contendit, omnes, quas in itinere adierat, urbes cohortatus, *ut jus civitatis nuper acceptum totis animis tuerentur, pecuniasque conferrent.* Hoc apud Tiburtes, et Praeneſtinos, et alios, qui ad Nolam usque colunt, egit.

Q. Sertorius Sullae odio ad Cinnam transit.

IV. Neque senatorii ordinis viri adjuvandis Cinnae coeptis deerant, C. Milonius ante alios, C. Marius, magno illi Mario cognominis, et ob tribunatus repulsam infensus Sullae Q. Sertorius. Nam poſt Atiniam legem senatores tribunatum plebis petebant: quum antiquitus contra fuiſſet, quia tum tribunis plebis intrare curiam non licebat, sed subselliis ante valvas positis consulta senatus examinabant. Igitur Sertorius, Sulla consule tribunatum petens, illo adversante, cupitis exciderat. neque enim conducere suis rebus Sulla arbitrabatur, ut, quam deprimere poteſtatem cupiebat, eam viro acri atque diserto committi pateretur. Quippe Sertorius ita versatus in foro fuerat, ut adhuc adolescentulus nonnullam in urbe potentiam caussis agendis comparatam obtineret; et poſtea senator, si claros oratores paucos excipias, ea exiſtimatione ageret, ut non alius ejus ordinis solutius acutiusque dicere putaretur.

Cinnae consulatus abrogatur.

V. Ceterum, quum ex urbe Cinna profugiſſet, senatus ei, quod rempublicam consul deseruisset, et ad libertatem vocaſſet servitia, magiſtratum abrogavit, in locum ejus L. Cornelio Merula, qui flamen Dialis erat, suffecto. His Cinna compertis, quum Capuam veniſſet, ubi Ap. Claudii exercitus erat, conciliatis sibi tribunis, et quotquot forte ab urbe senatores aderant, consulari habitu in publicum progreſſus, mox profusis abunde lacrumis, discedere cum fascibus lictores juſſit.

Cap. III. Appian. Auctor de viris illuſtr. Liv. Epit. Vell. 2. 20. Appian. Cap. IV. Plut. A. Gell. 14. 8. Val. Max. 2. 2. Plut. Plut. Sertor. c. 3. Cic. Bruto, c. 48. Cap. V. Appian. Liv. Epit. Auctor de viris illuſtr. Plut. Mar. c. 69. Appian. Liv. Epit. Appian.

VI. *Et hos quidem*, inquit, *vestro hactenus beneficio habui, cives, populi suffragiis creatus consul. sed, inconsulta plebe, honorem mihi senatus abstulit. Acerba omnino ignominia, sed in qua plus vestram irascor vicem, quam meam doleo. nam mihi quidem unius anni magistratus, vobis in omne tempus jus vestrum, et, si animadvertitis, libertas periit. Quid enim postea demereri plebem studeant candidati? aut quorsum vos comitiorum potentes, vestraque in manu consulatus atque imperia esse creditis? si tam infirma atque instabilia beneficia vestra sunt, et, quae bene de vobis meritis dedistis, ea per male meritos tam facile auferuntur.* U. c. 665. A. C. 87. *Cinnae oratio Capuae habita.*

VII. Simul multa de republica, multa de suis injuriis questus, veste lacerata de tribunali desiliit, et, in mediam concionem misso corpore, diu jacuit humi: donec permoti misericordia, qui aderant, erexerunt hominem, et in suggesto reposuerunt, redditisque lictoribus bono animo esse jusserunt: *se, ubicumque opus esset, auspicia ejus sequuturos.* Hac inclinatione vulgi usa pars tribunorum antea corrupta conscendit tribunal, sacramentoque dicto, suos quisque in verba L. Cinnae consulis adegit. *Exercitus Ap. Claudii Cinnam sequitur.*

VIII. Quibus rebus perfectis, circum urbes sociorum discurrit, qui nuper erant in civitatem lege Julia recepti, quocumque advenisset, tali ferme oratione usus: *Consulem populi Romani, an vero exsulem, ad vos venisse putetis, interest, cives. Illum mihi honorem libera civium suffragia dederunt: hanc fortunam captus adversariorum potentia senatus imposuit. cum utra parte vos sentiatis, tametsi dubitare non debeam, malo tamen ex vobis coram cognoscere. Mihi sane curae cordique fuit, ut, quae vobis concessa dataque dicitur civitas, ejus jure commodisque vere frueremini. neque veteribus civibus meis fieri injuriam rebar, si per me effectum esset, ut vobiscum, hoc est, cum amicis cognatisque suis, stabili pace atque concordia coalescerent.* *Ejusdem oratio ad novos cives.*

IX. *Sed videte, quanta sit hominum iniquitas et quanta invidia. Nullam potius civitatem suam, quam vobiscum esse communem, volunt. Idem ille senatus, cujus nunc nomen sceleratissimis consiliis praescribitur, paullo ante senserat, non alia ratione retineri imperium, pacari Italiam, servari urbem posse, quam si fidelissimi sociorum, data civitate, in eamdem caussam pertraherentur. Atqui hoc consilium, quum non prudens modo et humanum, sed etiam felix fuisset, eoque pacto sociale bellum ad tenues redactum reliquias esset, exstitere ta-* *Adversariorum iniquitatem accusat,*

Cap. VII. Vell. 2. 20. Appian.

U. c. 665. A. C. 87.

men, qui per summam improbitatem turbare composita mallent, quam turbis desideratum diu finem imponere.

Nondum sopito sociali bello, civile excitantium.

X. *Igitur, qui paullo ante quibusdam Italicis gentibus male resistebant, quamquam adjuti a ceteris, non quidem penitus quietam domi rempublicam, sed tamen tolerabiliter agitatam haberent, iidem, nondum plane exstincto veteri bello, novum et civile parant: super priores hostes, partem antiquorum civium, et omnes eos populos, quorum auxilio prius usi sunt, adversarios habituri.*

Negat injurias illorum ferendas.

XI. *Nam profecto aut graviter fallor, aut ii non estis, qui deludi vos feratis, sub tam iniquis et impudentibus dominis pristinam servitutem novo nomine toleraturi. Etiam mancipia, quae aere nostro paravimus, quum emittuntur manu, in quam conditionem venerint, intelligunt; neque minui sibi datam libertatem patiuntur; et de injuria patronorum querentibus jus redditur. Homines, ab ultima origine liberi, quondam aemuli, mox socii et auxiliatores urbis Romanae, verba sibi dari patienter scilicet ferent! Immo vero jus suum, si modeste agendo nequiverint obtinere, iisdem illis armis, quibus meruere, vindicabunt. Omnium enim, quibus nuper decreta est civitas, eadem nunc caussa est, etiamsi fortasse dispari via hanc ad caussam pervenerint. Aliis enim, quia pro nobis pugnarunt, aliis, quia contra nos pugnarunt minus atrociter et diu, civitatem dari placuit, obventuram neutris, nisi alteri amare virtutem suam populum Romanum; alteri timere: utrique aestimare docuissent.*

Senatum accusat fidei non praestitae.

XII. *Atque utinam iisdem animis, quibus promittendam sibi civitatem senatus censuit, praestare voluisset! Nihil nunc his esset contentionibus opus: et in alta pace ac florente republica, veteres simul novique cives mutuae benevolentiae concordiaeque fructus laetissimos caperent. Sed, sive Deorum haec ira est, nullam diuturnam felicitatem humanis rebus relinquentium; sive hominum tanta importunitas, ut concessam a Diis quietem possit evertere: omnia nunc in contrarium versa sunt, et, ultimae propemodum desperationis indicio, ipsa in morbum remedia verterunt.*

Et dolipurum cauti.

XIII. *Proh Deûm hominumque fidem! ideo nimirum datam sociis civitatem esse, ut cum iisdem deinceps civili bello collideremur! At vero aut numquam datam iis civitatem oportuit, aut bona datam fide. O distorta hominum ingenia! O corruptas mentes! Amicissimos modo populos subito tumultu dissiluisse, repletam armis Italiam, ferro atque igne vastatam, extrema et fecisse socios, et passos esse, quisquam sanae mentis crediderit, pro nomine tantum, non pro jure civitatis? An vero existimare potuerunt, vos, qui in media republica Romana nati plerique et educati estis, decipi tam turpiter*

posse, ut, appellatione civium Romanorum contenti, quo jure quaque conditione Romani cives agerent, non requireretis? U. c. 663. A. C. 87.

XIV. *Nimirum improba cupiditas dominandi et suum ad lucrum trahendi rempublicam ita excaecavit animos, ut homines, cetera non stupidissimi, tantam hanc tamque singularem amentiam videre atque deprehendere nequeant. Igitur festivo sane consilio, quum aliquanto pluribus darent civitatem, quam essent ipsi, a quibus dabatur, quinque et triginta tribus veteri populo relictae sunt; majori longe numero hominum octo videlicet attributae.* *Id refert ad cupiditatem dominandi.*

XV. *At vero quis nescit, ita comparatum esse Romae, ut maxima quaeque negotia tribusis comitiis peragantur? His magistratus creantur, qui civibus omnibus praesint: his sciscuntur leges, ipsis quoque magistratibus imperaturae: nec aliud, nisi per has, ad pleraque sacerdotiorum iter est. postremo, quibus de criminibus ad populi judicium itur, suffragiis tribum decidenda res est. Vos autem, hoc est, universa haec Italorum multitudo, paucas et extremas in tribus conjecti, ita vita vestra ne semel quidem ad suffragia vocabimini. Quorum igitur hominum in his caussis, quibus tota ferme respublica continetur, nullae aut exiguae partes sunt, eos vocabulo civium appellari quid refert, si ab omnibus negotiis publicis, haud secus atque peregrini, abarcentur?* *Tribuum novarum et veterum discrimen explicat.*

XVI. *Haec ludibria vos pati non posse, quis miretur, quum ex veteribus Romanis, quotquot aequi justique amantes et pacis tranquillitatisque studiosi fuerunt, ferre nequiverint? Nec enim ego solus hujus caussae sum amplexus aequitatem: multis et mecum, et ante me idem judicium studiumque fuit.* *Id ludibrium multis etiam Romanis veteribus displicuisse adfirmat.*

XVII. *Sed ista repetentem animum acerbus dolor occupat. Nec enim C. Marii, P. Sulpicii miserabilem casum queam sine lacrumis ac luctu recordari: quorum hic a nefariis latronibus crudeliter interfectus est; illum, post tot consulatus summa gloria gestos, in gravi et sollicito exsilio sterilium insularum tristes latebrae tegunt. Et quis postea patronorum vestrorum incolumitatem speret, ubi P. Sulpicium summa nobilitas, et ingenium, et tribunitia potestas; C. Marium multiplicati honores, amplissimae res gestae, triumphatus Jugurtha, urbs et Italia haud dubie conservata, non defenderunt?* *Sulpicii et Marii casum deflet.*

XVIII. *Est tamen quorundam animis haec innata generositas, ut officium anteponant securitati; et vivere cum dedecore, quam perire per virtutem, acerbius putent. An inter hos ego locum ac nomen merear, ii viderint, quorum caussam tam insidiosam domi, summorumque hominum morte aut exsilio terribilem, nequaquam timide aut cunctanter suscepimus. Sed neque armis adversariorum periti, nisi tentata ultima spe, relinquimus urbem; et postea minime despondimus animum, in ne-* *Suam virtutem et fortunam laudat.*

U. c. 663. A. C. 87.

gotio semel probato susceptoque vel ad extremum spiritum perseveraturi.

XIX. *Et dederunt Dii, ut praemium huic esset constantiae, coeptumque probatum numinibus secunda statim fortuna sequeretur. Nam, qui apud Capuam erat, fortissimus exercitus, tribunis praefectisque et optimo quoque manipularium ad bonam caussam ultro accedentibus; sacramento mihi rogatus est; et Praenestini, Tiburtes, ceteri plerique populi, qui inter Capuam et urbem interjecti sunt, omnia polliciti, haud aspernandam pecuniae summam contulerunt. Aliis etiam passim inclinantibus ad communem caussam, eas propediem copias habebo, adversus quas inimici nequeant consistere.*

Adversariorum imprudentiam arguit,

XX. *Nam, ut impetu magis, quam consilio, ferri improbitas solet, omnia in eo esse rati, si res urbanas per vim ad sua commoda componerent, adversus ea, quae possent aliunde accidere, nihil providerunt. Caput factionis, homo insigni audacia L. Sulla, quasi nihil referret, esse in civitate, qui armatum et furentem legibus agere reum sustineret, cum quinque legionibus; quod firmamentum partium istarum fuit, in longinquam militiam profectus est. Cn. Pompejus, qui alterum exercitum obtinet, nec amicus esse Patribus, nec sperare amicos potest, occiso consule, qui missus ab senatu ad accipiendas copias ejus venerat. In ipsa urbe multa sunt hominum millia nostras sequentium partes. In Italia Samnites et Lucani, quamquam accisis opibus, bellum sustinent: ut, quantum decessit viribus, tantum accessisse animis videatur. Quae postquam omnia recogitaveritis cum animo vestro, non ad bellum magis invitari vos, quam ad victoriam, reperietis.*

Nullas vires habentium.

Latini excitati a Cinna fremunt.

XXI. Non erat difficile concitare propensos ad arma, nec aliud magnopere ad rebellandum, praeterquam ducem, requirentes. Qui Latini nominis erant, *nihil se ornatiores auctioresque* fremebant *hac nova lege civitatis. Honestius majores suos in una tamen veterum tribuum suffragia tulisse; quamcumque sors quoquo tempore dedisset. Jam separari tribus antiquas, tamquam consortio Latinorum polluerentur: novas et plane supernumerarias fieri, quibus adscripti haberentur ludibrio, nominis Romani participes, juris exsortes. Certe sapienter olim a Servio rege constitutas centurias, ut egens et infima faex populi speciem haberet aequi juris, vis omnis penes honestiores esset. Verum in praesentia ne caussam huic astutiae, nec locum esse. multas habere Latinas familias, Romanis nec genere, nec censu impares. neque sibi posse fucum tantum fieri, ut nomen pro re, et umbram pro corpore accipiant. igitur aut vere futuros cives Romae; aut si hoc potiri non detur, vanum vocabulum abjecturos. Alias majores suos olim, seque ipsos modo meruisse, et quotidie me*

reri, quam ut, pro continuis laboribus ac periculis suis, ludibrio haberi ab Romanis debeant, nullam habituris civitatem, si Latio conspirandi cum cetera Italia voluntas venisset. U. c. 665. A. C. 87.

XXII. Haec Latinis, et si qui alii pro Romanis adversus socios steterant, dicebantur. At apud alios populos, qui positis armis recepti in civitatem fuerant, plus adhuc irarum erat. Acceptis nuper cladibus, nondum ad cicatricem pervenerat vulnus, et novae injuriae sensu violentius recrudescebat. Praecipue, quorum postremo tumultu interfecti fratres liberive ab Octavianis fuerant, vindictae cupiditate flagrabant. Sed et exsules, quorum plerosque non aliam ob caussam urbe pulsos credebant, quam quod favere illis putarentur, quamprimum reduci, valde existimabant ad rationes suas pertinere. *Itemque alii populi.* *Diversas ob caussas.*

XXIII. Quum hic omnium sensus esset, haud difficulter obtinere Cinna potuit, ut dicta sua faventes exciperent: brevique tempore formidabilem civitati potentiam comparavit. Nam neque Itali segniter pecuniam virosque praebebant, et adfluebant ab urbe quotidie, quibus praesens respublica displicebat. Idcirco, ex delectibus novorum civium triginta legionibus effectis, ut auctoritatem atque gratiam viribus adderet, C. Marium ceterosque exsules ad communionem consiliorum et spei evocavit.

XXIV. Interea Cn. Octavius, L. Merula consules adversus provisam tempestatem fossis moenibusque reparandis muniebant urbem: machinas locis idoneis disponebant: et, quia non abundabant copiis, Metelloque procul agente longa spes auxiliorum erat, circum urbes imperio parentes et in Cisalpinam Galliam missitando, exercitum contrahebant. *Consules muniunt urbem.*

XXV. Ad Cn. quoque Pompejum proconsulem legati iverant, qui ad Adriaticum mare, ubi reliquiae adhuc Italicorum M. Lamponio, Ti. Cleptio ducibus agebant, exercitui Romano praeerat. Sed ille, quia frustratus spe continuandi consulatus fuerat, nihil ad rempublicam, sed ad suam utilitatem omnia consilia referens, ita se dubium et inter utrosque ancipitem gessit, ut Cinnanae factioni, quam ab initio facillime *Cn. Pompejum in auxilium evocant.*

Cap. XXIII. Plut. Mar. Appian. Vellejus, 2. 20. Liv. Epit. Cap. XXIV. Appian. Sallust. apud Servium, Aen. 10. et Incert. 14. Cap. XXV. Appian. Diod. Eclog. l. 37. Vell. 2. 21. Oros. 5. 19.

U. c. 665. A. C. 87.

evertere potuisset, vires daret, nec nisi profligatae jam optimatium caussae succurreret.

Frater fratrem occidit.

XXVI. Adunato igitur exercitu, quum ante portam Collinam castra posuisset, eodem et Cinna cum Sertorio supervenit, nequeque multo abinde intervallo castra metatus est. Pugna deinde inter Sertorium et Pompejum commissa, quum ad sexcentos cecidissent, interventu noctis dirempta est. Eo tempore accidit res saeva et horribilis, ut Pompejanus miles fratrem ex adversa acie ignorans ignorantem interficeret. Eum deinde, quum mortui corpus spoliando fratrem agnovisset, ingenti lamentatione edita, rogum exstruxisse memorant; et, conscenso rogo, quum eodem se gladio transfixisset, quo fratrem occiderat, commune cum illo bustum habuisse. Miserabile hoc facinus et erat, et videbatur: sed tot hominum utrimque millia, quum ista detestarentur, haud leviora committebant.

C. Marius in Italiam redit.

XXVII. In hoc articulo rerum C. Marius ceterique ex Africa ad Telamonem Etruriae portum appulerunt. Erant cum his equites Mauri, et quidam Italorum, quos in Africam aestus bellorum aut aliae caussae expulerant; in universum haud amplius mille. Sed, ad nomen Marii concurrentibus multis, quum et ergastula armaret, et ex liberis hominibus agricolarum pastorumque robustissimos centuriaret, brev ad sex hominum millia coacta sunt: quibus in nave quadraginta impositis, quum Cn. Octavium virum o ptimum esse nosset, Cinnae se statuit adjungere; prae missis, qui venire Marium, consulique dicto audien tem fore nunciarent.

Cinna deliberat, an eum recipiat.

XXVIII. Ea de re quum ad consilium Cinna retu liffet, ceteri praeter Sertorium omnes cupide reci piendum censebant. *Summam in viro virtutem cum pa peritia rei militaris propemodum certam spondere victoriam quibus accessisset. In urbe, in Italia, in provinciis ubique notu*

Plerique suadent ob gloriam viri.

C. Marii nomen, ubique amplum atque honoratum esse. neminem ferme militem veteranum ullis in castris Romanis inveniri, qui su hoc imperatore non meruerit. neque ignotum, quantam vim apu militares animos memoria ducum habeat, quorum auspicio viceris quorum beneficio dona, honores, divitias, famam sint consequuti. Sed et in magistratibus, quos togatus in urbe gess

Cap. XXV. Liv. Epit. Cap. XXVI. Appian. Vell. Oros. S senna apud Tac. Hist 3. 51. Oros. Liv. Epit. Oros. Cap. XXV I Plut. Mar. Flor. 3. 21. Plut. Appian. Plut. Cap. XXVII Plut. Sertor. c. 6.

rit, multam materiam opportunitatemque demerendi homines, conciliandique animos, habuisse. U. c. 665. A. C. 87.

XXIX. *Quibus rebus jam olim in tanto optimatium odio invictus contra potentissimam factionem steterit, iisdem inclinatam jam et infractam, si praesentibus viribus conjunctus adjuvet et adjuverit, facile pessum daturum. Sane deceptas ab Sulla legiones pellendo ex urbe Mario, contra vim improvisam haud satis paratas, commodasse manus: sed non ideo exstinctam hominis audaciam existimationemque esse. quin contra accessisse aliquid ad utramque, prodigiis Deorum et inclinatione hominum brevem status mutationem praesagientibus. Idcirco citius, quam de reditu ejus sciri potuerit, rerum omnium inopem, sola nominis Mariani admiratione ac favore, exercitum et classem comparavisse.*

XXX. *Praeterea nihil magis convenire consulis actionibus, qui de restituendis exsulibus tantopere depugnarit, quam C. Marium recipi, exsulum omnium haud dubie principem: idque nisi fiat, apud multos orituram suspicionem, aliud simulatum illis contentionibus, aliud quaesitum esse. Praeterea cavendum, ne, velut hac repulsa irritatus, in contrarias partes transeat homo, contumeliae omnis impatiens, et ad vindictam praeceps. Nunc occupari eum, retinerique benevolentia posse. ubi hoc tempus praetermissum fuerit, seram neglectae occasionis poenitentiam fore.* *Et ne transeat ad adversarios.*

XXXI. Adversus haec atque talia Q. Sertorius omnia alia censebat, sive, tanto viro praesente, minoris se aestimatum iri putans; sive, probabili causa motus, acerbitatem Marii, et implacabilem in victoria animum procul rebus urbanis habendum existimabat. Is ergo hunc maxime in modum disseruit:

XXXII. *Quae de virtute atque gloria C. Marii dicta sunt, neque ab inimicis ejus negantur: et ego neminem eadem aetate imperatorem cum hoc comparari posse arbitror. Ceterum quemadmodum reliqua, quae oriuntur et occidunt, stata crescendi minuendique tempora habent, neque fines a natura praescriptos transilire possunt: ita et humanae virtuti suus status, deinde maturitas, postremo, quae illam exstinguat, senectus est. Nec aliter de gloria judicaverim. multorum hodie vix nomina cognoscuntur, quos scimus vetustis temporibus clarissima fama floruisse. Priorem autem gloria virtutem esse, necessum est, quum hanc illa consequatur. At, quae posterius orta sunt, diutius manent. Eo fit, ut non idem utrius-* *Sertorius contra disserit.*

Cap. XXXI. Plut. Sertor.

U. c. 665. A. C. 87. *que sit finis atque terminus, sed ferme tum praecipuae vigeat fama, postquam longa aetate, aut morbo corporis, aut alio veluti situ virtus emarcuit. Idcirco, quum nulla fuerit umquam respublica magnorum ducum feracior, ubi commentarios historiae Romanae atque annales omnes evolveris, neminem reperies, cui ad hos annos ille vigor animi ac corporis, quem virtutem vocamus, duraverit.*

Senectute Marium alium factum esse.

XXXIII. *Unde sapienter a majoribus nostris constitutum est, ut post quinquagesimum annum militiae sit vacatio; a quinto et sexagesimo senator venire non cogatur in curiam; in comitiis de ponte sexagenarii dejiciantur. Quae profecto illis non placuissent, nisi senectus ita corporis animique vires enervaret, ut iidem homines, postquam aetate mutati sunt, minime iidem esse videantur.*

Idque nupero experimento cognitum.

XXXIV. *Haec mihi visa sunt in praesenti consultatione diligenter attendi debere: ne decepti et opinione falsi alium quaeramus Marium, alium adipiscamur. Nam ille profecto Marius, qui Jugurthae fregit ferociam, qui Cimbros Teutonosque decamatissimis pugnis contudit, olim est mortuus. nomen tantum et haec velut umbra Marii superant, quam nuper L. Sulla, postquam semel contemnere ausus est, nullo labore profligavit. Ab illo tempore calamitatibus et miseriis conflictatus, quales etiam juventutis exstinguere vigorem potuissent, quod robur ad communem caussam, quas ille vires adferet?*

Praeterea alias esse rationes, cur rejiciatur.

XXXV. *Sed fac, alia sorte C. Marium, quam ceteros mortales, vivere; tempori et annis licere in illum nihil, quod tamen res ipsa refutat: an igitur recipiendus est? Ego vero, admirentur licet, qui ad pauca respicientes ceterà non animadvertunt, ego inquam, vel ob hoc ipsum dicerem recipiendum esse minus. L. Cinna consul, ceterique duces omnes, sub unius senis umbra latere videremur; ab hoc defendi; huic debere victoriam.*

Bellum prope confectum esse.

XXXVI. *At vero quae nos tanta necessitas subigit, ut alienam gloriam supra modum extollendo, nostram existimationem infra meritum deprimamus? Res nobis est cum optimatibus, Sullae discessu propemodum exarmatis. sub segni duce tiro exercitus, tumultuario contractus delectu, et urbis vastae aliis munitionibus indigens munitio, graviora scilicet, quam sustineri queant a nobis, bella minantur? At nobis, praeter veteres copias, arma virosque omnis Italia subministrat: passimque concurrentibus ad signa civibus novis, cohortes paulla*

Cap. XXXIII. Senec. de Brev. vitae, c. 20. Festus, in voce *Depontani*. Cap. XXXVI. Strabo, l. 5. p. 234. Vell. 2. 20.

minus trecentas effecimus. Iine sumus, aut videri volumus, ut tantis instructi exercitibus, non pecuniae, non commeatus indigi, hoc bellum conficere desperemus, nisi alterius virtute atque opinione adjuvemur? U. c. 665. A. C. 87.

XXXVII. *Sic quoque bello propemodum profligato, paucisque ad summam victoriae reliquis, horum omnium gloriam arbitriumque Marius rapiet, aemulorum impatiens, (quod vitium, quum alia minuantur annis, in senectute fit validius) et, ubi de potentia agitur, fidei haud sane tenax. Quantis ille suspicionibus nuper P. Rutilium consulem legatus torserit, omnes scimus: et, quamvis, qua est astutia, mire innocentiam simularet, minime persuasit reputantibus, qualis in Q. Metellum fuisset. Neque enim est exspectandum, ut, qui junior senem, praetorius consulem, legatus imperatorem non est reveritus, is cuiquam juveni senex et sexies consul concedat.* *Sed eam laudem in se tracturum Marium.*

XXXVIII. *Hoc ingenio virum apud hostes nostros, quam nobiscum, esse longe malim: adeo nihil moveor curis metuentium, ne ad partes optimatium transeat. Transeat vero, et ibi potius consilia turbet; aemulationes exerceat; ceterorum conatus ambitione et discordia moretur. At vero magnum nobis praesidium detrahemus, idemque adjiciemus adversariis. Ego vero non video, quid his rebus adferre momenti queant decrepitus imperator, et piscatoria navigia, et manipulus pastorum cum agrestibus armis. Ille sane classem et exercitum vocet: nos collectam ex agris et ergastulis multitudinem esse comperimus. cujus generis arma consociari nostris, si nos pati possimus, milites non ferent, quotquot sunt Romani nominis et sacramenti memores. Sane extremis temporibus servos armari necessitas defendit: sed, ubi haec abiit, honestorumque militum est copia, nemo prudens hoc dedecus ultra sustinebit. Hostibus potius hanc optemus infamiam, ut civibus suis ereptum ire suffragia et tribus servili manu dicantur. nihil aeque retinebit in partibus eos, qui jam coïverunt ad communem caussam; et dubitantes explicabit.* *Igitur ad diversas potius partes transire eum cupit.* *Servorum arma suis sociari non patitur.*

XXXIX. *Ceterum ego plus timeo, ut vel hic accedere nostris adversariis, vel illi hunc recipere velint. Odit, odioque est nobilitate: neque tanto temporis tractu, postquam ille semel accessit ad rempublicam, ulla occasio premendi invicem sugillandique praetermissa est. Ideoque nuper, quum de eo L. Sulla consul ad senatum retulisset, praeter unum hominem, adolescentis Marii socerum, nemo Patrum fuit, cujus ille sententia hostis non judicaretur. Quis credat, tantillo tempore sensum atque memoriam tantae injuriae excidere animis potuisse, ut fida concordia stabilique foedere conjungantur?* *Ne quidem recepturos esse Marium adversarios.*

U. c. 665. A. C. 87.

XL. *Marius his corpus suum salutemque credet, a quibus proximo anno hostis judicatus est? an illi caussam suam urbemque aut exercitum committent Mario, cujus irritabilem animum non ignorant, recenti offensa nihil aliud, quam ultionem, meditari? Scilicet Cn. Octavius ea de re ad senatum referet, tam eminente in Sullanam factionem studio, ut delectus ab Sulla fuerit, quem tecum, L. Cinna, immo contra te consulem faceret? Decernent vero tum alii, tum vero cupidissime Q. Catulus, post interversum Cimbrici belli decus semper obliquus?*

XLI. *Q. autem Metellus et Cn. Pompejus, qui soli nunc justos exercitus habent, hunc enixe recipient juvabuntque? ille paternarum inimicitiarum haeres, hic tam cupidus imperiorum, ut traditum consuli exercitum nece illius repetere non sit veritus, nedum ille recipi exsulem sinat: eum praecipue, quem in hanc fortunam ex nimia cupiditate provinciae et exercitus incidisse novit. Nempe si decretum ab senatu bellum Mithridaticum adimere L. Sullae Marius voluit, et propemodum potuit: quid Pompejo relinquitur spei, a quo non modo retentus contra voluntatem Patrum exercitus, sed etiam missus ab senatu consul occisus est? Enimvero haec vel praecipua nobis cautio esse debet, ne hominem tot atque tantis inimicitiis obrutum ita complectamur, ut in nos expetere odia ipsi debita possint. Multi haud dubie nostras, aut etiam neutras partes sequentium, ubi hunc nobiscum esse audient, odio metuve illius in adversa castra conjicientur.*

Omnibus exosum:

Et vindictae cupidum.

XLII. *Igitur modis omnibus id adspernari ac rejicere consilium debemus, quo nobis et difficilius bellum fiat, et invidiosior victoria. Nam ille, ubi fortuna nos adjuverit, vindicare privatas inimicitias communibus armis volet; et, supra naturam saevam atque sanguinariam, contumelias suas et pericula nuperae fugae in consilium adhibebit. Nondum haec erat passus, quum ob tribunos ab exercitu lapidatos, quamquam ante fores ultor esset, multos insignes viros propter amicitiam Sullae necavit. Quantas illum strages editurum putemus, ubi vacuus metu, incensus malis, arbitrio suo de inimicis vindictam sumet?*

Ideoque multa facturum invidiosa, et foeda.

XLIII. *Sed ea res multa cooperiet infamia victoriam nostram, summoque nos pudore ac tristitia conficiet, qui utique non sanguinem civium, sed concordiam, et reipublicae salutem, et sua cuique jura integra atque illaesa optamus, et his gladiis non aliam ob caussam cingimur. Accedit adolescentis Marii simillima paternae naturae perfidia et crudelitas: quem*

ubi

ubi receperis, consul, jam noveris, quae sit agendum modestia, ne te ille puer, jam insigni specimine indolis edito, L. Porcium esse putet. Erant et alia, quae moneri utiliter potuissent: sed ego aut haec, quae dixi, suffectura vobis credo, aut nihil profecto futurum satis. U. c. 665. A. C. 87.

XLIV. *Quid igitur C. Mario suam offerenti operam respondebitur? Dicam equidem, quod sentio: quidlibet potius, quam recipi. Sed hoc forte neque indignum nobis, neque rebus praesentibus inutile fuerit, ita responderi: Quod C. Marius, quique cum eo sunt, operam suam L. Cinnae consuli reique publicae obtulit, id rite ab eo factum, omnique favore dignum videri. Ceterum L. Cinnae consulis opes in praesentia tantas esse, ut propediem ad urbem, certa spe boni successus, admovere signa decreverit. Inimicorum coërcita pravitate, curae consuli fore, ut et ceteri, qui essent per vim ejecti, et praesertim C. Marius, quantocyus restituantur. Interea posse illum se tenere tutis locis: omnes hostium copias ab illo in se avocaturum esse consulem: et, si praeter spem urgeatur, ad primum nuncium, quod satis sit ad praesidium ejus copiarum, adfore. Ita nec invidia aliena onerabimur: et, si quid utiliter in rem nostram conari Marius poterit, id nihilo segnius, et citra fraudem nostram fiet.* *Sententia Sertorii.*

XLV. Haec ubi sunt a Sertorio dicta, L. Cinna, *recte quidem atque salubriter admoneri*, fatebatur: *ceterum pudore se contineri, ne Marium excludat, quem in societatem belli ultro advocasset.* Ibi Sertorius excipiens, *Atqui ego*, inquit, *quod sua sponte Marium in Italiam venisse arbitrabar, eam sententiam dixi. quod si accitu tuo adest, transacta res erat, neque revocari in deliberationem debebat.* Ita receptum Cinna appellavit *proconsulem*, fascesque ad eum et alia magistratus insignia misit. Sed ille, convenire haec exsulis fortunae negando, sordidatus atque squallidus lento passu incedebat, misericordiam concire studens. sed prominebat atrox animus, efferatumque potius calamitate, quam domitum, torvitas vultus indicabat. *Marius a Cinna recipitur.*

XLVI. Salutato consule, et ad milites oratione habita, de bello deliberatum inter duces est. Oppugnandam esse urbem conveniebat, invitante praeter alia consulis Cn. Octavii segnitie, non tam imperitia, quam intempestiva legum cura, occasiones corrumpentis. Inter quae, jubentibus multis ad defensionem *Urbs oppugnatur.*

Cap. XLIII. Supra, 75. 20. Cap. XLV. Plut. Sertor. Plut. Mar. Liv. Epit. Diod. apud Vales. Plut.

U. c. 665. A. C. 87.

urbis, libertate proposita, servorum auxilio uti, negavit, *servis se contra leges daturum eam civitatem, unde C. Marium legibus parens arceret.* At longe alia Cinnanis ratio erat, qui, quatuor factis exercitibus, pro numero ducum, (nam, praeter Cinnam et Marium, seorsim Q. Sertorius, Cn. Papirius Carbo ducebant) Tiberim amnem clauserant. Ex adverso urbis Cinna et Carbo habebant castra: supra urbem Sertorius, infra C. Marius consederant: et, pontibus ubique impositis, dimissisque ad diripiendos negotiatores lembis, ne quid importari in urbem posset, prohibebant.

Ostiam expugnat Marius.

XLVII. Ostiam quoque coloniam proditione quorumdam expugnavit Marius, multisque in ea peremptis civibus, oppidum nefanda strage diripuit, omnibus avaritiae, libidinis, saevitiaeque exemplis ibi editis. Ab alia parte Ariminum, missis eo copiis, Cinna redegit in potestatem: quo facto, quae in Togata Gallia collectae copiae erant, excludebantur. Unde arctae in urbe res esse incipiebant: tantam multitudinem cito premente commeatuum inopia; variisque interim obortis difficultatibus, quum longe omnia auxilia essent; populus animis, senatus consilio, magistratus auctoritate, concordia omnes deficerentur: multoque plus virium divisa in partes Roma haberet, quo se opprimeret, quam quo defenderetur.

Potentiam et divitias non sufficere ad beatitudinem Rerum public.

XLVIII. Haec nimirum illa est Romana respublica, cujus magnitudinem omnes mirantur; et solertissimus quisque rebus suis optime consultum existimaret, si ad eadem pervenire sineretur. Enimvero nusquam illustriora documenta exstiterunt, quam nihil sit in opibus atque potentia, bellique virtute, boni, si scientia desit utendi. Quemadmodum enim Herculi furenti longe fuisset satius, armis membrisque uti non potuisse, quam liberasse gravem clavam, et volucres emisisse sagittas, quibus semetipsum carissimis pignoribus spoliaret; ita civitati praestat exiguas habere vires, quam praegrandes, quibus in suum exitium abutatur. Ego certe, si detur optio, ejus civitatis civis esse minime vellem, quae gentibus omnibus imperare diceretur; ceterum per intestinos tumultus nemini suorum salutem atque dignitatem tutam praesta-

Cap. XLVI. Flor. 3, 21. Appian. Plut. Cap. XLVII. Liv. Epit. Plut. Flor. Oros. Appian.

re vel in horam posset. Igitur concordiae studendum fuerat, quae non nisi justitia et bonis moribus continetur. U. c. 665. A. C. 87.

XLIX. At pro his quidem ubique nunc perfidia, perjuria, sordes, ambitio, luxus invaluit, quibus rebus homines nihil aliud, quam laedere et laedi, docentur. Ergo his proximis annis nullum ferme toto orbe terrarum imperium fuit, quod non saevissimis motibus concuteretur. Et sicuti singulis hominibus facilis in morbos ex bono corporis habitu transitio est, ex mala valetudine in commodiorem aegre eluctamur: ita, quid de moribus hujus aevi sperandum videatur, nolo ominari. Certe parum abest, quin optimi quique sapientissimique desperaverint; quando jam soli deponunt imperia, qui soli fortasse, si haec emendabilia rerumpublicarum vitia forent, emendare potuissent. *Hodierni mores, et fortuna imperiorum.*

Cap. XLVIII. Aristot. Eth. 9, 6.

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI.

Italicis populis a senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma retinebant, Cinnae et Mario se

Italicis populis a senatu civitas data est] Hoc non suo loco referri, quod jam ante A. V. ıocı.xvi. et ante primum consulatum Cinnae factum fuerat, observarunt Sigonius 3. de Ant. Jur. Ital. 1. et Spanhem. Orb. Rom. Exerc. 1. cap. 10. DUK.

Qui soli arma recipiebant] Vet. lib. *retinebant*. SIG. *recipiebant* pertinaciter servant omnes nostri et aliorum Msti. Simili errore librarios verba *receptare* et *retentare* confudisse, docet Nic. Heinsius ad Claudiani 1. in Rufin. 307.

Plantius cum exercitu caesus est] Vet. lib. *Plautius* SIG. *Plantius* Norv. *Plancius* Leid. et Boend. *Platius* Voss. *Plautius* Berg. et Lov. *Plautius legatus* Exc. Pithoei. Eum indicari, qui A. Plotius supra vocatur Epit. 74. existimat Pighius in Annal. ad A. V. ıocl. pag. 159.

Janiculum occupaverunt]Vet. lib. *oppugnaverunt*. *occupasse* tamen aït Appianus. Itaque nihil muto. SIG. *oppugnaverunt* Berg. et Lov. 2. Sed *occupaverunt* servant Leidens. Voss. et Boend.

Antium quidem, et Ariciam, et Lanuvium colonias devastavit. Quum nulla omnino spes esset] Tolle *quidem* et *omnino*, veteribus lib. auctoribus. SIG. Has a Mario vastatas fuisse, Appianus quoque 1. Civ. 392. tradit, sed *coloniarum* nomen iis non addit. Ex his *Antium* dudum colonia fuerat, Liv. 3, 1. *Aricini* et *Lanuvini* etiam in civitatem accepti, 8, 14. Itaque *Antium* coloniam dicere potuit; *Ariciam* et *Lanuvium* cur colonias vocet, mihi non liquet. Eadem oppida quidem modo coloniarum, modo municipiorum nomine veniunt; sed hoc non in aliis locum habere potuit, quam quae etiam coloniae erant: in quo numero an *Aricia*, *Lanuvium*, et, quod Epit. 73. legitur, *Nola* fuerint, non immerito dubitat Sigonius 2. de Ant. Jur. Ital. 5. Nam quod quis putet, eas inter illas esse potuisse, quas Sulla in primo consulatu ante expeditionem in Graeciam adversus duces Mithridatis deduxisse dicitur in Epit. 77. et ideo fortassis a Mario, hoste Sullae, vastatas esse, non admodum firmum est, ut ex iis, quae ibi dicta sunt, intelligi potest. Frontinus quidem in libro de coloniis *Ariciam* lege Sullana munitam esse scribit: sed nihil vetat, hoc de colonia a Sulla post victas partes Marianas eo deducta accipi, ut alia, quae de Sullae coloniis in libro illo leguntur. *Lanuvi-*

conjunxerunt. ab iis Plautius cum exercitu caesus est. Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Janiculum occupaverunt, et fugati ab Octavio consule recesserunt. Marius Antium, et Ariciam, et Lanuvium colonias devastavit. Quum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem et perfidiam et ducum et militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant, Cinna et Marius in urbem recepti sunt: qui, velut captam,

um certe hoc tempore colonia nondum erat: nam eam Frontinus a Divo Julio deductam fuisse auctor est. Suspicor, Auctorem Epit. has vocasse colonias, non quod jam tempore belli socialis, sed ea aetate, qua ipse haec scribebat, coloniae essent. DCK. Voces *quidem* et *omnino*, a Sigonio expunctas, ignorant omnes scripti, quibus usus sum, ut et ed. Camp. De priori vide ad Epit. 55. de posteriori ad Epit. 58. Dein *Lavinium* Leid. Voss. Boend. Berg. Norv. et edd. vett. usque ad Gruteri ultimam, quae *Lanuvium* praefert, verisimiliter ex conjectura Cluverii lib. 3. Ital. Ant. cap. 3. pag. 898. et cap. 4. pag. 939. qui ita emendandum existimavit, tum quod *Λανούβιον* vocetur Appian. Alex. 1. Civ. 392. tum quod Lavinium jam hoc tempore nulla celebritate fuisse constet, contra quam Lanuvium, quo paullo ante coloniam a Sulla haud dubie deductam putat. Cluverii emendationem postea sibi vindicavit Keuchen. ad Frontin. de Colon. pag. 409. Sed saepissime quidem *Lavinium* et *Lanuvium* a librariis confundi, vidimus ad 3, 29, 6. Utrum tamen Lanuvium a Sulla colonia deducta fuerit, ut Cluverius arbitratur, non sine caussa viri docti dubitant. Certe, eo coloniam deductam esse a Divo Julio, auctor est Frontin. de Colon. pag. 139. Ex quo loco etiam superius apud eumdem Frontin. pag. 106. *Lanuvium*, pro *Lavinium*, legendum esse, viri docti observarunt. Insuper *expugnabit* Exc. Pithoei. *expugnavit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Propter segnitiem et perfidiam] *segnitiam* Voss. Berg. et ed. Camp. V. ad Epit. 79. *p segnitiam* Boend. V. ad Epit. 84. *propter perfidiam et segnitiam* Lov. 2.

Qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant] Voss. et Gudiani *aut in diversas partes transibant* J. FR. GRON. Similiter Leid. Berg. et Lov. 2, *inter diversas partes* Boend. et ed. Camp. Deinde *transiebant* Exc. Pithoei. *trahebant* Berg. Tum *qui corrupti sunt aut pugnare* Boend. *qui ..... sunt aut pugnare*, unius vocis lacuna relicta, Voss.

Qui, velut captam, eam caedibus et rapinis vastarunt] *et velut* Boend. et ed. Camp. Tum *raptam* Norv. et edd. vett. pro quo recte Mediol. anno 1505. *captam* reposuerunt. De errore hoc librariorum v. ad Livii

eam caedibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio consule occiso, et omnibus adversae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Caesare, quorum capita in rostris posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriae occisus. pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules

6, 23, 5. Hinc pronomen *eam* ignorat Boend. cujus loco *cum* legit Voss. Insuper *caedibus ac rapinis* Voss. Boend. et ed. Camp. *caedibus atque rapinis* Berg. Tandem *vastaverunt* Voss. Berg. Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

M. Antonio eloquentissimo viro, et C. Caesare] Vet. lib. *L. et C. Caesare*. Recte. fratres enim hi fuerunt, ambo in reditu Marii interfecti. Auctor Appianus et reliqui. SIG. Lege *L. et C. Caesaribus*, *quorum capita*. J. FR. GRON. *et C. L.* vel *Lucio*, *Caesare* Leid. Voss. Berg. Boend. Exc. Pithoei, et edd. Camp. Rom. anni 1472. ac Parm. Forte scribendum *M. Antonio*, etc. *et C. et L. Caesare*. Particulam enim connectentem ita repetere solitum fuisse Auctorem Epitom. vidimus ad Epit. 46. C. Caesarem autem ante L. Caesarem memorat etiam Appian. 1. Civ. 394. Gronovio *Caesaribus*, pro *Caesare*, legenti non adversarer, si Livium prae manibus haberem: eum enim ita saepissime locutum esse, vidimus ad 6, 22, 1. Morem autem hunc Livianum non semper observavit Auctor Epitom. Certe aliter locutus est Epit. 77. *Duodecim a senatu hostes*, *inter quos C. Marius*, *pater et filius judicati sunt*. ubi etiam Gronovius, invitis omnibus libris, conjicit *Caji Marii*, *pater et filius*. Epit. 100. *Bellum deinde inter Tigranem*, *filium patremque*, *gestum continet*.

Quorum capita in rostris posita] Vet. lib. *in rostris posita sunt*. SIG. *eorum capita* Voss. Tum *in rostra* ultima Gruteri ed. pro quo Gronovius *in rostris* revocavit, consentientibus omnibus nostris. Id igitur praeferendum, licet et altero modo scriptores antiquos locutos esse negari nequeat. Ovid. 3. Fast. 220.

In terram posito procubuere genu.

Sall. Jug. 17. *In divisione orbis terrae plerique in partem tertiam Africam posuere*. V. ad 1, 18, 8. et 41, 28, 7. Deinde *posita sunt* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Mox *ab equitibus Fimbriae occisus*, pro *interemtus*, Leid. Voss. Berg. Boend. et ed. Camp. *occisus est* Lov. 2. V. ad Epit. 57. Insuper *et arula comitia* corruptissime Voss. *et citra nulla comitia* Berg.

Renunciaverunt, eodem die, quo magistratum inierant: Marius Sex. Licinium] Sic interpunge, et lege: *Eodemque die, quo magistratum inierant, Marius* etc. SIG. *eodemque die* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et

in sequentem annum se ipsos renunciaverunt: eodemque die, quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium Senatorem de saxo dejici jussit; editisque multis sceleribus, Idibus Januariis decessit: vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. adeo, quam rempublicam armatus servavit,

edd. vett. usque ad Frob. qui copulam omisit. Eamdem ignorat et Leid. Interpunctionem primus vitiavit Curio.

Sex. Licinium senatorem de saxo dejici] In Plutarchi vita Marii (pag. 432.) pleraeque editiones habent Σέξτον τινὰ Λουκίνον. Sed Aldus ibi sive e libris scriptis, sive ex Epitoma Livii ediderat Λικίνιον, de quo miror viros doctos, qui ad Vellej. 2, 24. dubitant, Epitoma e Plutarcho, an hic ex illa emendandus sit, nihil monuisse. Muretus, idoneus harum rerum arbiter, in Plutarcho, quod ad Edit. Londinensem vitarum illarum adnotatum est, probarat Λικίνιος. Nec sine ratione: nam hoc notum nomen Romanum est; Λουκῖνος fortassis nusquam in historia Romana de homine Romano lectum. Vellejum, qui *Sex. Lucilium* a P. Laenate, tribuno plebis, de saxo Tarpejo dejectum dicit, eamdem rem narrare, quod quidam putant, non credo: in eo enim omnia alia, praeter genus supplicii, diversa sunt. Sed in Exc. Peiresc. e Dione pag. 644. ubi scriptum est, C. Marium filium Cal. Januar. tribunum quemdam plebis de saxo Tarpejo dejecisse, non dubito, quin eadem res referatur. Unde Pighius hauserit, quod ad A. V. ɔɔcLXVII. scribit, Licinium a Mario de saxo praecipitatum, quod adfuturas ipsi atque urbi novas calamitates praedixisset, invenire non potui. Sed propemodum credo, eum non satis attenta mente verba Plutarchi de hac re legisse. DUK. *de saxo ejici*, vel *eici*, Leid. Voss. Berg. et ed. Camp. Sed v. ad Epit. 59.

Editisque multis sceleribus, Idibus Januariis decessit] *plurimis sceleribus* Leid. et Lov. 2. *pluribus sceleribus* Voss. Berg. Boend. et editio Camp. Similiter variant librarii infra Epit. 83. 89. 98. et alibi. Vide ad Epit. 51. Tum *Idibus Januarii* Leid. Lov. 2. et Boend. V. ad Livii 4, 37, 3. Mox *vir enim si* Leid. Tum *examinaretur ex virtutibus vitia* Voss. Deinde *dictu, virne bello melior, aut pace* idem Voss.

Adeo, quam rempublicam armis servavit] *adeo, qui rempublicam armis fovit* Leid. Sed nihil muto. Non tantum enim Marius rempublicam armis et fortitudine fovit, sed etiam tempore belli Cimbrici servavit, ut optimates fatentur supra Epit. 68. *Primores civitatis, qui aliquamdiu ut novo homini ad tantos honores inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur.*

Postremo armis evertit] Vet.

eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.

lib. *armis hostiliter evertit.* SIG. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei. Vox *hostiliter* abesse quidem posset, quum vix aliter, quam hostiliter, urbs vel respublica everti queat. Sed ita et Liv. loquitur 9, 38. *Castella vicique aut deleta hostiliter, aut integra in potestatem venerunt.* 37, 17. *Agrum circa Romam hostiliter depopulati sunt.*

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLV.

IN LOCUM LIBRI LXXX. T. LIVII.

I. In his angustiis quum deprehensa respublica esset, omnia circumspiciens senatus nulla, satis aut matura, aut firma, praesidia reperiebat. L. Sulla, in quo spes esse maxima potuisset, procul in Graecia gerebat cum Mithridaticis copiis bellum: servitia si armarentur, plus dedecoris allatura, quam auxilii, putabant. Unicum erat haud poenitendum, ut in tali tempore, consilium, *ut Italicis omnibus, modo arma posuissent, civitatem darent. Ita et illos, et, qui adhuc eo bello implicitus erat, Q. Metelli exercitum, velut communi patriae succursures.* U. c. 665. A. C. 87. *Consilia senatus.*

II. Sed Italicorum nemo ferme praeter Lucanos et Samnites, supererat. Lucani Cleptio et Lamponio ducibus Asiam, oppidum munitum in Brutiis, longo tempore inani conatu obsederant: Rhegium etiam oppugnare conati erant; si potiti ea urbe fuissent, Siciliam petituri. Sed praetor insulae C. Norbanus, magnitudine apparatus territis Italis, periculo Rheginos eripuit. Ergo Lucani, beneficio senatus usi, Sullanis partibus se adjunxerunt. Ceterum id quidem in praesentia modicum gaudium fuit, quod infirmior ea pars sociorum, et in ultimum Italiae angulum submota erat. *Lucani Sullanis partibus accedunt.*

III. Samnites, qui jam soli arma retinebant, Campaniamque et superiores regiones vexabant, conciliare, majus operae petium fuerat: sed dum honestas conditiones senatus exspectat, a Mario nihil non tribuente praeventus est. Q. Metello Pio consules eo de negotio scripserant, castra contra Samnites habenti, ut, quibus posset, conditionibus cum iis transigeret. *Samnites contra Marianis.*

Cap. I. Appian. Civil. l. 1. Liv. Epit. Cap. II. Diodor. l. 37. Cap. III. Liv. Epit. Appian.

U. c. 665. A. C. 87. Sed illi civitatem non sibi modo, sed etiam iis, qui ad se transfugissent, paciscebantur: praeterea praedam undecumque ablatam retinebant: postremo captivos atque transfugas omnes sibi restitui postulabant. quae tam inhonesta quum neque Metellus, neque Patres concederent; Cinna, quid ageretur, sentiens, auctore Mario, quaecumque petissent, pollicitus, Samnites partibus suis adjunxit. Ab his deinde, quum Romam arcessitus Q. Metellus esset, A. Plautius cum exercitu oppressus est.

Marius in urbem irrumpens repellitur.

IV. Inter haec Ap. Claudius tribunus militum, qui Janiculo praeerat, ut Mario beneficii, nescio cujus, gratiam referret, circa diluculum semiaperta porta eum intromisit. Cinna quoque cum parte exercitus eadem ingressus est, statimque ad captae urbis rumorem Sertorius et Carbo accurrerunt. Sed, Octavio consule et Cn. Pompejo celeriter arma opponentibus, locum tenere non potuerunt.

Pompejus adolescens insidias eludit.

V. Circum haec tempora Cinnae insidiis petitus Cn. Pompejus, consilio adolescentis filii, quem postea Magnum terrarum orbis agnovit, est conservatus. Is, a virili toga commilitio patris adsuetus, contubernalem L. Terentium habebat, quo plurimum et familiarissime utebatur. sed corruptus a Cinna Terentius ita partes cum sociis diviserat, ut illi tabernaculum ducis incenderent, hic per insidias tollere Pompejum. Tam atrocis propositi indicium coenanti Pompejo delatum est. quo dissimulato, adolescens hilarius etiam solito bibit, et cum Terentio, qua solebat comitate, agere perseveravit. Deinde cubiculum ingressus, ubi proditoribus satis persuasum esse quod volebat, censet, clam subducit se a tabernaculo, firmaque patri circumposita custodia, eventum quietus exspectat. Interea Terentius, Pompejum in eodem contubernio dormire putans, clam e cubili surgit, correptoque gladio lectum Pompeji repetit ictibus confodit.

Et seditionem castrorum sedat.

VI. Hinc orto tumultu, magna consternatio incessit copias, odio ducis, et ad defectionem pronis animis ad quamlibet occasionem mobiles. jamque diripi tentoria, sumi armi coeperant: neque proconsul obviam ibat, offerre se tumultuantibus non ausus. Adole-

Cap. III. Liv. Epit. Cap. IV. Appian. Plut. Mar. c. 5. Appian. Liv. Epit. Appian. Cap. V. Plut. Pomp. c. 5. Vell. 29. Cic. pro lege Manil. c. 10. Plut.

cens Pompejus, mediis agminibus immixtus, prehendebat milites, lacrumabatur, supplicabat: postremo, abjecto in porta castrorum corpore, illac jubebat transire fidem mutaturos. donec multo fletu et deformitate spectaculi retento militi rediit pudor, et praeter octingentos, qui jam ad Cinnam transierant, reliquus exercitus pacatus, imperioque proconsulis restitutus est. U. c. 665. A. C. 87.

VII. Minime tamen diuturnus receptae potestatis usus Pompejo fuit. Paullo enim post utrumque exercitum pestilentia invasit: et de Pompeji copiis hominum millia undecim, de Octavianis sex desiderata sunt. Deinde ingens apud Romam tempestas orta est, et castra, praecique Pompeji, tam crebris percussa fulminibus, ut ruere coelum videretur. Arma signaque passim tacta: milites, et quidam ex illustribus, exanimati sunt, ipse quoque proconsul fulmine adflatus interiit. Tum improvisum viri exitum singularis etiam exsequiarum ignominia comitata est. Quod enim imperio et maximis exercitibus instructus, periclitanti patriae tempestive subvenire neglexerat; in tantum populi Romani odium venit, ut lectum ejus, quum ad rogum efferretur, diriperet, corpusque omni contumelia adfectum unco traheret. *Cn. Pompeji Strabonis mors, et exsequiae.*

VIII. Dum ista fiunt, Marius, relictis supra infraque urbem ad arcendos commeatus praesidiis, ut etiam ex agris subvectionem omnem amputaret, vicina oppida, in quibus populi Romani horrea erant, subito aggressus, Antium, et Ariciam, et Lanuvium, et praeterea nonnullas alias colonias, vi aut proditione potitus, deletis propemodum habitatoribus, devastavit. Inde, priusquam aliis ex locis importari aliquid rerum necessariarum posset, Appia via urbem petens, adsumptis ceteris ducibus, intra tertium decimum lapidem castra posuit. *Marius colonias circa Romam occupat.*

IX. Contra ab urbe consul Octavius, cum P. Crasso et Q. Metello, venientibus occurrit, virtute numeroque militum non inferior; neque impar negotiis, nisi quod, rebus turbatis, eadem omnia custodienda credebat, quae composita republica erant constituta. Inde lenta et impedita consilia quasi vinctum

Cap. VII. Vell. 2, 21. Oros. 5, 19. Appian. Jul. Obseq. Plut. Pomp. c. 1. Jul. Obseq. Vell. Plut. de his qui sero a num. puniuntur, c. 15. Cap. VIII. Appian. Liv Epit. Oros. Appian. Cap. IX. Plut. Mar. c. 71. Dio apud Vales.

U. c. 665. A. C. 87.

constrictumque hostium audaciae praebuerunt: qui, omnia ausi, duces, milites, ad extremum servos, quibus quemque poterant, artibus promissisque excitabant. Exercitus Pompeji post interitum proconsulis Q. Metellum ducem optaverat. *sub impigri viri ductu neque virtutem sibi, neque fortunam defuturam esse.* Q. Metellus, quod ea res contra leges fieri videretur, legatos cum minis et conviciis adire consulem jussit, et illi audientes dicto esse. At vero milites, consulem, ut segnem et rerum imperitum, aspernati, signa ad hostes transtulerunt. Crebra inter haec et ex urbe transfugia fiebant, servitiorum maxime, cui generi, circummissis ad urbem praeconibus, libertatem Cinna promiserat.

Pompejanus exercitus ad hostes transit.

X. Eo jam perventum erat, ut spes resistendi nulla superesset. ducum alias segnities, alias perfidia rem corrumpebat. militum quoque corruptum vulgus aut pugnare nolebat, aut palam transibat ad hostes. Urbanae plebis, si annonae inopia diutius premeretur, desperatio haud minus formidini optimatibus, quam superiora, erat.

Sententiae de mittendis ad Cinnam legatis.

XI. In tantis angustiis convocato senatu, plerique, mutato consilio, *mittendos ad Cinnam legatos* censebant, *de conditionibus pacis acturos. Nihil civili bello funestius, omnesque prae illo tolerabiles calamitates esse. Optandum sane fuisse, postquam eo Deorum ira perventum esset, ut par modestior vinceret; sed adversus vim majorem resisti non posse. Omnia expertos, ut sibi atque urbi consulerent, nihil proficere: quin ipsis remediis morbum invalescere. Transitione militum et plebis auctas Cinnae Mariique in immensum copias et plures propemodum inde militare, quos ipsi, quam quo hostes, sacramento rogassent. Reliquorum etiam magnam partem, corpore apud ipsos, animo votoque cum adversariis agere. Non igitur dubitandum, quin mittendis legatis tentandi sit compositio. C. Marium, L. Cinnam, illum senectam suam et tot magnifica non ita clausurum, hunc primo consulatu e maturitatem votorum et summi loci dignitatem non ita inchoaturum, ut ille gestis honoribus, hic speratis, indignus videri debeat.*

Causae mittendi.

Rationum in contrarium confutatio.

XII. *Quod si quis diffidere malit, et praesago animo futurorum malorum acerbitatem enarrare, ei hoc fore cogitandum, neque illa evitari, hac quidem ratione, et provocare praeterea plura posse. Non ita cum rebus humanis agi, ut quo*

Cap. IX. Plut. Appian. Cap. X. Liv. Epit. Appian.

libet tempore teneri queat tuta et periculorum expers via. plerumque de eo tantummodo deliberari, utro modo miseriarum sit futurum minus. Sane non esse inanem metum eorum, qui vehementiam Cinnae, qui asperitatem Marii timeant. sed, ut omnia quam possint procedant pessime, in paucos forte expeditura calamitatem: populum certe Romanum urbemque in tuto fore. U. c. 665. A. C. 87.

XIII. *Neque scire ipsos, qui hanc sententiam dicant, utrumne illorum sanguine saziare cupiditatem ultionis inimici velint: sed ita existimare, sibi subeunda potius extrema omnia esse, ut urbem servent, quam committendum, ut suae incolumitatis gratia rempublicam inexplicabilibus malis involvisse dicantur. Mortem curvis tolerandum esse: felices, qui ob patriam oppetierint; feliciores etiam, si antevertant avertantque populi cladem: cui si trahatur obsidio, fame pereundum sit; si pugnando vincat hostis, ferro. Quod si forte Cinnae aut Marii suspecta quibusdam sit fides, pactis obligari et jurejurando posse: et ut sic quoque non omnia respondeant votis, mitiorem tamen sperari victorem posse, cui conditiones et preces, quam cui arma opposueris.* *Sententiam hanc dicentibus forte periculosam, ac reipub. salutarem fore.*

XIV. His atque talibus pauci, et praecipue Q. Metellus, obsistebant. *Vellem equidem*, inquit, *aut civibus nostris modestia, aut senatui animus constitisset: nulla existiscent civilia bella, aut compressa in ipso exortu fuissent: neque nos novae deliberationis egeremus. Sed, quia pessimi quique omnia audent, boni omnia formidant, in hunc nimirum statum res pervenit, ut leges ab his cogamur accipere, quibus, si leges valerent, nullus esset consistendi tota Italia locus. Mihi sane etiam servari rempublicam, consuli civibus, parci vitae tot millium, parci incolumitati placet. sed sera haec est, postquam nulla nobis restat, quae servari respublica possit, deliberatio: et, reliquiis ejus quemadmodum rectissime consulatur, ambiguum faciunt, qui placitam nuper sententiam ob duriores quosdam eventus mutaverunt.* *Q. Metellus Pius contra disserit.*

XV. *Dudum enim concors senatus censuit, contra vim fugitivorum et exsulum, armis defendi rempublicam oportere, nunc eamdem illam sententiam damnant plerique, qui tulerunt, dum legatos mitti jubent, et velut cum justis hostibus de paci agi. Sed id quidem sine maximo tum pudore, tum etiam incommodo, fieri a nobis nequit. Sic enim omnia tot mensium decreta una opera rescindimus; et paucorum exsulum potentiae cedere senatus majestatem patimur; eoque et malorum confirmamus audaciam, et bonos exarmamus, paulloque minus, quam vinctos, tradimus inimicis. Qui enim hactenus omnia pro communi salute prompte enixeque fecerunt, quique facturi fue-* *Priora senatusconsulta oppugnat.*

U. c. 665. A. C. 87.

runt postea, ii, Patrum timore perspecto semel, concidem animis; et fortasse, non exspectato, donec in commune transigatur, sibi quisque propitios celeri obsequio efficere voler, quos paullo post habendos sibi dominos intellexerit.

Timore quorumdam res deteriores factas docet.

XVI. *Atque ipsa illa transfugia, quibus concussi quorumdam animi contremiscunt, ab hac dubitatione magis, quam ab ulla alia caussa, profecta sunt: mansuris in fide plerisque, si quanto conatu oppugnari rempublicam vident, tanto consensu defenderetur. Contra famem multa remedia excogitavit necessitas. conferendo in publicum, quod privatim quisque continet, dimetiendo frumentum, emittenda inutili turba, saepe quaesita repertaque est avertendi extremum exitium opportunitas. Denique hoc ipsum Capitolium teneri contra Gallos nequivisset, si tam mollis adversus famem illa aetate fuisset Romana juventus.*

Capitolii a paucis defensi admonet.

XVII. *Sed nunc, ajunt, non est res cum Gallis: Marius et Cinna ante portas sunt, et ceteri, qui, videlicet Romano sanguine orti, pietatem patriae praestabunt, civibus veniam, pactis fidem. Hei mihi, quam celeriter poenitebit vos hujus opinionis, simulatque horum in potestate corpora vestra, conjugumque, et liberorum, erunt! Neque mihi haec ignorare aut consenescere videmini, sed taedio praesentium quidlibet malle. Sed hoc parvi infirmique animi argumentum est, neque ferre valentis, quae adsunt, neque duraturi in iis, quae elegerit.*

Pro patria pugnandum.

XVIII. *Quibus autem forte decretum est omnia pro patria pati, pro hac opes fortunasque suas, pro hac spiritum atque vitam profundere, rectius, quum ad utilitatem praesentium, tum ad famam posteritatis, facient, si potius in tuenda civitate dignam viris mortem obeant, quam si, deserta traditaque tyrannorum arbitrio aut cum cruciatu intereant, aut cum ignominia vivant. Magna vis est ad audenda quaelibet, etiam singulis et contemptis hominibus, si semel cupiditatem abjecerint vitae: multos atque egregios viros, quibus ea ratio placuerit, ne destinata exsequantur, vix ulla potentia satis arceat.*

Esse adhuc vires.

XIX. *Omitto Scaevulas, et Coclites, et Curtios, et tot decora nomina, quae liberis vestris inculcare soletis, ut horum exemplo amare patriam discant. Meminerimus eorum, quos vidimus ipsi: multas saepe urbes, quum ad extremum necessitatis venissent, constantia defensorum servatas; alias, quae servari potuissent, mollitie civium deditas, tristissima quaeque passas esse. Sunt nobis adhuc militum fortissimorum fidelissimorumque haud spernendae copiae: est melior haec et amantior patriae pars populi: arma, machinaeque supersunt: urbs diligentia consulum, quoad fieri potuit, munita est.*

Et mutari fortunas solere.

XX. *His rebus non desperem tamdiu resisti hostibus posse, donec Fortuna aperiat meliori spei locum. Multa, quum d*

sperata pro insanabilibus essent, subito aliquo casu commodiorem in statum reducta sunt. Aliqua inter duces factionis obortа suspicio, res apud pravos et aemulos vulgata, mutabit omnia: ipsum urbis periculum invitabit multos, ut misereri et succurrere velint: et sunt egregia quum alii populi, tum qui Cisalpinam Galliam colunt, in rem Romam fide; summusque noster pudor foret, si diutius illos Arimini, quam Cinnam et Marium, defendentibus nobis, Roma moretur. Si nulla spes sit alia, Sullam revocemus: aut, si haec quoque intolerabilis mora videtur, ipsi potius concedamus novis civibus, quod petunt. Ubi senatum populumque habebunt hujus beneficii auctores, Cinnam et ceteros ejusdem sortis non ultra morabuntur. U. c. 665. A. C. 87.

XXI. Frustra haec in tanto plurium metu dicebantur. Idcirco, quum legatio decerneretur, Q. Metellus, urbis salute desperata, ut melioribus se temporibus servaret, in Ligures primum, deinde ex Liguribus in Africam est profectus. *Sed legatio decernitur.*

XXII. Legatos, priusquam inciperent fari, L. Cinna interrogavit, *ad consulemne, an vero ad privatum venirent?* Haerentibus illis, deinde ad consulendum senatum in urbem reversis, magna etiam ingenuorum civium multitudo ad Cinnam se contulit: multi famem veriti; pars major jam ante illis partibus addicta, et ad nudandos animos opportuna tempora captans. Inde mirifice confirmatus animo Cinna, sub ipsis moenibus Romae extra jactum teli consedit. nec enim Octavius objicere sese audebat, transfugiis et legationibus omne homini consilium omnemque propemodum mentem eripientibus. *Cinna sub ipsis moenibus castra ponit.*

XXIII. Senatui non plus animorum, quam Octavio, supererat. Cinnam pro consule habere, id vero erat exauctorare Merulam; quem, sanctissimo sacerdotio praeditum, sine ulla sua culpa, juste partis honoribus exui triste; contra, Cinnae non obsequi, exitiosum habebatur. Ut rebus trepidis solet, utilibus honesta cesserunt: et L. Merula consul, egregii civis officio functus, verbis in senatu, deinde ad populum factis, *Ego vero*, inquit, *si praeter hos fasces nihil impediremento paci est; paratus vobis dux et auctor ad concordiam ero. Quod igitur senatui populoque Romano bene vertat, consulatum, quem invitus accepi, lubens ecce depono.* *L. Merula consulatum abdicat.*

Cap. XXI. Plut. Mar. Appian. p. 398. Liv. Epit. 84. Cap. XXII. Appian. p. 392. Cap. XXIII. Diod. apud Vales.

U. c. 665. A. C. 87.

XXIV. Post abdicatum a Merula magistratum, legati ad Cinnam, tamquam consulem, remissi sunt. neque multa iis mandata dari tempestivum fuit. id unum Cinna, ut caedibus temperaturum juraret, rogabatur. Ille jurare per superbiam abnuit. se tamen volentem negavit cuiquam mortis caussam fore. Octavium etiam, qui circumita urbe per aliam portam erat ingressus, moneri jussit, abstineret publico, ne quid ei se invito accideret. Haec de loco superiore, tamquam consul, legatis respondit. Ad curulem ejus Marius adstabat tacitus, sed eo vultu, ut nihil aliud, quam vindictam et caedes, meditari appareret. Neque multum intercessit morae, quin senatus verbis Cinna atque Marius in urbem venire rogarentur. Marium enim diserte addiderant, non ignari, Cinnae quidem nomen his factis obtendi, ceterum potissimum eorum auctorem Marium esse.

Cinna atque Marius in urbem venire rogantur.

Marii minax ingressus.

XXV. Quum ad urbem ventum, et Cinna cum satellitibus ingressus esset, Marius substitit ad portam; et, acerbum subridens, *exsulibus patere aditum* negavit. Idcirco, Cinna operam dante, lex de restituendis exsulibus statim ferri coepit. neque ultra exspectatum, quam ut tres aut quatuor tribus suffragia ferrent. tum irrupit in urbem velut captam, fugitivorumque delectum agmen trahens, quos *Marianos* appellabat, caedibus atque rapinis omnia vastavit. Aliis quoque portis exercitus inundabant urbem: iisque mox occlusis, adversariorum, et sub hoc nomine quorumcumque volebant, domos diripiebant.

Mores consulis Octavii.

XXVI. Jam antequam in urbem Marius irrumperet, Cn. Octavius sublatus e medio fuerat. Amicis fugam suadentibus, sive Marii Cinnaeque juratis promissis fidens, sive potius haruspicum ludibriis retentus, quam in vanitatem proclivi credulitate agebat, in Janiculum cum aliquot illustribus viris et parte copiarum concessit. *Indignum enim atque turpe facinus* ajebat *se commissurum esse, si patriam consulari imperio praeditus desereret.* Igitur illum sella curuli, magistratus insignia retinentem, adstantibus juxta lictoribus, Cinnae jussu praemissus cum equitibus Censorinus invasit. Ibi quoque hortati ad fugam amici equum obtulerant: ille

Cap. XXIX. Vell. 2. 22. Appian. Plut. Appian. Cap. XXV. Plut. Vell. 2. 21. Appian. Dio apud Vales. Plut. Dio. Cap. XXVI. Appian. Plut. Appian. Vell. 2. 22. Appian.

ille, ne surgere quidem dignatus, necem in ipsa curuli exspectavit. U. c. 668. A. C. 87.

XXVII. In sinu interempti tabellas repertas esse cum signis Chaldaeorum ferunt, illustri ad coarguenda artis inania documento. Caput cervicibus abscissum Censorinus ad Cinnam attulit, a quo missum in rostra est, ut, quo loco caput spectatum P. Sulpicii foret, proponeretur. Tum demum revelli terra caput potuisse, quod nulla apparente caussa ex simulacro Apollinis abruptum diu ante fuerat, ferunt: expleto scilicet eventu prodigii, quod ad suum exitium pertinere Octavius ipse praedixerat. *Chaldaeorum vanitas.*

XXVIII. Consultatio deinde ducum tenuit, quemadmodum victoria uterentur, pacemque firmarent. Pro suo quisque ingenio censebat: sed nemo vel lenitate Q. Sertorium, vel saevitia C. Marium adaequabat. Sed ille nec auctoritate par erat Mario, et, quidquid dicere poterat, jam a Mario cum adsensu ceterorum videbat occupatum. Nam rogatus sententiam Marius, ut erat, inter iram toleratae fortunae, et laetitiam emendatae, parum animi compos, ita coepit. *Deliberatio Cinnae et reliquorum.*

XXIX. *Si quidem ea de re deliberatis, L. Cinna consul, ceterique senatores, legatique, et praefecti, quemadmodum in praesentia, quod vultis, obtineatis, mea sententia res non indiget. Nam acerbissimi paullo ante inimici vestri ultro vobis reditum in patriam, reditum ad honores, ad facultates, principem in civitate locum, legum, de quibus decertatum est, lationem et alia hoc genus liberaliter offerunt. Sin vero, non quid illi vobis offerant, inuemini, sed hoc potius, quemadmodum ad ea, quae cupiatis obtinere, nihil sit illorum consensu aut beneficio opus; magnopere interesse arbitror, ut, quae me, hujus reipublicae non rudem, sed aetate ac usu inter primos, res ipsae docuerunt, hoc tempore non dissimulem.* *Marii crudelis oratio.*

XXX. *Jam olim in civitate nostra duae velut partes fuerunt: altera Patrum, qui, nescio, cur* optimates *vocentur; altera libertatis, quae, quia multitudini praecipue grata esse debuit, non abs re* popularis *est nominata. Neque nos hujus discordiae auctores sumus, sed, simulatque regum ex urbe submota potestas est, senatus jura regia sibi vindicare voluit: plebs, quam in regibus non tulisset dominationem, eam ab aliis* *Optimatum et Popularis factiones;*

Cap. XXVII. Plut. Appian. Aug. de Civ. Dei, 3. 27. Flor. 3. 21. Val. Max. 1. 6. Cap. XXVIII. Diod. Eclog. l. 38. Plut. Sertor. Diodor.

U. c. 665. A. C. 87. *civibus pati indignum intolerandumque judicavit. Ab eo tempore, quidquid per leges aut armatas quandoque discordias actum est, id omne eo pertinuit, ut vel in multitudinem dominari pauci cuperent; vel adversus cupiditatem paucorum jus suum populus adsereret.*

Et inter utramque medii.

XXXI. *Inter haec quandoque praestantes virtute ac meritis viri exstiterunt, qui ex aequo invidiam nobilitatis et levitatem populi odissent. ii, tamquam solliciti causique gubernatores, inter pugnantes ventos ita direxerunt vela, ut quam minima jactatione et offensa, ac fieri per tempora reipublicae posset, tranquillitatis atque securitatis portum obtinerent. Sed et ipsi illi, quoties destinatis, qua institerant via, potiri posse desperarunt, indignatione et odio efferati, quod effici persuasione ac moribus nequibat, vi et armis adsequi tentaverunt.*

Fontes omnium in republica tempestatum.

XXXII. *Ab his velut fontibus, tanta jam aetate, prorupit immensa vis undarum atque fluctuum, quae rempublicam, toties crudelissimis tempestatibus vexatam, in eum statum redegerunt, quem inviti gementesque videmus. Sed nimirum quemadmodum in humanis corporibus, quoties tentata morbo sunt, optare quidlibet licet; fieri, nisi quod natura patiatur, non potest: ita in hac gravissima civitatis aegritudine, non qualibus quis malit, sed quae sunt ad praesentem usum accommodatissima remedia, iis utendum est.*

Iis malis fortem adhiberi medicinam oportere.

XXXIII. *Etiam medici devenire ad ferrum et ignem solent, ubi leniora remedia pertinax morbus respuit: neque saevitia ad urendum secandumque, sed misericordia hominis, et servandi eum proposito votoque adducuntur. Idem ego hoc tempore sequendum nobis exemplum autumo, quibus in periculosissimo civitatis morbo de idonea medicatione deliberandum est. Sane si esset aliqua medendi suavior ratio, illam potius adhibendam esse dicerem. sed quia mihi compertum est, hoc genus morbos non emendari timida curatione, sed augeri solere; nemo mirabitur, si, quod in corpore meo salubriter expertus sum, idem in republica tentandum arbitror.*

Etiamsi cum dolore sit conjuncta.

XXXIV. *Quum molesti mihi varices essent, exsecandos praebui. non aberat acutissimi doloris sensus, sed tanti esse valetudinem arbitrabar. Sunt etiam, credite mihi, sunt in praesentia quidam velut reipublicae varices, quos etiam cum dolore quodam corporis excidi, ad sanitatem profuerit. Neque hic mihi clementiam aliquis aut misericordiam nominet. Saepe is animus aegris est, ut interire morbo, quam liberari cum*

Cap. XXX. Varro de vita pop. Rom. l. 4. Cap. XXXIV. Cic. Tusc. Quaest. 2. 22.

aliqua molestia, malint: his, qui parcendo nocet, quam qui offrudendo consulit, crudelior est. U. c. 665. A. C. 87.

XXXV. *Praeterea summae dementiae res esset, eos incolumes pati, quibus mox, si forte iterum convalescant, dandum jugulum fuerit. Parcamus sane Sullanis hominibus, si illi Gratidio, si Sulpicio, si nostrorum cuiquam pepercerunt. Nam illi quidem atque alii multi crudeliter interfecti sunt: nos beneficio fugae prius, nunc virtute nostra et armorum tutela vivimus, carituri vita, simul his carere coepissemus. Quemadmodum igitur amentem potius, quam misericordem, vocaremus, qui, feram bestiam quum occupare telo posset, abstineret ictu, mox ab ea devorandus: ita nulla posset exsistere satis acerba nostrae stultitiae accusatio, si vivere sineremus eos, a quibus totiès petiti ad necem sumus: ut sint videlicet, qui nos nostrosque et has omnino partes funditus tollant.* *Praeterea dementium esse, inimicis parcere.*

XXXVI. *Ut enim semel explicate dicam, quod res est, decutienda sunt Sullanarum partium capita. non, nisi his remotis, stabiles nostrae in rempublicam opes erunt. Quin et illud addidero: tametsi nostram caussam, quod abominor, oderint Dii, atque omnia nobis acerba atque funesta efficiant, tamen, si mature de inimicis nostris ultionem sumpserimus, hanc nobis voluptatem, hanc felicitatem non poterunt eripere. Mihi sane, ut me vobis indicem, morti similis vita videbitur, si eadem luce fruentem adspiciam Catulum, beneficii, quo servatus est, perpetuum obtrectatorem; si Caesarum, si Crassorum odiis vicem nequeam reponere; si Metellos tolerare diutius et Antonios cogar.* *Igitur tollenda Sullanarum partium capita.*

XXXVII. *Sed neque vos, opinor, licet mitiorem aliquis animum simulet, inimicos vestros vivere, atque adeo valere, patienter feretis. Nisi forte collegam tuum lubenter amplecteris, Cinna consul, a quo multa tuorum occisa millia, te expulsum urbe, omni deinceps contumelia vexatum meministi. Quid si L. Merula tibi occurret, tertius hujus anni consul, cujus nomen non alia, quam per summam injuriam tuam, irrepere in fastos potuisset? Ceteri vero perquam tibi jucundi sunt futuri, quorum haec omnia decreta sententiis, peracta voluntate, opibus animisque defensa novimus. Quod si quis forte ab hac ratione dissentiat, eum primum adhortor, ut, priusquam obloquatur, maturius secum dicta mea perpendat: deinde, siquidem perstare in sententia velit, commonefacio, ita temperet, ut tamen amicior nobis, quam hostibus, esse videatur.* *Idque ceteros etiam sentire autumat.*

XXXVIII. Quum ita Marius dixisset, et plerisque eadem crudelitas esset, alios auctoritas illius et horum inclinatio deterreret, huc concursum pactorum. *Multi instigantes viri mercantur.*

U. c. 665. A. C. 87. que et jurisjurandi neglecta fide, multi insignes viri necati, et capita, velut jam recepto more, posita in rostris sunt. In his C. Atilius Serranus vir consularis, et P. Lentulus fuerunt. C. Caesar Strabo, hospitis Etrusci scelere proditus, in penatibus suis trucidatus est. M. Baebius sine ferro, manibus, ferarum more, discerptus; deinde cum C. Numitorio per medium forum uncis carnificum raptatus est.

M. Antonius proditus.

XXXIX. M. Antonium consularem villicus in praedio suo celabat. sed simplicitate servi et scelere cauponis res est prodita, quum a tenuis fortunae homine generosius vinum, et solito carius, emeretur. Marium epulis accumbentem detecti Antonii indicio sic exsultasse ferunt, ut, clamore edito, manibusque complosis, ipse profecturus ad necandum fuerit, nisi foret ab amicis cohibitus.

Quum milites eloquentia destineret, a tribuno occiditur.

XL. Missi cum P. Annio tribuno milites, quum ad Antonium venissent, sic hominis eloquentia veluti constricti stetisse dicuntur, ut post longam exspectationem adscendens ad visendum tribunus intactum adhuc repererit, coactusque fuerit ipse commodare Marianae saevitiae manum. Caput Antonii relatum ad Marium, et in ipsis mensis appositum est: nec ipse abstinuit, quin suis manibus avide tractaret, Anniumque recenti sanguine madentem in sinum suum reciperet.

Crassorum interitus.

XLI. Ejusdem imperio L. Caesar, qui consulatum et censuram gesserat, apud seditiosissimi et vilissimi hominis Q. Varii bustum a C. Fimbria, crudelissimo Cinnae satellite, tamquam piacularis hostia, immolatus est. Duo Crassi, quum in fuga essent, ab equitibus Fimbriae sunt occupati. filium in conspectu patris equites interemerunt: pater, ne quid indignum sua virtute pateretur, sua se manu interfecit. Capita omnium pro rostris sunt proposita, ut haud minus acerbitatis ostentatio caedium haberet, quam patratio habuisset: quum in foro Romano locus tota urbe celeberrimus, quem hostilium navium spoliis ma-

Cap. XXXVIII. Diodor. Appian. Cic. de Or. 3, 3. Val. Max. 5, 3. Flor. Lucan. l. 2. v. 119. Cap. XXXIX. Flor. Appian. Aug. de Civ. Dei, 3, 27. Vell. 2, 22. Cicero. Plut. Mar. Cap. XL. Appian. Flor. Val. Max. 9, 2. Cap. XLI. Liv. Epit. Val. Max. Auctor de viris ill. in Fimbria. Val. Max. Appian. Liv. Epit. Plut. Crasso. Augustin. Cic. pro Sext. c. 21. et pro Scauro.

jores adornaverant, clarissimorum virorum capitibus, tamquam ornamenti caussa dispositis, oppletus videretur. U. c. 665. A. C. 87.

XLII. Marius praecipue furebat, et, Cinna jam ferme satiato, etiam, quos ipse noverat inimicos, interfectis, necdum poterat quiescere: jubebatque promiscue omnes ad se adeuntes occidi, quibus ipse manum non porrexisset. inter quos et Q. Ancharius vir praetorius, quum sacrificantem in Capitolio Marium adiviſſet, ut religionis veneratione propitium haberet, ante oculos tyranni in ipsa aede confossus est. Quinque dies continuos, totidemque noctes iſta scelerum omnium duravit licentia. neque cadavera sepeliri permissum erat, et in liberos conjugesque interfectorum indigna, maxime a servis, perpetrabantur. Neque ipsi inter se caedibus atque rapinis seditiosi abſtinebant. *Marii praecipuus furor.*

XLIII. Inter haec publicationes bonorum adsiduae erant, et magiſtratuum coacta abdicatio, Sullanarumque eversio legum, et amicorum ejus, quotquot corripi potuerant, internecio. Metella quoque uxor cum liberis Sullae vix effugerunt periculum, quum domus ejus atque villae incendio delerentur. Hoc tempore mirifica sane populi Romani abſtinentia fuit. Quum enim occisorum domos praedae multitudinis exposuissent victores, negant inveniri quemquam paullo honeſtiorum civium potuisse, qui ullam ex his rem cuperet attingere. *Mirifica populi Romani abstinentia.*

XLIV. Poſt tot mala, tamquam eo rerum ſtatu legibus in civitate eſſet locus, L. Merula et Q. Catulus, subornatis accusatoribus, rei fiunt. Merulam propter ablatum, licet nullo ambitu, honorem Cinna oderat: Q. Catulo iratus erat Marius, quasi Cimbrico bello servatus malam pro beneficio gratiam retuliſſet, exsilii sui acerrimus auctor. Sed, ludibrium iſtud judiciorum ambo dedignati, spontanea morte functi sunt. Merula, deposito apice, (quod apicatum Flaminem mori triſte et inauspicatum urbi habebatur) idque se fecisse scripto teſtatus, in ipso Jovis sacra- *Merulae caedes, et poſt eam diu intermiſſum Flaminium.*

Cap. XLII. Appian. Dio apud Vales. Plut. Dio. Plut. Dio. Flor. Plut. Flor. Appian. Dio. Appian. Plut. Mar. et Sertor. Appian. Cap. XLIII. Plut. Sull. c. 64. Appian. p. 204. Val. Max. 4, 3. Ammian. 30, 28. Appian. p. 395. Cap. XLIV. Val. Max. 9, 12. Flor. Vell. Dio, l. 54. extremo. Tac. Ann. 3, 58.

U. c. 665. A. C. 87. rio incidit venas, porrectoque super altaria sanguine, Cinnanas partès consecravit. quo in homine propemodum ipsa sacerdotii religio exstincta est, quum in locum ejus nemo factus Flamen septem et septuaginta annis reperiatur. Nam C. Caesar, annum agens septimumdecimum, a Mario Cinnaque destinatus, victoria Sullae sacerdotium amisit.

XLV. Pro Catulo deprecati Marium necessarii, ne incolumitatem quidem, sed exsilium orantes, nullam ab saevissimo mortalium exprimere vocem potuerunt, praeter hanc saepe repetitam, *moriatur*. Igitur inclusus loco, qui nuper calce fuerat oblitus, multum inferri ignem jussit, atque ita, suffocato spiritu, exstinctus est. Inter haec misertus patriae et civium Q. Sertorius, qui solus inter ceterorum furorem omni maleficio abstinuisse fertur, damnata Marii saevitia, privatim appellavit Cinnam, et miseriarum urbis postulavit modum: servosque Marianos, quum a Cinna saepius cohibiti nihil de sceleribus remitterent, acceptis ab eo Gallorum auxiliis, eodem loco castra habentes noctu circumdedit, et ad unum omnes, hominum non minus octo millia, delevit.

Cinna se et Marium consules renunciat.

XLVI. Sic anno magistratus exacto, Cinna consules in annum sequentem se iterum, C. Marium septimum, citra ulla comitia renunciavit, spei de septem consulatibus eventu meliore, quam sperandi caussa fuerat. Hujus anni triste et minax exordium cetera paullo quietiora tempora exceperunt. Sed eodem die, quo novi consules inierunt, quum maxime sacra in auspicio anni et magistratuum patrio more fierent; C. Marius filius tribunorum plebis quemdam sua manu occidit, caputque consulibus misit. duobus praetoribus igni et aqua interdictum est: Sex. Licinius senator de saxo Tarpejo consulis Marii jussu praecipitatus.

U. c. 666. A. C. 86. C. Mario VII. L. Cornelio II. Coss.

Ejus anni triste exordium.

C. Marii mors.

XLVII. Sed efferam hominis immanitatem Idus Januariae finierunt. Laboribus et senio exhaustum praesertim fama de Sulla exterruisse dicitur, quem,

Cap. XLV. Ruald. Animadvers. 18. in Plut. Sueton. Caes. c. 1. Vellejus 2, 43. Cic. Tusc. Quaest. 5, 19. et de Or. 3, 3. Plut. Mar. Vell. 2, 22. Diod. Eclog. l. 38. Cap. XLVI. Appian. Flor. Plut. Sertor. c. 7. Appian. Plut. Mar. Oros. 5, 19. Liv. Epit. Appian. Dio apud Vales. Liv. Epit. Plut. Cap. XLVII. Liv. Epit. Flor. Plut. Diod. apud Vales. Auctor de viris illustr. Plut.

finito bello Mithridatico, adesse victorem, et admissorum vindicem, audiverat. adeoque hoc est creditum, ut a quibusdam voluntaria morte sublatus existimetur. Certe cum amicis de adventu Sullae deque fortunae vicissitudine multa disseruisse dicitur, et negasse, *sapientis videri, toties expertae illius inconstantiae se committere.* U. c. 666. A. C. 86.

XLVIII. Hinc in morbum quum incidisset, et ex morbo in delirium, summa hominum laetitia ad inferos, quo infinitam ante se mortalium vim praemiserat, descendit. Vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile dixeris, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. quamquam et bello pestilens, quam rempublicam armis et consiliis servaverat, eamdem in pace aliis consiliis, et mox inter bella civilia iisdem armis hostiliter oppressit. Ceterum, ut sanguinarii hominis ne funus quidem sine dolore civitatis atque luctu principum esset, C. Fimbria, homo perdite audax, Q. Scaevulam mandavit occidi: compertoque deinde, sic esse vulneratum, ut vivere possit, diem ei dixit: ac interrogatus, *ecquid igitur integerrimo sanctissimoque viro esset objecturus? Hoc ipsum*, inquit, *quod ferrum malique recepit.* *Et elogium.*

Cap. XLVIII. Vell. Plut. Liv. Epit. Cic. pro Sext. Rosc. c. 12. Val. Max. 9, 11.

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI PRIMI.

L. Sulla Athenas, quas Archelaus, praefectus Mithridatis, occuparat, circumsedit, et cum magno labore expugnavit. urbi libertatem, et civibus, quae habuerant, reddidit. Magnesia, quae sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Praeterea Thracum in Macedonia continet gesta.

Praefectus Mithridatis occuparat, circumsedit, et cum maximo labore] *occupaverat* Voss. Berg Lov. 2. et ed. Camp. *occupavit* Boend. Tum *circumsedente* nullo sensu Voss. Berg. et Exc. Pithoei. Dein *cum magno labore* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *magno cum labore* Leidens. Saepissime in his Epitomis primos editores superlativum adscivisse, ubi scripti positivum probant, vidimus ad Epit. 51. Mox *urbi libertatem, et quae habuerat, reddidit* Leid. Voss. et Berg. neque aliter Lov. 2. nisi quod *habuerant* praeferat. *habuerat* etiam in Exc. Pithoei fuisse, Hearne testatur.

Magnesia] Magnesios, aliosque, qui pro Romanis adversus Mithridatem steterant, a Sulla libertate donatos, et sociis populi Romani adscriptos fuisse, est in Appiani Mithrid. pag. 211. Hanc *Magnesiam ad Sipylum* esse, ostendit Spanhem. in Orb. Rom. Exercit 2. cap. 9. DUK. V. etiam Cellar. Geogr. Ant. 3, 3, 81.

Praeterea a Thracibus in Macedonia gesta continet] Vet. lib. *Praeterea transitus Thracum in Macedoniam continet.* SIG. Similiter Berg. Verum haec lectio ideo minus placet, quia Thraces non nunc demum in Macedoniam transierunt, sed jam diu antea Romanis in ea bellum intulerunt. Certe *incursiones Thracum in Macedoniam* supra auctor retulit Epit. 74. et 76. atque infra iterum memorabit Epit. 82. Et hinc neque probo alteram lectionem *Praeterea excursiones Thracum in Macedoniam continet*, quam praeferunt Exc. Pithoei. *Praeterea Thracum et Macedonum res gestas continet* legunt Boend. et ed. Camp. quod et ipsum displicet. Non enim Thraces cum Macedonibus, sed cum Romanis in Macedonia bellum gesserunt. *Praeterea res Thracum in Macedonia continet* Lov. 2. *Praeterea Thracum in Macedonia continet gesta* Leid. et Voss. quam lectionem recepi.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLVI.

IN LOCUM LIBRI LXXXI. T. LIVII.

I. Expositis Romanae urbis calamitatibus, ad Mithridaticum bellum et res interim a L. Sulla gestas revertendum est. Sulla quinque legiones cum auxiliariis aliquot cohortibus et equitum alis in Graeciam transvexerat. Deinde, collectis ex Aetolia Thessaliaque commeatibus et auxiliis, postquam satis instructus esse visus est, in Atticam adversus Archelaum ducere instituerat. Per Boeotiam erat iter, cujus pleramque partem per legatos recepit: eadem levitate animorum deficientibus a Mithridate civitatibus, quam paullo ante ad Mithridatem a Romanis desciverant.

U. c. 668. A. C. 87.

Mithridaticum bellum.

Sulla contra Archelaum proficiscitur.

II. Quo in genere Thebani, sicut urbis magnitudine et gloria caput Boeotiae habebantur, ita praecipuae ad mutandos socios inconstantiae documenta dederunt. Sed metum et imbecillitatem suam allegabant, *quod, omnibus circa ad regias partes transeuntibus, resistere tantae potentiae nequivissent, quam neque reges maximis exercitibus instructi, neque Asiae Graeciaeque auxiliis subnixi Romanorum duces sustinuissent. Modicas civitati suae vires fuisse, etiam prosperrimis temporibus, tum vero, praeter antiquiora, bello Achaico sic esse debilitatam, ut vix recuperare sexaginta illis annis tenuem pristinae dignitatis speciem potuerit.*

Thebani deficiunt ad Sullam.

III. *Proinde magnopere a L. Sulla contendere, ut non tam defectionem suam, quam deficiendi caussas, respiciat: et, siquidem studio sit a se ac voluntate peccatum, puniat noxios; si vero invitos cognoverit a societate Romana discessisse, det necessitati veniam, cui ignoscere omnes soleant. Plane eum*

Defectionem priorem ab Romanis excusant.

Cap. I. Appian. Mithrid. Plut. Sull. c. 23. Appian. Cap. II. Pausan. l. 9.

U. c. 665. A. C. 87. *his temporibus fuisse Italiae et urbis statum, ut inde neque imperator tanxus, neque exercitus sperari potuerit.*

IV. *Majorum suorum in populum Romanum frequentiora delictis exstare merita. se quoque semper ejus populi majestatem fide optima coluisse, porroque daturos operam, ut enixe faciant omnia, quae possint a se in tam exigua fortuna proficisci. Neque sibi laetiorem diem ullum fuisse, quam quo data Romani imperatoris sit copia. subesse quidem metum, ne forte sua rejiciatur purgatio: sed spem tamen majorem, fore, ut, pro nominis Romani et sua clementia, placatum se propitiumque deprecantibus Sulla exhibeat.* At ille, quum pro tempore pauca respondisset, in Atticam contendit.

Sulla vincit regios.

V. Ibi pugna cum hostibus commissa, postquam Aristionem in urbem, Archelaum intra Piraeei munimenta compulit, parte copiarum ad obsidendam cum Aristione urbem missa, ipse Piraeeum sibi oppugnandum sumpsit, ubi regii cum praetore suo moenibus a Pericle olim structis se incluserant. Bello enim Peloponnesiaco Pericles, in munitionibus Piraeei spe victoriae collocata, murum ex quadrato lapide ingentis magnitudinis ad altitudinem cubitorum quadraginta circumduxerat. Nec dubitabatur, superiorem utique urbem vel sedendo expugnari posse, quod magna rerum necessariarum penuria inerat. Sed frequentes Roma de novis rebus nuncii, festinare potius cum periculo, quam cum multa temporis jactura tuto vincere, cogebant.

Piraeei munitiones.

Sulla Piraeeum oppugnat.

VI. Igitur, scalis ad Piraeeum admotis, magna vi conatus est perrumpere: donec, omnia nequidquam expertus, (nec enim segnius se regii defendebant) ad compingendas omne genus machinas Eleusinem et Megara concessit. operibus enim oppugnare Piraeeum cogitabat. eum in usum artifices ferrumque et catapultae aliusque apparatus, decem millibus mulorum jugis, ex urbe Thebana advehebantur: donec inopia materiae (multa enim opera corrupta et incensa ab hostibus, aut suo pondere procumbentia peribant) sacris quoque lucis injecit manum, et Academiam, nobilissimum orbis terrarum gymnasium, quo non erat alius in suburbanis nemorosior locus, pro

Cap. V. Pausan. l. 1. Appian. Plut. Appian. Plut. Cap. VI Appian. Plut. Appian. Plut. Dio apud Vales. Appian. Supic. apud Cic. ad Fam. l. 4. ep. 12.

ximumque fama et amoenitate Lyceum arboribus nudavit. U. c. 665. A. C. 87.

VII. Longi etiam muri, qui ad urbem Atheniensium a portu pertinebant, subruti, saxa trabesque struendis aggeribus praebuerunt. Forte miles, cespitem ferens, fulmine exanimatus prociderat. ob eam rem consultus haruspex, *quod percussus in opere miles, caputque jacentis in oppidum versum esset, interitum et victoriam respondit Romanis, sed nonnisi post diuturnum laborem, significari.*

VIII. Has inter moras et sumptus obsidionis, quum rei nummariae difficultas incessisset, L. Sulla sacros Graeciae thesauros in promiscuum pecuniae usum vertit, Olympia et Epidauro jussis advehi pulcherrimis pretiosissimisque donariis. Delphos quoque Caphis nomine missus est, natione Phocensis, ut ab Amphyctionibus ornamenta templi acciperet. nam, *ea tutius apud se fore illa*, scripserat, *aut, si absumpta essent, non deteriora redditurum.* Caphis quum venisset Delphos, *auditum ex adytis citharae sonum* scripsit Sullae: accepitque responsum, *gaudentis, non indignantis, esse caetum. ageret igitur, et numine propitio sacrum aurum argentumque ad se deportare ne dubitaret.* Postea quoque per jocum dictitasse ferunt, *dubitare se non posse de victoria, qui Deorum stipendio militaret.*

Sulla sacros thesauros spoliat.

Et in eo re facetiis ludit.

IX. Erat inter regum donaria dolium argenteum ea mole ac pondere, ut extrahi jumentis nequiret. Id concidere coacti Amphyctiones, *statum Graeciae et mutatos in deterius dominos* miserabantur. *Olim T. Quinctium et L. Aemilium Romanos duces, itemque M.ᵐ Glabrionem, illos Macedonum regibus, hunc Antiocho devictis, ultro honorem opesque delubrorum auxisse. Nunc, lapsis in pejus moribus, postquam inimicos quacumque re superare principes Romani studeant, largitionibus ad perfidiam luxumque corrumpi milites: hisque obnoxium imperatorem vilissimo teterrimoque hominum generi servire, quo optimis quibusque nobilissimisque dominetur.*

Graecis vinctis gentibus.

X. Ceterum Sulla, neglectis Graeculorum querelis, ad quaestorem L. Lucullum sacros thesauros misit, cui cudendae in Peloponneso monetae negotium imposuerat: ipse redigendis in potestatem Athenis

Sulla Athenas occupare nititur.

Cap. VII. Plut. Appian. Jul. Obseq. Cap. VIII. Plut. Pausan. l. 9. Diod. apud Vales. Dio ibid. Plut. Diodor. Cap. IX. Plut. Dio. Cap. X. Plut. Lucull.

U. c. 665. A. C. 87.

omnem animi cogitationem intendebat. Gloriosam victoriam vetus urbis factura fama erat; utilem, locorum ad omnia opportunitas. super haec Aristionis vecordia stimulabatur, importunissimi et improbissimi scurrae, qui continentibus dictis in ipsum, aut Metellam, quae impudicitiae arguebatur, iracundum animum mira vindictae cupiditate inflammabat.

Proditio servorum Atticorum.

XI. Ceterum urbem fame urgere satis visum. Piraeeum spes nulla capiendi, nisi per arma, supererat. Sed haec tamen proditione juvabantur. Duo servi Attici, quidquid in oppido fiebat, glandibus plumbeis inscribebant. eas deinde glandes fundis ejaculabantur ad Romanos. Id ubi saepius fieri ad Sullam relatum, ille, re considerata, quum semper eventum respondere nunciatis comperisset, diligenter colligi glandes emissas et ad se referri jussit. Unde, quum aliquando decretam in certum tempus eruptionem didicisset, insidias erupturis struxit; multisque interfectis, aliis in mare compulsis, magnum obsessis detrimentum, et plus aliquanto terroris intulit.

Archelai eruptio ex Piraeeo.

XII. Crescebat interea indefesso labore militum agger, quum Archelaus ex diverso turres opposuit, unde cujusquemodi missilia late spargerentur. accitis deinde, quae Chalcide et per reliquas insulas agebant, copiis, quum etiam remiges armasset, numero quidem militum longe superavit Sullam, quum etiam a principio majores aliquanto copias habuisset. Idcirco, minime ratus cunctandum, proxima post acceptum supplementum nocte, validam eruptionem in opera Romanorum fecit. Circa tertiam vigiliam cum facibus improvisa turba exsiliens alteram testudinum, et quidquid in ea machinarum stabat, incendit. neque potuit defendi. sed intra proximum decendium aliud excitatum eodem loco opus stetit.

Lignea turris incendi non potest.

XIII. Sulla, ignaviae suorum iratus, cohortem et centuriones, quorum stationem hostis perruperat, illam ignominiae caussa extra vallum tendere, hos galeatos et discinctos perstare in principiis jussit. Deinde ligneam turrim, quam contra suum aggerem Archelaus erexerat, modis omnibus incendere studens, (plurimum enim impedimenti obsessoribus adferebat)

Cap. X. Plut. Sulla. Hieron. in Jovin. 1, 56. Cap. XI. Flor. Appian. Mithrid. Cap. XIII. Frontin. Strat. 4. Appian. Quadrig. apud A. Gell. 15, 1.

submotis valida impressione propugnatoribus, ligna circumponi, faces subjici jussit. Ceterum conatus iste irritus fuit, non concipiente ignem materia, quod eam multo alumine Archelaus obleverat. U. c. 665. A. C. 87.

XIV. Dum haec aguntur, missu Mithridatis Dromichaetes cum novis Thracum auxiliis adfuit. Archelaus igitur, pugnandi facturus copiam, aciem ita applicuit oppido, ut a moenibus quoque adjici ad Romanos tela possent: alios deinde facibus armatos intra portas signum erumpendi exspectare jussit. Proelio commisso, fugientes suos impigre obsistens Archelaus redire coëgit in hostem: unde vicissim Romana acies pedem referre coepit. Sed a Murena cohibiti restiterunt: simul, qui lignatum exiverant, reversi: itemque alii, qui ignominiae caussa seorsim tendebant, accurrerunt: horumque strenua opera factum est, ut regii, duobus militum millibus amissis, intra muros compellerentur. Archelaus, dum, ad retinendos suos tota mente conversus, salutem suam negligit, occlusis jam oppidi portis, fune in moenia subductus est. *Archelai proelium cum Sulla.*

XV. Sulla, ob egregiam operam laudatis militibus, demptaque iis, qui notati fuerant, ignominia, quum appetere hiemem videret, relictis ad opera praesidiis, castra ad Eleusinem movit. Equitabilis eo loco planities erat: et eo genere copiarum hostes abundabant. Igitur Sulla, ne eorum pateret incursionibus, fossam profundam a montibus ad mare ducere coepit. Hoc opus prohibituri hostes quotidiana, modo ad fossam, modo pro moenibus Piraeei, certamina moverunt. abundabant enim multitudine, marique libere utentibus, et exponere suos, ubi volebant, et recipere, et, quocumque opportunum videretur, trajicere, in promptu erat: rerum quoque necessariarum copiam suis efficere, penuriam hostibus, ex facili poterant. *Sulla ad Eleusinem castra movet.*

XVI. Igitur Sulla, missis ad Rhodienses certis hominibus, classem arcessit. Quod ubi, regiis mare obtinentibus, parum procedebat, L. Lucullum in Aegyptum et Africam proficisci ad corroganda a regibus et maritimis civitatibus navium auxilia jussit, quibus instructas Rhodiorum classem securius deduceret. Lucullus, neque maris incerta, neque vim hostium veritus, hie- *L. Luculli profectio ad corroganda auxilia.*

Cap. XIV. Appian. Cap. XVI. Plut. Lucull. c. 3.

U. c. 665. A. C. 87. me media cum paronibus Graecis tribus, totidemqu Rhodiorum dicrotis solvit: Cretaque partibus adjun cta, Cyrenas transmisit.

Cyrenaïci tyranni saevitia.

XVII. Erat tum pessimus Cyrenaïcae rei status quae, post testamentum Apionis magis sine rege quam in libertate, relicta, neque defensa ab Roma nis, domi satis negotiorum habentibus, in seditione et tyrannidem inciderat. Cujus quam intolerabilis sae vitia fuerit, ab uno documento intelligi potest: quo Nicocrates ad portas urbis custodes apposuit, qu mortuos, quum efferebantur, igne ac ferro admot tentarent, ne quis simulatione mortis effugere tyran nidem posset. Ceterum illum ingens animi mulie Aretaphila, concitato in eum fratre tyranni Leandr sustulerat; deinde ipsum etiam Leandrum, postqua similem se gerebat ei, quem interemerat. Access rant et finitimorum bella. Igitur, licet excisa tyra nide ad optimates respublica rediisset, tamen nec a ctoritas illis, nec concordia aderat: quum a recen dominatione timidis necessario suspectus fieret, qui quis supra ceteros ingenium animumque habere cr debatur.

Lucullus Cyrenensium rempublicam ordinat.

XVIII. Quum his temporibus L. Lucullus supe venisset, velut divinitus missum pacis libertatisque i stauratorem amplexi, ut leges sibi ferret, oraveru quibus deinceps civitas regeretur. Ille, recensi veteribus legibus, maxime quas olim Ecdemus et D mophanes Megalopolitani rogatu Cyrenaeorum tul rant, additisque ex praesenti usu aliis, rempublic eorum belle composuit. Id ubi perfectum est neg tium, eadem hieme in Aegyptum inde navigavit. eo cursu plerisque navibus piratarum audacia depr sis aut captis, ipse incolumis et sospes Alexandri pervenit, eximioque honore et magnificis a rege n neribus cultus est. Nam et quadruplum ejus, qu aliis hospitibus adsignari consueverat, ei decret est: et munera e talentis octoginta missa, quae tam ille non accepit.

Aegypti status.

XIX. Ptolemaeus tum iterum regnabat, *Lat* cognomento a ceteris distingui solitus: quem, post f tris Alexandri necem, Alexandrini ad vetus regnun

Cap. XVII. Plut. de virt. Mulier. c. 34. Polyaen. Strat. l
Cap. XVIII. Plut. Luc. Plut. Philop. c. 1. Plut. Luc. C
XIX. Euseb. et apud eumdem Porphyr. Pausan. l. 1.

Cypro revocaverant. Nam matrem Cleopatram Alexander, Alexandrum Aegyptii bello persequuti occiderant. Neque adhuc plane motus omnes exstincti erant, quamquam Thebas, quae defecerant, triennii bello recepisset Ptolemaeus, adeoque redegisset humiles, ut vix memoria pristinarum opum, quibus nulla civitas sopiosior fuit, relinqueretur. U. c. 665. A. C. 87.

XX. Igitur, dum his in locis varia per impedimenta Lucullus detinetur, L. Sulla manum militum, frumenta ex Piraeeo Athenas portantium, cum ipsis sarcinis intercepit. prodita enim ea res glandium instriptione fuerat. Eadem die ad Chalcidem cum Archelaï fratre Neoptolemo feliciter dimicatum est. legatus L. Sullae Munatius, mille quingentis militibus interfectis, aliquanto pluribus captis, duce quoque hostium sauciato, pretium operae fecit. U. c. 666. A. C. 86. *Neoptolemus a Romanis vincitur.*

XXI. Parvo post tempore, quum, sopitis custodibus, moenia Piraeei negligerentur, Romani milites, scalas machinis imponentes, in murum evaserunt, et, quos primum objecerat casus, obtruncarunt. Excito inter haec tumultu, vigiles partim in oppidum, quasi jam captis moenibus, desilierunt: alii, magnis animis certamine inito, hostes, occiso, qui eos ducebat, praecipites abegerunt. Hoc invitati successu regii, non contenti periculum repulisse, eruptionem fecerunt, quo loco altera Romanorum turris exaedificata fuerat: incendissentque, nisi, continuato per noctem diemque labore, Sulla, qui ex castris auxilio accurrerat, restitisset. Quum deinde aliam ex adverso turrim Archelaus struxisset, diu ex vicinis paribusque munitionibus omni genere telorum certatum est: donec Sulla viginti simul plumbeos graves globos catapultis excuti jussit. Horum impetu multi hostium occisi, et, quod praecipue desideratum fuerat, labefactata turris Archelaï, quum ruinam minitaretur, intra moenia reducta est. *Pugnae ad Piraeeum.*

XXII. Interea magis magisque gliscebat in urbe Athenarum fames. nam frumenti quidem parum inerat; et tyrannus choenices hordei in quatriduum, gallinarum verius, quam hominum, dimensum, dividebat. Sed, hac necessitate Atheniensium cognita, licet tunctanter, de integro tamen Archelaus delectos cum *Atheniensium fames.*

Cap. XX. Appian. Cap. XXII. Posidon. apud Athen. 5, 4. Appian.

U. c. 666. A. C. 86.

cibariis misit. Et, quia prodi consilia sua animadverterat, eodem tempore circum portas validam opperiri manum jussit, ut, Sulla in frumentatoribus capiundis occupato, cum facibus ad incendenda Romanorum opera prosilirent. Utrisque pro spe expeditio fuit: Sulla commeatum portantes excepit; Archelaus aliquot machinas corrupit incendio.

Arcathias Mithridatis F.

XXIII. Circa eadem tempora filius Mithridatis Arcathias, cum alio exercitu in Macedoniam irrumpens, Romanorum modicas copias haud aegre expulit, omnemque Macedoniam, in praefecturas divisam, idoneis hominibus distribuit. Deinde, magno cum apparatu contra Sullam profectus, haudquaquam parem spei eventum habuit, circa Tidaeum morbo exstinctus.

Sulla Athenas circumunit.

XXIV. Tanto minore molestia Romanus imperator coepta perurgens Athenas, ut omnem non modo commeatum, sed etiam fugam, interciperet, castellis circumdedit: quo plures in exhausta urbe clauderentur, eo celeriorem ex fame deditionem sperans. Ad Piraeeum vim adhibere consultius visum, eductisque in justam altitudinem aggeribus machinae impositae. At Archelaus terra clam egesta exinanibat opus: donec, subsidente mole, prodita res est, deductisque machinis Romani aggerem repleverunt. Deinde, contra cuniculos Archelaï aliis effossis cuniculis, et sub ipsa moenia productis, saepe sub terra inter fossores, ut forte sibi occurrerant, hastis gladiisque pugnatum est.

Romani Piraeeum acrior. oppugnant.

XXV. Haec dum ita fiunt, Romanus, multis a aggere machinis admotis, muros ariete quatiebat. neque ante desitum, quam, parte muri dejecta, proxima turris contento militum labore incenderetur, in que ipso, quem ceperant, muro praesidium statuerentur. Simul cunicularii suspensa trabibus moenia pice, stuppa atque sulphure multo adfusis, et igni subjecto, concremarunt.

XXVI. Ibi quum alia post aliam pars murorum deret, et superstantes gravi ruina opprimerentur, iam, qui longius a periculo aberant, commilitonum interitu territi, despondere animos coeperunt. Summa enim contentione a Romanis pugnabatur: quo Sulla, fessis integros submittens, hunc unum restu laborem clamitaret; neque reliquum quidquam fa ret,

ret, quo minus promissis, imperio, minis, modo hos, modo illos ad spernenda pericula, murosque vi transcendendos incitaret. Neque minus animorum aut industriae Archelao supererat, perculsis atque sauciis, corpore atque animo recentes subinde jubenti accedere: donec fatigatos iniquo proelio milites Sulla miseratus receptui cecinit, quum ejus diei fortuna pari inter se robore proeliatos, etiam detrimento amissorum utrimque militum aequavisset. U. c. 666. A. C. 86. *Regii strenue resistunt.*

XXVII. Archelaus, ne noctem quidem suis quietam abire passus, reparandis moenium ruinis operam dedit: intra murum multas exstruxit munitiones, in lunae speciem sinuata fronte, quo pluribus ex partibus in hostem missilia jacerentur. Eas, dum adhuc recens labor facilius machinis cederet, magna vi oppugnare Sulla coepit. sed, undique telis expositus, quum multos occidi vulnerarique cerneret, abjecta spe capiendi per vim oppidi, ut commeatuum inopia cogeret ad deditionem obsessos, de reliquo abstinuit oppugnatione: claudi tantum aditus, ne qui exire, neve ingredi impune possent, jussit. Ipse, parte copiarum adsumpta, Athenas perrexit: ubi graviorem in dies annonam factam, et jam ad extrema necessitatis perventum intellexerat. *Alia oppugnatio, itidem irrita.*

XXVIII. Jumentis enim omnibus absumptis, etiam oleribus et herbis vescuis, vulgo jam a tegulis parietinisque Parthenion (*urceolarem* herbam Latini vocant) in victum vellebatur. alii calceamentorum ampullarumque coriis morabantur deficientem spiritum: etiam humana corpora coeperant in cibum verti. Nam frumenti quidem medimnus mille denariis aestimabatur. Neque hoc tristissimum pereuntibus erat, sed quod tyrannus Aristion in ea publica penuria quotidie cum suis compotoribus hilariter epulabatur: nec modo fatiscentes inedia cives, sed etiam exstinctum olei inopia Minervae sacrum ignem in levi ponebat. Hierophantidi, summae ea religionis in urbe sacerdos erat, heminam tritici petenti, heminam piperis misit. Urbem ita adfectam Sulla nactus protinus circumvallare instituit, ne quisquam inde evadere posset. *Athenarum horribilis fames.*

XXIX. Interea saepe rogatus ab Atheniensibus Aristio, quum diu negavisset, semel etiam suppli-

Cap. XXVIII. Plut. Sulla. Plin. 22, 18. Plut., Dio apud Vales. Appian. Flor. 3, 5. Plut. Dio.

U. c. 666. A. C. 86.

Tyrannus ad Sullam oratores mittit.

cantes ei cum senatoribus sacerdotes sagittis abegisset, tandem familiarium aliquot ad Sullam oratores de pace misit. At illi, sceleribus et crapula vecordes, stolida et minime accommodata temporibus oratione, nihil, quod praesens usus postularet, sed vetera urbis decora, Theseosque Eumolposque, et Medica tropaea praedicabant.

Eorum stolida oratio.

XXX. *Neque tibi decorum fuerit*, ajebant, *imperator, neque tutum, eam excidisse urbem, in quam singularis Deorum favor semper exstitit: adeo quidem, ut et hanc praecipua benevolentia semper complecterentur; et inde potissimum in ceteras gentes emanare beneficia sua velleut. Jam a principio quum urbi nomen esset imponendum, duos de conseuribus de hoc honore certavisse satis constat: et, quum oleam Minerva, Neptunus equum produxisset, pacis omen praeferentibus Diis, quorum arbitrio commissa lis fuerat, vicisse Palladem, quam Athenam vocamus, deque hujus vocabulo appellari Athenas coepisse.*

Athenienfium merita in humanum genus jactant.

XXXI. *Ita propter nos et equum, tam accommodatum usibus humanis animal, et oleam, cui praeferri arborum nulla jure potest, vita accepit. Duraque illa etiam nunc cerno divinitatis argumenta, et, quos praeferimus, ramos inde decerpsimus. Sed et Cereris munus, Triptolemique currum, et hinc ad alias terras exportata frugum semina referre possemus, quum adhuc glandibus miseri mortales vescerentur. Quin et praeter oleam suavissimae pomorum fici haec terra est genitrix: et hic primum, expressis Eumolpi ingenio uvis, vina fluxerunt.*

Athenienfium inventa.

XXXII. *Quae jam alia in universum genus humanum exstent urbis hujus merita, si recensere vellemus, dies potius et vox, quam argumentum, nos deficeret. Ut pauca obiter indicemus, lanificii usum nudis aut male vestitis monstravimus et, quum in specubus antiqui habitarent, Euryalus et Hyperbius cives nostri lateritias exaedificare domos docuerunt. Judiciorum etiam ordinem hominum primi tradidimus, ab ipsis Diis acceptum, quo tempore nomen Areopago Mars dedit, qui primus ibi capitis dixit caussam ob Halirrothii caedem.*

XXXIII. *Sed et civitatem ante alios optime constituimus populari statu, quum ejus nullum adhuc exemplum exstaret. Sed et certamina, quibus corpora exerceantur, commenti sumus*

Cap. XXIX. Plut. Cap. XXX. Plato Menex. Varro apu Aug. de Civ. Dei. Ovid. Metam. 6, 75. Cap. XXXI. Ci de Leg. 1, 1. Ovid. Metam. 5, 645. Diodor. 5, 60. Justin. 6. Cap. XXXII. Aelian. Hist. Var. 3, 5. Plin. 7, 56. Justi Plin. Aelian. Stephan. Plin. Pausan. l. 1. Cap. XXXIII. Pli Aelian. Varro.

gymnicosque instituimus agonas, ungendique tradidimus morem: et, quo magnificentius Panathenaica celebrarentur, primus hominum quadrigas rex noster Erichthonius junxit: idem, inquam, Erichthonius, qui et signandae pecuniae fuit auctor. Nec jam enarrare volumus, quid pictura Polygnoto, quid Pericli res nautica debeat. Literas certe et facundiam, quibus ornamentis te quoque scimus excellere, omnemque humanitatem, jura, leges, a nobis habere fatentur, quotquot habent.

U. c. 666. A. C. 86.

XXXIV. *Sed et majores vestros, qui tantae magnitudinis fundamenta jecerunt, non puduit, missis huc legatis, Solonis inclitas leges describere: unde mox duodecim illae tabulae prodierunt, quas apud vos, tamquam omnis publici privatique juris fontem atque normam, ingenui pueri inter praecipua disciplinarum edocentur. Tam antiqua sunt nostrae urbis in Romanam officia: quae deinde multis temporum opportunitatibus toties reculta auctaque sunt, ut nulla Graeciae civitas pluribus imperatorum vestrorum senatusque honorificis decretis gloriari possit. Nullum enim ferme in Macedonia, aut Asia, aut Graecia gestum bellum est, in quo non insignis erga populum Romanum exstiterit Atheniensium fides. Cujus rei quem ampliorem ipso populo Romano testem producemus, ex quidem universo? semper enim et in omni re, quod optima fide gestum est, id Attica gestum Romani soletis dicere.*

Leges Atticas describunt Romani.

Fides Attica.

XXXV. *Quae vero contra barbaros majores nostri toties gessere, quamquam forte invidiosa esse ob magnitudinem gloriae videantur, tamen, quia pro misera posteritate majorum allegare virtutem prodest, commemoranda sunt. Sed unde potius, quam ab iis temporibus gentibusque, ordiemur, in quibus quum vester aliquis dolor fuerit, erit aliqua etiam ex relata hostium ultione voluptas. Galli quum Italiae magnam partem, mox etiam Macedoniam Graeciamque, innumeris copiis oppressissent, ad Thermopylas majores nostri occurrerunt: terraque et mari fortissime decertando, magnam Graecorum multitudinem servarunt.*

Atheniensium gesta contra Gallos.

XXXVI. *Quid antiquioribus adhuc temporibus, ô Dii, et custos urbis Minerva! quae tum urbs aut regio aut insula prope longeve fuit, quae non aliquo praeclaro Atheniensium facinore nobilitaretur? Marathon, victoriae Medicae aeternum monumentum, ex oculis hominum et agro nostro deleri poterit: e memoria quidem rerum gestarum et admiratione posteritatis*

Contra Medos.

Cap. XXXIII. Virg. Georg. 3, 113. Plin. Aelian. Pollux. Plin. Justin. Cap. XXXIV. Cic. pro Flacco, c. 26. Liv. 3, 31. Liv. 3, 34. Cic. de Or. 1, 43. Cic. de Leg. 2, 4. Vell. 2, 23. Cap. XXXV. Pausan. l. 1. init. Cap. XXXVI. Strabo, l. 9. p. 396.

U. c. 666. A. C. 86. numquam delebitur. Quid deinde Themistocles, et frater ejus Agesilaus? Quorum hic, interfecto principe purpuratorum Mardonio, quem Xerxem esse putaverat, quasi regem hac audacia non satis terruisset, injecit foculo manum, tales adfirmans omnes Athenienses esse: non absimilis illi Mucio, unde adhuc Scaevularum familia Romae perdurat.

XXXVII. Themistoclis autem tam nota sunt facinora, ut omnis historiae oporteat esse rudum, qui ista non teneat. Superbissimum enim regem, et tantis instructum copiis, quantas aut antea, aut postea habuit nemo, nobili ad Salamina proelio fregit: deinde rem multis millibus improbam unus consilio perfecit, ut universa Europa maximis adhuc viribus subnixum expelleret. Theseo vero duce Amazonicas pugnas, et quidquid ab eo heroë factum est, non modo vetus memoria loquitur, sed passim nobilium artificum opera demonstrant: ne jam Thrasybulos vobis, et Cononas adducamus, et Cynaegiros, et omnem illam clarissimorum imperatorum, fortissimorum virorum manum.

Contra Amazones.

Pericles.

XXXVIII. Periclem tamen indictum abire non sinimus, ut simul virtutem ejus, simul studium urbis nostrae in virtute honoranda prodamus. tantus enim ille vir fuit, ut novus ei honor decretus fuerit, duobus connexis oleae ramulis capite cincto. Probaruntque et rem et auctores universi populi: atque inde claros viros coronandi consuetudo orta, statimque vulgata est. Neque transeundus Phocion est, licet aetas ejus in Philippi et Alexandri tempora incidit, quorum potentia et fortuna summorum virorum obscurare famam potuisset. Nec tamen illi sic officere nomini Phocionis potuerunt, quin strenuum virum optimumque civem fuisse sciamus: qui quum quadragies quinquies exercitum duxerit, semper absens electus praetor, tamen integritate vitae civilibusque artibus hodie est notior.

Phocion.

XXXIX. Atque ea hominis mentio publicae laudis admonet: quum eadem et civitatis nostrae fuerit in utroque genere praestantia, ut ingeniosissimi homines disputent, Belline an vero sapientiae studiis Athenae fuerint clariores! An enim ulla pars disciplinae est, in qua laudabiliter versari humanum ingenium possit, quam non aut invenerint nostrates, aut praeceteris excoluerint.

Poëtae Attici.

XL. Ut enim a poëtis ordiamur, quod genus e doctis antiquissimum est, comoediae tragoediaeque plurimos atque nobi-

Cap. XXXVI. Stobaeus. Plut. Parall. c. 2. Cap. XXXVII. Corn. Nepos, Themist. c. 2. Pausan. l. 1. Cap. XXXVIII. Val. Max. 2, 6, 5. Plut. Phocion. Corn. Nep. Phoc. Cap. XXXIX. Plut. libello sic inscripto, Cic. de Or. 1, 4. Cap. XL. Cic. Tusc. Quaest. 1, 1.

lissimos auctores Athenae tulerunt. Quamquam profecto comoedias scribere vetitum Areopagitis est, ne severitatem judicum populari hilaritate corrumpant: tamen et in festivis theatris fabulae nostrae spectantur, et ingeniosior quisque poëtarum habetur, quo propius abest a nostris. Tragoediae vero, quae maximas in vita habet utilitates ad omnem bene ferendam fortunam, et primum inventorem, et scriptores adeo excellentes haec civitas peperit, ut tanto jam tempore nemo sit repertus, qui sapientiam Euripidis, facundiam Sophoclis, grandiloquentiam Aeschyli possit imitari. U. c. 666. A. C. 86.

XLI. *Oratores autem praestantes civitas nostra plures eadem aetate habuit, quam reliquae propemodum omnes omnibus annis. E quibus equidem Lysias, et Aeschines, et Demosthenes, non tamquam oratorum, sed tamquam eloquentiae nomina, audiuntur. Et ut pictores, statuarios, aliosque artifices, quorum tamen insignis etiam est gloria, et quidquid ingeniorum diversis studiis occupatum fuit, silentio transeamus, quis ignorat nullibi terrarum meliores exstitisse doctores ejus, quae vitam regit, sapientiae? Solon, et Socrates, et cum Platone Xenophon, et tot profectae a Socrate familiae, quarum etiamnum successio durat, notiora sunt miracula, quam ut dici debeant; majora, quam ut possint.* Oratores. Philosophi.

XLII. *Ob tot urbis decora mirum non est, si maximi praestantissimique reges, uti vincere Athenas magnificum, ita perdere inhumanum judicarunt. Possemus hic Philippum nominare Macedonum regem, possemus Alexandrum. sed, ne tibi talia commemorando fastidio simus, imperator, praesertim quia pro humanitate atque eruditione tua nihil horum nescis, has tantum adjiciemus preces, ut clarissimorum regum tueri judicium velis, atque clementiam imitari, quemadmodum imitaris et virtutem. Ne lubeat tibi vastare aedificia hujus urbis, a qua primum tradita mortalibus est aedificandi scientia: noli fame premere frugum parentem: noli bello vastare tot heroum patriam, artium omnium domicilium, religionum atque sapientiae templum, et, Pythii testimonio ac voce, Graeciae Prytaneum.*

XLIII. Sed huic orationi non aliter, atque hac vecordia dignum erat, Sulla respondit. *Abite, inquit, beati: et haec tam pulcra declamatoris adolescentibus praecipite. Ego enim senatus populique Romani missu, non discendi gratia, sed ad puniendos rebelles, adsum.* Sullae responsum.

Cap. XL. Plut. ibid. c. 9. Timocles apud Athen. 6, 1. Clemens, l. 1. Stromat. Plut. Cap. XLII. Flor. 3, 5. Justin. 2, 6. Athen. 6, 16. Plut. Sull. c. 28.

U. c. 666. A. C. 86.

XLIV. Dum haec aguntur, forte senum in tonstrina sermonem habitum exploratores ad Sullam retulerunt. tyranno maledixerant, *quod negligenter servaret urbem, facilesque ad Heptachalcum aditus incustoditos sineret.* Imperator, haudquaquam spernendum indicium ratus, media nocte cum expeditis ad locum venit; et, quia non difficilis superatu videbatur, admoveri statim scalas, et evadi in murum jubet. Primus omnium M. Tejus in summum enisus, quum occurrentem sibi hostem feriret, objecta galeae fregit ensem: nec cessit tamen loco, sed, donec alii commilitones supervenirent, restitit. Sic expugnatae sunt a Sulla Athenae Kalendis Martiis.

Athenarum expugnatio.

XLV. Romani, diruto, quidquid inter duas portas Piraïcam et Sacram murorum fuerat, magno cum terrore ingressi, strictis ensibus ad caedem rapinasque discurrerunt: non defectionem tantum Atheniensium, sed suas contumelias, et jacta obsidionis tempore convicia, immitis ingenii viro acriter vindicante. Erat omnino foeda tum eorum, quae fierent, species, tum factorum memoria et notae. Multis in domibus condita in usum ciborum humana membra reperta; tantumque cruoris ea nocte fusum ferunt, ut, praeter alias urbis partes caedibus et cadaveribus oppletas, totus Ceramicus ad Dipylon usque sanguine fluxerit, ejusque rivos etiam in suburbium manasse quidam retulerint. Non enim a Romanis tantum obvii sternebantur, sed ingens oppidanorum numerus, acerbiora morte metuens, desperatione sibi necem consciscebat. Aristion cum paucis in arcem confugit, incenso prius Odeo, ne materia illius ad oppugnandam arcem hostibus usui esset.

Et multiplices miseriae.

Sulla exoratus urbi parcit.

XLVI. Sullam, ne urbem diruerit, non quidem mandata senatus absterruerunt, quibus tum quidem parum fuisset commotus: sed, Romanis senatoribus qui cum Sulla erant, adjuvantibus, exsules Atheniensium Midias et Calliphon extremis precibus evicerunt, *ut miserrimae civitatis aliquas esse reliquias pateretur.* Igitur postridie, jam satiata nonnihil vindictae cupiditate, veterum Atheniensium laudibus commemoratis, *ingratissimos hominum*, ut ipse dicebat, *in honore*

Cap. XLIV. Plut. de Garrulitate c. 8. Plut. Sull. Vell. 23. Plut. Cap. XLV. Appian. Mithrid. Plut. de Garrul. Appian. Plut. Sull. Appian. Cap. XLVI. Memnon. Plut. Appian. Plut. Flor. Plut. Appian.

sacrorum suorum atque antiquorum heroum conservavit: multos se paucis, et vivos mortuis donare dictitans: *Servilia* deinde *corpora vendiscum* edixit: *ceteris concedere libertatem; suffragia legum et magistratuum non concedere, quod hostili in se atque populum Romanum animo fuissent. posteris tamen illorum ea quoque reddere.* U. c. 666. A. C. 86. *Libertatem oppidanis concedit.*

XLVII. Sic antiquissima et nobilissima Graeciae civitas, quum plurimorum bellorum pericula, seditionumque et tyrannidis violentissima mala superasset, quo tempore vix timeri tale quippiam potuisset, Aristionis opera in eam calamitatem adducta est, ut extremum exitium vix exaderet. Sullam quoque postea gavisum esse ferunt, quod irae, cujus potens non erat, hactenus indulsisset, ut tamen urbem non exscinderet: idque inter praecipua fortunae suae beneficia numeravisse. Numquam tamen pristinam deinde recuperare speciem Athenae potuerunt; et moenia, tum a Romanis diruta, circiter annos trecentos quinquaginta jacuere: donec, imperante Valeriano, contra Scytharum incursiones reficerentur.

XLVIII. Per eadem tempora aliis quoque locis inter Romanos Mithridaticosque diuca varia fortuna certatum est. Asia ferme tota regis erat, nisi quod ab obsidione Rhodi repulso etiam Magnetes fortissime resistebant. Hi et alias plurimum damni regiis attulerant: et Archelaum, paullo ante, quam in Graeciam iret, fines suos effusa populatione devastantem, multis barbarorum necatis, sauciaverant. Inde, quum maximo exercitu circumsessa oppugnataque urbs eorum a Mithridaticis praetoribus esset, summa virtute defensa est. *Magnetes Mithridati resistunt.*

XLIX. In Thracia atque Macedonia prosperiora omnia regiis erant. Thraces, Mithridatis partes sequoti, duce filio regis Arcathia, deinde Dromichaete regii sanguinis Thrace, capta Amphipoli, numerosis agminibus Macedoniam et propinquas illi regiones invaserant. Horum incursionibus Epirus et reliqua Dodonam usque adflicta sunt: ipsum Jovis Dodonaei templum sacrilegas eorum manus non effugit. Delphicum quoque delubrum, postquam antiquioribus temporibus bis in- *Thraces Macedoniam et finitimas regiones vastant.*

Cap. XLVII. Plut. Plut. Apophth. Rom. in Sull. Pausan. l. 1. Zonar. in Valer. Cap. XLVIII. Liv. Epit. Tac. 3. Ann. 61. Pausan. l. 1. Liv. Epit. Cap. XLIX. Memnon. Dio apud Vales. Euseb. num. 1834. Euseb. Προπαρασκ. 81.

U. c. 666. A. C. 86. censum fuisset, tum tertium a Thracibus inflammatum est.

Taxiles Mithridatis praetor.

L. Iis post Arcathiae mortem Taxiles cum imperio praeerat, qui, Atheniensium obsidione audita, quum Elateam Phocidis urbem circumsideret, copias in Atticam transducere instituit. Habebat autem sub signis centum peditum, decem equitum millia, cum nonaginta curribus falcatis; per se validas ad quodlibet bellum vires, nedum si Archelao jungeretur.

Piraeeum oppugnat Sulla.

LI. Quo minus committendum Sulla ratus, ut post captam urbem ad reliquas munitiones tempus tereret, obsidioni arcis Curionem praefecit: Piraeeum summis viribus oppugnavit. neque prius destitit, quam, repulsis continuo telorum imbre propugnatoribus, muri recentis lunatam partem convelleret. Sed cum optato laboris eventu non statim praemium etiam speratum adfuit. Quippe interiorem murum Archelaus struxerat: et, quasi nihildum actum foret, subeunda erat integra oppugnationis alea. Neque hoc semel atque iterum factum esse dicitur, sed ea fuisse utrisque defendendi expugnandique contumacia, ut sex et amplius muri perrumpendi Romanis ante plenam victoriam fuerint.

Et expugnat.

LII. Tandem, urgente Sulla, ipsisque militibus per iram, et, quia expugnato Piraeeo cetera belli faciliora fore credebant, supra fidem humanarum virium connisis, Archelaus, in opposita quaeque ruentium insana pervicacia victus, cessit loco: seque in Munychiam et circumfluam undis Piraeei regionem recepit. Victores, aedificiis plerisque incendio ac ruina deletis, in quibus et navalia fuerunt, et celebratum Philonis armamentarium, tanta arte distributis spatiis, ut mille navium instrumentum caperet, ultra non potuerunt progredi, quod neque classem haberent, neque sine navibus sequi Archelaum possent. Igitur, omisso illo, relictisque idoneis praesidiis, L. Sulla cum majore parte exercitus et Graecorum populorum auxiliis, ut venienti novo hostium exercitui occurreret, in Boeotiam contendit.

Cap. L. Plut. Sull. Pausan. Plut. Cap. LI. Appian. Flor. 3, 5. Oros. 6, 2. Cap. LII. Appian. Plut. Appian. Plut. Appian. Plin. 7, 37. Appian. Plut.

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI SECUNDI.

Sulla copias regis, quae, Macedonia occupata, in Thessaliam venerant, proelio vicit, caesis hostium centum millibus, et castris quoque expugnatis. Renovato deinde bello, iterum exercitum regis fudit ac delevit. Archelaus cum classe regia Sullae se tradidit. L. Valerius Flaccus consul, collega Cinnae, missus, ut Sullae succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimae audaciae homine, occisus est, et imperium ad Fimbriam translatum. Praeterea expugnatae in A-

Caesis hostium centum millibus, et castris quoque expugnatis] Primo hoc proelio centum et decem millia ex regis exercitu cecidisse, auctores sunt Appian. in Mithrid. pag. 199. et Oros. 6, 11. Tum copula *et* deest in editis ante Gruterum; qui eam primus addidit, consentientibus omnibus scriptis nostris. *et quoque* hic junguntur, ut apud Liv. 42, 27. *Hospitio quoque et duces Romanos omnes, et legatos exterarum quoque gentium, praecipue regios, accipiebat.* et alibi. Similiter *et etiam*; de quo vide Cet. Dukerum ad Flori 3, 18, 6. Insuper *Lutius Sylla* in initio hujus Epitomes Boend.

Exercitum regis fudit ac delevit] *exercitum ejus* Norv. et typis descripti ante Gruter. qui *regis* restituit. Idem servant nostri Leid. Voss. Berg. Boend. et Lov. 2. Hinc *et delevit* Leid. Mox *tradit* Voss. neglegentia librarii; de qua v. ad 34, 29, 13.

Flaccus consul, collega Cinnae etc. *ab C. Fimbria legato ipsius*] *Flaccus collega consulis Cinnae* Voss. Tum *a C. Fimbria* omnes scripti mei, Exc. Pithoei, Norv. et editi usque ad Gronov. qui anno 1668. *ab C. Fimbria* dedit. Quare priorem lectionem non male revocarunt Freinsh. Doujat. Cleric. et Crevier. Voces *legato ipsius* de-

sia urbes a Mithridate, et crudeliter direpta provincia, incursionesque Thracum in Macedoniam, referuntur.

sunt in ed. Camp. Fimbria hic ὑπάτῳ Οὐαλερίῳ Φλάκκῳ ταμίας vocatur Strab. lib. 13, 594.

Et crudeliter direpta provincia, incursionesque] Utramque copulam *et* atque *que* omittit Boend. posteriorem tantum Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Tum *direptae provinciae* Boend. *direpta pecunia* ultima Gruteri, quod perperam Freinsh. Doujat. Cleric. et Crevier. servarunt.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLVII.

IN LOCUM LIBRI LXXXII. T. LIVII.

I. Expeditio L. Sullae, quemadmodum nihil tam obnoxium hominum judiciis est, quam imperatorum consilia, a plerisque reprehendebatur, quod, relicto Attico agro, ubi propter asperitatem locorum pauci pluribus resistere possent, Boeotiae campos et apertam planitiem, numero praesertim equitum tanto inferior, optavisset. Ceterum Sulla, praeter insitam audaciam, motus caussis minime inanibus videbatur, quod, retenta Munychia, Archelaum hoc intelligebat agere, ut ducendo bello Romanos in regione sterili commeatuum inopia premeret. Ager enim Atticus ne per pacem quidam tantam alere multitudinem poterat: subvectionem annonae ipse mari, Taxiles terra haud magno negotio erant prohibituri. U. c. 666. A. C. 86. *Sullae consilium reprehensum a multis.*

II. Adversum haec ea ratio Sullae erat, ut cum hoste potius solo, quam simul adversus hostem famemque dimicaret. Ad hoc periculo L. Hortensii movebatur: quem, acrem virum et propositi tenacem, cum copiis non poenitendis ad se ex Thessalia pergere, hostes autem in Thessaliam irrupisse noverat: et, nisi subveniretur, ne ubicumque deprehensus pugnam vel cum exitio sumeret, metuebat. Sed Hortensium quidem Caphis Boeotius per aliam, quam qua venturum barbari opperiebantur, viam circumduxit, donec, superato Parnassi dorso, tenuit Tithoream. munitissimus natura locus est, alto circum et praecipiti rupium velut vallo claudente: cui quondam Phocensium pars, inundante Graeciam Xerxis exercitu, salutem atque libertatem debuisse dicitur. Huc *Sed ab eo propter idoneas rationes susceptum.*

Cap. I. Plut. Sull. Cap. II. Memnon. Dio apud Vales. Plut. Liv. Epit. Plut. Herod. l. 8.

U. c. 666. A. C. 86.

L. Hortensius ad Sullam venit.

ubi longiore via sequuti hostes penetrarunt, Hortensius toto die impetum eorum haud difficulter repulit: noctu deinde tacito agmine profectus per loca confragosa pervenit Patronidem, ibique ab occurrente Sulla receptus est.

III. Hoc adjuncto milite, non ultra mille quingentos equites, peditum millia quindecim Romanae copiae efficiebant. accensa deinde Graecorum, qui nuper ab Archelao defecerant, auxilia ita augebant numerum, ut tamen ne trientem quidem hostilis multitudinis aequaret. Igitur Archelaum (nam et hic accitus a Taxile in Thessaliam accurrerat) ceteri duces ad proelii tentandam fortunam indesinenter hortabantur: donec, consensu omnium victus, (nam trahere bellum haud absurdo consilio statuerat) in aciem suos eduxit.

Archelai copiae.

IV. Praeter veterum copiarum reliquias, et quae postea Dromichaetis ductu venerant, etiam Arcathiae nullo adhuc incommodo imminuta agmina, et quae subinde Mithridates submittebat, Taxiles e Macedonia adduxerat. in universum hominum millia centum viginti numerabantur, mixta e variis gentibus acies: Thraces plerique et Pontici, Scytharumque et Gallograecorum auxilia, tum ex Phrygiae, Bithyniae, ceterarumque provinciarum, quae jugum regis acceperant, delectibus coacta juventus. suos cuique gentium ductores, summae Archelaum rex praefecerat.

Sulla suos intra vallum continet.

V. Sulla castris locum in Elateae finibus ceperat. sed, quia neque collis, quem obtinebat, arduus, et lata circum planities erat, quum neque loco fideret, et terreri hostium multitudine animadverteret suos, intra vallum se continuit. Id quum continuis aliquot diebus factitatum esset, contemnere hostem regii coeperunt, et, quo ferebat animus, injussu ducum pabulatum excurrere. Panopeum Boeotiae urbem sine certo imperio tum deletam ferunt: Lebadeam cum celebri Trophonii oraculo direptam. Dolebat in oculis suis fortunas sociorum diripi Sulla, sed militem formidine nondum liberatum certamini non audebat objicere. laboribus ergo atque operum taedio putabat adduci posse, ut potius pugnam posoerent. Ipse, mis-

Cap. II. Pausan. l. 10. Plut. Cap. III. Appian. Mithrid. Plut. Cap. IV. Appian. Oros. 6, 2. Appian. Cap. V. Plut. Appian. Plut. Frontin. 1, 11. Plut.

sis ad Archelaum legatis, pacis mentionem interposuit, inducias quoque pactus: quo securiorem efficeret hostem, et castra sua in tutiorem locum transferret. U. c. 666. A. C. 86.

VI. Utrique consilio sicuti ratio adfuerat, fortuna et successus adfuerunt. Tertio die, postquam derivando Cephisi flumine, fossisque ducendis fatigari coeperant, praetereuntem forte Sullam magno cum clamore proelium poposcerunt. Ille, non pugnam cupientium, sed laboris pertaesorum hunc clamorem videri increpans, *Tamen, si viri estis*, inquit, *en vobis locum, quem extemplo capiatis.* Simul ostendit arduum praeruptumque collem, ubi quondam ad confluentes Assi Cephisique arx Parapotamiorum steterat. Ad hunc occupandum eodem tempore missi ab Archelao chalcaspides ibant: sed eximia Romanorum alacritate praevenit eos Sulla, locumque communivit. *Taedioque laboris ad poscendam pugnam adigit.*

VII. Ut jam redire militibus virtus et armorum fiducia coepit, Sullaeque exploratores retulerunt, *castra hostium non magno plerumque praesidio custodiri; ceteros ad praedam, frumentive aut pabuli convehendi gratia passim evagari; redeuntes, ubi per noctem ignibus, interdiu fumo adventum suum significassent, portis patentibus intromitti; eaque secure et negligenter omnia agi; quantoque plus ducum ipsis, tanto minus obsequii esse:* occasione usus magnum barbaris detrimentum, et, quia necopinantibus acciderat, majorem ex securitate metum attulit. *Regiorum negligentia.*

VIII. Frumentatorum aliquo numero excepto, quum robustissimum quemque interfecisset, reliquos, a quorum imbecillitate nihil metuebat, resumptis armis suis pergere secum jussit. Quum in vicinum castris locum obscura jam nocte ventum esset, *Ne vos fugiat*, inquit, *quam salutis concessae mercedem postulem, excitatis ignibus signum, quod inter vos convenit, vestris date. ubi redditum ab illis signum fuerit, ad castra succedamus, apertas haud dubie portas reperturi, ubi vestrae e propinquo voces agnoscentur. In hoc non magis victoriam meam, quam vestram incolumitatem, sitam esse scitote. Quod si quis forte fugam aut proditionem tentare voluerit, a me providebitur, ut nullo neque nostro damno, neque suorum commodo, extremos sibi cruciatus arcessivisse intelligat.* Omnia, sicut Sulla optaverat, obedienter facta. eventus etiam adfuit. *Stratagemate Sullae castigata.*

Cap. V. Frontin. 1, 5. Cap. VI. Plut. Cap. VII. Memnon. Plut. Memnon.

U. c. 666. A. C. 86. Recepti pro amicis late per tota castra terrorem caedemque ediderunt.

Archelaus castra movet. Sulla sequitur.

IX. His incommodis, et quia barbari temere vastando culta penuriam sibi commeatuum ex magna copia fecerant, Archelaus ad Chalcidem retrocedere statuit, ubi e maritimis subvectionibus abundaturus commeatu erat: dum Romani fame ac inopia rerum omnium in vastatis agris attererentur. Non fallebat Sullam, quid hostis moliretur. igitur, discedentem provide sequutus, neque se dabat in discrimen, et illum, qualia voluisset, itinera facere prohibebat. Ita ventum ad Chaeroneam est, Plutarchi nobilis philosophi natalibus illustrem: qui rerum istarum historiam composuit.

Chaeronea contra regios defenditur.

X. Erat inter auxilia Romana Chaeronensium cohors: quae, patriae periculo mota, oravit Sullam, ne hostibus esse praedae pateretur. Sulla et illos ad praesidium patriae occurrere jussit, et cum una legione Gabinium tribunum militum eo misit. tantaque Romanorum diligentia fuit, ut, in servando oppido, Chaeronensium ipsorum licet inflammata studia praeveniret. Barbari, spe potiundi oppidi amissa, in Thurio (confragosum admodum et praeruptum supra Chaeroneam cacumen est) valido collocato praesidio, haud procul inde castra posuerunt.

Sulla aciem instruit.

XI. At Sulla, aestimato loci ingenio, quum barbaros suam ipsos multitudinem inutilem effecisse; sibi vel ad inferendum gradum, vel ad referendum abunde spatii, illis angusta omnia et impedita, cerneret; quod hactenus detrectaverat, proelium appetere coepit, hostemque lacessere. Quapropter, bifariam divisis copiis, sinistro cornu L. Murenam praefecit, in dextro curaturus: novissimam aciem cum subsidiariis cohortibus Sulpicius et Hortensius legati obtinebant, ita dispositi, ut circumventuris aciem Romanam hostibus se objicerent. id enim ob numerum barbarorum, et quia equitum levisque armaturae copiosam manum ostentabant, futurum rebatur.

Regiorum multi occiduntur in Thurio.

XII. Ericius cum Homoloïcho et Anaxidamo Chaeronensibus, ut occulto calle in Thurium evaderent, missus, ducibus illis ex improviso regios perculit. Totum enim Romanorum exercitum adesse rati per ipsa via praecipiti timore ferebantur, suisque ipsi armis

Cap. IX. Appian. Plut. Cap. XI. Appian. Plut.

se induebant. Ad tria millia hominum ibi cecidisse creduntur. Reliqua multitudo partim in Murenam, instructa jam acie stantem, incidit; partim, ad Archelaï castra delata, turbavit instruentium ordines sedulitatem, atque omnia temore et tumultu permiscuit. U. c. 666. A. C. 86.

XIII. Sero tum Archelaus, quam iniquum in locum se conjecisset, intellexit. equitibus igitur celeriter immissis, inferentem jam signa Sullam submovere conatus est. Sed pulsi in abrupta equites parum aut hostibus morae, aut suis praesidii attulerunt. Iterum ad perrumpendam Romanorum aciem sexaginta currus falcati processerunt. Sed, quoniam justo spatio, quod maxime concitandis cum impetu quadrigis necessarium est, destituebantur, lente invectos Romani, diductis ordinibus cum plausu, et tamquam in Circensi ludicro alios postulantes, sine noxa transmiserunt. ubi dum haerent haud molli ad convertendum flexu, equi et aurigae a subsidiis Romanorum impune sunt telis obruti. Sic quoque integrum Archelao erat, castrorum munitionibus se tueri, et subeuntem ad impedita Sullam pari locorum fraude involvere. Sed ille, quacumque tandem caussa (nam et tum, et postea varie dubitatum est) educere suos maluit, et, quoniam in propinquo jam Murena erat, constipatam in angustiis multitudinem confertis ordinibus opponere. *Equites Archelaï et currus falcati repelluntur.*

XIV. Quindecim servorum millia, qui ad promissam libertatem regiis partibus se adjunxerant, in fronte porrectis hastis stabant. Romani, Saturnalia haec esse conclamantes, gladios, abjectis extemplo pilis, ad caedenda hastilia strinxerunt. Sed, quia ob densos hostium ordines tarde res procedebat, subducta gravi armatura, velites immissi sunt, totamque illam aciem glandium telorumque grandine proturbarunt. Interim dextrum suorum cornu ita Archelaus produxerat, ut inclusurus Romanum agmen videretur. ibi Galba et Hortensius, raptim ductis cohortibus, in latera hostium facturi impetum accurrerunt. Sed praevenit eos equestris hostium procella, sensimque recedentes ad montana exclusit a cetero exercitu, submotosque circumvenit. Maximum ea parte periculum erat, quod in conspectu Archelaï, nam et ipse aderat, alacrius a barbaris pugnabatur. *Servorum XV. M. in acie Archelaï.*

Cap. XIII. Appian. Plut. Appian. Cap. XIV. Plut. Appian. Plut. Appian.

U. c. 666. A. C. 86.

Sulla laborantibus succurrit.

XV. Idcirco Sulla, qui nondum ad conjectum teli venerat, propere cum valido equitum globo laborantibus succurrit. Ea res, et quod ex pulvere conjectabat imperatorem advenire, terruit Archelaum, ut, omissa pugna, ad dextrum Romanorum cornu properaret, id, dum sine duce esset, sperans facilius in fugam verti posse. Sub idem tempus Taxiles contra Murenam chalcaspidas instituit ducere: diversisque e partibus ortus clamor, montiumque repercussu multiplicatus, distinuit Sullam, quo potius et prius ad ferendam opem advolaret. deinde, celeriter capto consilio, Hortensium cum quatuor cohortibus Murenae subsidio misit, ipse cum quinta et, quos habebat, equitibus ad suum cornu rediit.

Et egregia victoria potitur.

XVI. Commissum jam ea parte proelium erat, et paribus utrimque animis viribusque pugnabatur. Ergo ubi imperator, et cum eo peditum equitumque novum robur adfuit, haud ultra dubitatum est, quin hostes terga verterent. Imperator, de Murena sollicitus, protinus in illam partem victricia agi signa jubet. At jam sibi quoque oppositos Murena, concitatis hortatu et exemplo suo militibus, egregie fuderat. Reliquus igitur labor insequendi hostem, caedendique fugientes fuit. Magnus ibi numerus, et multo, quam in proelio, major, occisus. nam, ut sagaciter Sulla conjecerat, angustiae locorum non minus fugam hostium, quam pugnam, impediebant.

Archelaus suos reverti in proelium jubet.

XVII. Castra tamen et magna pars exercitus servari potuissent, nisi exclusi fuissent ab Archelao, qui eo confugerant. Sed ille redire in proelium jubebat. Nec animus plerisque deerat: sed sine ducibus, sine signis, ne loco quidem ad pugnandum apto, confusis ordinibus et sua multitudine impediti, neque referire hostem poterant, et multi a suis obterebantur. Tandem, magna parte trucidata, ultimis reliquorum obtestationibus expugnatus Archelaus aperuit portas. sed sera et perniciosa haec misericordia fuit. simul cum fugientibus Romanus miles irrupit, captisque castris victoriam consummavit. Hostium ea die centum millia caesa perhibentur: non supra decem millia cum Archelao Chalcidem perfugerunt. Neque tanta de asperrimis

Occisorum utrimque dispar numerus.

Cap. XV. Plut. Cap. XVI. Appian. Plut. Cap. XVII. Appian. Liv. Epit. Eutrop. Appian.

rimis gentibus victoria plus duodecim Romanis abstulit, si quidem commentariis Sullae credimus. quatuordecim desideratos fuisse scribit; sed ex eo numero duos sub vesperam revertisse. U. c. 666. A. C. 86.

XVIII. Ob hujus victoriae laetitiam ludos Thebis apud Oedipodeum fontem edenti missi a Curione, captam Athenarum arcem, tyrannumque in Minervae templum confugisse, nunciant: quum eodem die, ut postea compertum est, victoria Sullae Athenis Curioni nunciaretur. Multiplicatum deinde spe alterius victoriae gaudium est; cujus certa se promissa ab Trophonio adferre, Q. Titius, negotiari in Graecia solitus, adfirmabat. Etiam Salvienus legionarius miles adstitisse sibi speciem Jovis ea majestate, qua Olympiae viseretur, adseruit: finem civilium bellorum, qualis mox consequutus est, praedicentem.

XIX. Laetus his imperator, ut praesentia constitueret, judicibus ex aliis Graeciae civitatibus excitatis, Elatiensibus, quod Taxili Mithridatis praefecto portas clauserant, libertatem, quam Macedonico Philippi bello amiserant, reddidit. Thebanos dimidio agri mulctavit, et, quod inde provenisset in posterum, prodonariis, quae Olympiae et Delphis et Epidauri abstulerat, Jovi et Apollini et Aesculapio consecravit. Armorum deinde hostilium acervum Gabino cinctu, patrio more, Diis belli praesidibus cremavit: monumentumque felicis proelii Marti Victoriaeque et Veneri dedicandum curavit. *Sulla Elatienses remunerat; Thebanos punit.*

XX. Quum inter haec ex continuis laboribus modica quiete satis refectos cum corporibus militum animos putaret, Chalcidem cum exercitu profectus est. Sed, quia navibus carenti facile praecludi aditus poterat, praesidiis, ubi profuturum judicabat, dispositis, Athenas perrexit, ut poenas de nocentibus sumeret. Foedum omnino pestiferumque tyrannum Arision egerat, et ad luendum supplicium divinitus in potestatem Romanorum traditus videbatur. Quum enim obsessi munimento loci se diu defendissent, tandemque penuria aquae deditionem coacti essent facere, ea ipsa die horaque, quum arx Curioni est tradita, sereno coelo repente nubes conglomeratas esse, copiosumque imbrem cecidisse, memoriae proditur. *Athenas proficiscitur.*

Cap. XVII. Oros. Plut. Cap. XVIII. Pausan. l. 1. Plut. Cap. XIX. Pausan. l. 10. Plut. Pausan. l. 9. Appian. Plut. Cap. XX. Appian. Pausan. l. 1. Plut.

U. c. 666. A. C. 86.

Aristionem et satellites ejus punit.

XXI. Sulla Aristionem templo extractum venenum coëgit bibere: ceteros ejus satellites, quive magistratum sub ipso gesserant, quive quovis modo sibi aut populo Romano fuerant adversati, in Ceramicum conclusos, sorte decimum quemque ad capitale supplicium eduxit. Pecuniae ex arce non spernenda vis egesta. quadraginta maxime pondo auri, sexcenta argenti reperta fuisse memorantur. Ceterum in his dum occupatur Sulla, L. Valerii Flacci adventu audito, ut Graeciam petenti occurreret, in Thessaliam movit. Ejus L. Flacci mentio cogit, ut ad urbana negotia exponenda praevertam.

XXII. Consul Cinna, C. Mario collega mortuo, in locum ejus Flaccum adsciverat. Domi forisque nihil inconcussum, aut etiam mediocriter turbatum erat. Arma jam in urbe cessabant: sed moesta omnia suspectaque, tantis undique irarum odiorumque caussis, et animis et oculis hominum occurrebant. Inter alia non leviter civitatis concordiam magnitudo aeris alieni et labefacta fides concusserat. Ei malo ut remedium adferret, turpissimam legem L. Flaccus consul tulit, quadrante creditoribus solvi jusso: ut jam injuriae perfidiaeque publicus auctor non immeritas poenas violatis societatis humanae vinculis dedisse videatur, altero statim anno a C. Fimbria, legato suo, contra jus fasque interemptus.

Turpissima lex in fraudem creditorum lata.

Monetae fraudes.

XXIII. Inter mala civitatis etiam monetae fraudes patrimonia privatorum adflixerant. Iis ut obviam iretur, de probandis denariis (octoginta quatuor e libra signari justum erat) tribuni plebis legem promulgaturi, ut res nummaria de communi sententia constitueretur, collegium praetorum adhibuerunt. Sed edictum communiter conscriptum Marius Gratidianus praetor, ut omnem populi favorem in se averteret, ceteris ex composito pomeridianum tempus exspectantibus, statim a subsellis ad rostra contendens, suo uniu nomine proposuit. Tantaque legis ejus gratia fuit ut per omnes vicos ei statuae, et ad eas thus et ce rei ponerentur.

Cap. XXI. Appian. Pausan. Appian. Plut. Cap. XXII Cic. Bruto, c. 90. Vell. 2, 23. Sall. Catil. c. 33. Vell. Cap XXIII. Plin. 33, 9. Cic. de Off. 3, 20. Senec. de Ira, 3, 18 Cic. Plin.

XXIV. Cn. quoque Pompejus, qui postea Magnus est appellatus, judicium idem annus habuit. Peculatus erat ob furta Strabonis postulatus, et quod in Asculana victoria libros et plagas venatorias munere patris acceperat. Dixerunt pro Pompejo Q. Hortensius et L. Philippus jam senex, *se non ammiritò, quum sit Philippus, Alexandri studiosum esse* dictitans: quod jam id nomen a multis Pompejo imponi coeperat. Egit et pro se Pompejus ita constanter et praeter aetatem diserte, ut commotus ea re praetor Antistius, qui judicium exercebat, filiam ei nuptum offerret. Accepta conditione, Pompejus, quum paucos post dies absolveretur, a populo Thalassionis inclamatum nomen est, quod tum inter festivitatem nuptiarum solebat celebrari. Plurimum tamen ei Cn. Carbo patronus profuit, magna tum potentia: cujus acerrimo studio atque enixa opera defensus est. *U. c. 666. A. C. 86. Cn. Pompejus accusatur.*

XXV. Asiae deinde et Graeciae bella respicientibus non magis hostis Mithridates, quam imperator Sulla, terrori erat. Igitur fit senatusconsultum, quo L. Flacco consuli bellum Mithridaticum et legiones duae decernuntur. adjectum, ut, *siquidem in potestate senatus Sulla esset, adjutore illo; sin vero, tamquam hoste uteretur.* Haec audita moverunt Sullam, ut in Thessaliam duceret. *L. Flacco bellum Mithridaticum decernitur.*

XXVI. Inter haec Archelaus, acceptam terra cladem utcumque maritimis expeditionibus sarciens, archipiratae magis, quam magni ducis, more circum insulas vagabatur. Sed, ad Zacynthum exscensione facta, quum obsidere oppidum instituisset, ab oppidanis, ductu quorumdam Romanorum, qui forte ibi negotiabantur, nocturna eruptione territus, e vestigio conscendit naves, Chalcidemque inglorius rediit. Eodem et Dorylaus, Philetaeri filius, cum novo exercitu venit. Idcirco ad Sullam, quum vix Melittaeensium fines (Thessaliae oppidum Melittaea fuit, quod et *Melitea* vocabatur) attigisset, frequentes undique nuncii accurrerunt, omnia, quae recepisset a tergo, non minoribus, quam antea, copiis per Mithridatis praefectos opprimi. *Archelaus archipiratae more insulas infestat.*

Cap. XXIV. Plut. Pomp. c. 6. Cic. Bruto, c. 64. Plut. Val. Max. 5, 3, 5. et 6, 2, 8. Cap. XXV. Appian. Civil. l. l. et Mithrid. Memnon. Plut. Cap. XXVI. Appian. Strabo, l. 10. p. 478. Plut. Stephan. Plut.

U. c. 666. A. C. 86.

Mithridates alias copias in Graeciam mittit.

XXVII. Rex enim, comperta exercitus sui strage, uti par erat, territus, animum tamen minime desponderat, quin ex novis delectibus, et quos antea collegerat, octoginta hominum millia classi imposita cum Dorylao duce mitteret. Atque is, quum Chalcidem appulisset, celeriter recepta Boeotia ferox et exultabundus, Sullae congressum optabat, Archelaumque deterrere orsum negligebat: fama quoque disperta, *non sine proditione ducis tot bellatorum millia tam facile deleri a Romanis potuisse.* Enimvero circa Thilphossum, reversq Sulla, levibus proeliis Romanae virtutis experimentum cepit: adeo mutata sententia, ut postmodo princeps, ducendum esse bellum, sumptibusque et tempore atterendum Sullae impetum, censeret.

Proelium ad Orchomenum.

XXVIII. Sed ubi, castris ad Orchomenum positis, loci fiducia spem Archelao dabat, quod equitibus, qua parte virium regii praestabant, opportuna planities se pandebat; parare se coepit, tamquam casum proelii primo quoque tempore subiturus. Copias ita digesserat, ut in fronte quadrigae falcatae essent: post has locata phalanx erat, Macedonici instituti acies. Tertii auxiliares stabant, cum Romanis armis, mixtis Italicae gentis fugitivis. post omnes levis armatura constiterat. Equitatus utrumque latus claudebat, commisso proelio ad circumveniendum hostem evolaturus.

Sullae stratagema.

XXIX. Adversus haec omnia Romanus, loci numerique incommoda labore emendanda ratus, fossas in utroque latere complures instituit ducere, decem in latitudine pedibus patentes, et in capitibus earum castella communivit. Triplicem deinde peditum aciem fecit, intervallis relictis, per quae equitem, quem novissimo loco tenebat, ubi visum esset, emitteret deinde antesignanis secundae acici imperavit, ut robustos densosque palos firmiter in terram defigerent Quod ubi factum est, et ab regiorum acie concitati currus provolarunt, intra palorum septa recepit suos statimque, sublato clamore, velites et levem armaturam ingerere tela jussit. Erant ad terrorem comparata omnia, nihil usitatum notumve: sed in mediis campis velut subito enatum vallum, conversa in aliam formam acies, insolita et inopinata monstra obcurrebant Pars quadrigarum implicita palis haesit: aliae, cor

Cap. XXVII. Appian. Oros. Appian. Plut. Cap. XXVII Frontin. Strat. 2, 3. Cap. XXIX. Plut. Appian. Frontin.

versis habenis in suos recurrentes, phalangem dissiparunt. U. c. 666. A. C. 86.

XXX. Interea quum, equitibus Archelai incumbentibus, qui ad opera erant, milites turbarentur, metusque ad aciem etiam Sullae pervenisset; ille ex equo desilit, correptoque signo in primos ordines procurrens, *Quum deinde*, inquit, *interrogabimini, ubi imperatorem vestrum deseruerintis, mementote dicere, pugnantem ad Orchomenum.* Haec illo clamante, tribuni centurionesque accurrerunt, milites quoque multi sequuti sunt, et a dextro cornu integrae cohortes duae adfuerunt: ita repulsis hostibus, collaudatos milites reduxit; cibumque capere, et, refectis prandio viribus, ad opus reverti jussit. *Sullae strenuum factum.*

XXXI. Tum vero iterum invecti sunt hostium equites, non incomposito, ut antea, impetu, sed servatis ordinibus. His Romanum equitatum Sulla opposuit, ipse praesens hortator, et tota acie, ubi maxime opus erat, se offerens: donec, egregia iterum victoria potitus, ad quindecim hostium millia, majorem partem equites, et in his Diogenem Archelai privignum, cecidit. Pedites, quum diu restitissent, tanta sagittariorum pervicacia, ut, quoniam prementibus Romanis spatium utendi arcubus non habebant, densis sagittis, tamquam gladiis, cominus ferirent hostem, intra vallum compulsi sunt. *Sulla egregie vincit.*

XXXII. At L. Sulla, ne iterum Chalcidem elaberetur Archelaus, quo prosequi eum inopia navium nequiret, toto campo stationes nocturnas disposuit. deinde, luce reddita, vix ad centum a castris hostium passus fossam fodit: et magnam manum, quae ad prohibendum opus procurrerat, ita rejecit, ut reliquis nulla deinceps ad erumpendum audacia superesset. *Sulla stationibus et fossa circumdat hostes.*

XXXIII. Cohortatus igitur exercitum Sulla, *ut adversum trepidos et imbelles armis potius, quam operibus, pugnarent, et, convulsis, in quas se condidissent, latebris, belli reliquias uno impetu profligarent*; protinus ad oppugnandum Archelai vallum duxit. Neque regii praefecti simulari suos omittebant: modo dedecoris magnitudinem, si plures a paucioribus ne in munimentis quidem se defenderent, modo nullam nisi in armis spem *Castra Archelai oppugnat.*

Cap. XXX. Appian. Plut. Frontin. 2, 8. Appian. Plut. Cap. XXXI. Frontin. 2, 3. Appian. Oros. Plut. Cap. XXXII. Appian. Plut. Cap. XXXIII. Appian.

U. c. 666. A. C. 86.

salutis ostendentes. Magno igitur clamore et impetu res utrimque gerebatur: et, licet Romani, testudine facta, partem valli subruerant, densa tamen barbarorum acies strictis gladiis deterrebat irrupturos. donec Basilus tribunus legionis primus omnium transcendit, et, hoste caeso, exemplum reliquis viamque ad irrumpendum dedit.

Et capit.

XXXIV. Sic expugnata sunt Archelaï ad Orchomenum castra: tanta iterum caede, ut sanguine paludes infectae, stagnumque in proximo cadaveribus oppletum, referantur. Viginti millia hominum, in paludes compulsa, quum preces victoribus non intellectas funderent, inexorabilis Sullae crudelitas delevit. Totidem alia in flumine periisse dicuntur: praeter eos, qui in castris et circa passim sunt trucidati. Archelaus tamen evasit discrimen, paludum latebris per biduum occultatus: tertio demum die naviculam nactus, qua Chalcidem trajiceret. Ibi, quidquid usquam regiarum copiarum propinquis regionibus agebat, summo studio contrahere conatus est; ut saltem Euboeam teneret, donec meliorem aliquam spem repetendae Graeciae casus aliquis attulisset.

Victorque praemia et poenas dispensat.

XXXV. Sulla postero die, quam proelio victor exstiterat, tribunum vallari corona, multos deinde alios militaribus donis cohonestavit; virtutis caussa, et alioquin retinendae exercitus voluntati pecuniae profusus. Direptis deinde Boeotiae oppidis, quotquot iterum ad regios defecerant, et Anthedone, Larymna, Alaeisque eversis, in Thessaliam hiematum transiit: simul intentus in Flacci consilia, simul quaestorem exspectans, quem ad classem adducendam emiserat. Interim ipse fabricare ex praesenti copia naves instituit: quando neque Lucullus, neque certus aut constans de eo rumor adventabat.

Luculli gesta.

XXXVI. Sed ille, postquam ad belli societatem adduci Ptolemaeus nequibat, navibus, quibus Cyprum deduceretur, acceptis, ex maritimarum civitatum quas praeter vela faciebat, auxiliis modicam classem collegerat: et, vitatis piratarum insidiis, Rhodum appulsus, adsumptis Rhodiorum navibus, Coos etiam et Cnidios, ut, ejectis barbarorum praesidiis, arma secum in Samios ferrent, impulerat.

Cap. XXXIV. Plut. Oros. Appian. Oros. Eutrop. Plut. Appian. Cap. XXXV. Plut. Appian. Cap. XXXVI. Plut. Lucull. c. 5.

XXXVII. Eadem aestate, qua bellatum in Boeotia erat, Mithridates post primam Archelaï cladem, saevitia ingenita, et levitatem Asiaticorum, ne cum fortuna mutarent animum, veritus; occupare perfidiam alia perfidia, et, priusquam occasionem nocendi adipiscerentur, auferre potestatem statuit, suspectosque passim ut in manu haberet, operam dedit. Ante omnia Gallograecos, quotquot Tetrarchici generis erant, amicitiae specie Pergamum evocatos sustulit: quum ipsorum insidias vix evitasset. U. c. 666. A. C. 86. *Mithridates Gallograecorum insidiis petitus.*

XXXVIII. Ad sexaginta numero convenerant, et, quum serviliter se haberi cernerent, conspiraverant in necem regis. Praecipuo robore Toredorix quidam erat, Tosioporum tetrarcha. is, Mithridatem in gymnasio jus dicentem cum ipso tribunali in praeceps daturus, quum forte eo die Mithridates in gymnasium non adscendisset, in suam domum convocatos bono animo esse jussit, et, quamprimum data occasio foret, undique strictis mucronibus impetum in regem facere. Sed, re detecta, Mithridates omnes cum uxoribus et liberis interfecit, sepultura quoque negata. Tres tantummodo fuga servati. Pecuniam omnem Mithridates diripuit: missoque, qui genti praeesset, Eumacho, Gallograeciam in provinciae formam redegit. Sed, qui effugerant, reguli, quorum clarissimus Dejotarus diu post haec tempora vitam regnumque produxit, collecta popularium manu, Mithridatis praesidia cum ipso praefecto expulerunt. *Regulos eorum interfecit.*

XXXIX. Chios adhuc gravior calamitas oppressit. Publicatis omnium bonis, qui profecti ad Sullam fuerant; deinde missis, qui in factionem Romanam inquirerent, postremo cum militari manu Zenobius adfuit, dissimulato consilio, tamquam in Graeciam trajecturus. Is nocturno tempore muros urbis, et si quae alia apta defensioni loca erant, occupavit, et, praesidio ad portas collocato, per praeconem hospites quiescere, oppidanos in concionem procedere jussit, mandata regis accepturos. *Zenobius Chiis muros occupat praesidio.*

XL. Ubi convenerunt, *Nihil eos mirari debere*, ait, *si graviter iratum sibi regem audiant. Quanto quisque sit majoris animi locique, tanto aegrius tolerare injurias, et concoquere iram posse. Mithridatem hac potentia, et his gestis re-* *Chios tristi oratione terret.*

Cap. XXXVII. Appian. Cap. XXXVIII. Plut. de virtut. mulier. c. 44. Appian. Oros. 6, 2. Appian.

U. c. 666. A. C. 86. *bus, iniquissimo animo laturum, si a parva civitate contemni putet, quem maximae nationes potentissimique reges colant. Plane constare, multos eorum cives Romanae factionis esse: utrum autem invita, an vero volente civitate sint, non constare. At vero ea facta neque merito regis, neque ipsorum promissis respondere. Negari non posse, ipsius beneficio, quemadmodum et ceteram Asiam, gravissimo Romanae dominationis jugo liberatam Chion esse. Atque hoc ipsos agnovisse a principio, regemque suis decretis liberatorem atque Deum appellavisse. Atque illum vicissim tribuisse multa; debitorum partem remisisse magnam; ex bonis damnatorum addidisse plurimum.*

Arma et liberos principum obsides poscit.

XLI. *Pro his meritis audire, Chios Romanorum esse studiosiores. Id quamvis verum esse de universa civitate non putet, multos tamen eo crimine teneri, haudquaquam ambiguum esse. Veniam tamen daturum arma et liberos principum obsides traditurus. Id adeo regis multo minus, quam Chiorum, interesse: neque illi, quam civitati, tanto odio esse debere, qui res novas moliantur. Quippe illius res defectione Chiorum non multo deteriores fore: at, qui Chiis regem inconcilient, certum patriae suae excidium meditari. Nam et insulam tantae regis potentiae resistere non posse: et, quamquam in Boeotia victor Sulla exstiterit, non modo cum aliis exercitibus Mithridatis, quibus rex abundet, sed etiam cum civibus suis dimicaturum. Jam in Graeciam transcendisse L. Valerium consulem, Marianarum partium virum. neque dubitari posse, quin ibi locorum eadem sint exercituri odia, quae domi et in Italia ostendissent.*

XLII. Chii, postquam haec audiverunt, hinc necessitate, inde spe impulsi, fecerunt imperata. Idcirco Zenobius, Erythras misso, quod erat traditum, exspectare Chios literas regias jussit: eaeque paullo post adfuerunt, in hanc sententiam scriptae.

Mithridatis literae ad Chios.

XLIII. *Nunc quoque Romanorum fautores esse pergitis, quorum adhuc non pauci in vestra urbe degunt: praedia quoque eorum exercetis, neque vectigal nobis eorum nomine pendistis. Et, navem quidem meam impulsu triremis vestrae propemodum demersam, culpae gubernatoris adscribi facile paterer, nisi vestros animos clam missi ad Sullam optimates arguerent: quod si publico consilio non esset gestum, nunciare vos, et, delatis reorum nominibus, suspicione liberare civitatem opportuit. Vos igitur non imperio tantum meo, sed etiam saluti, insidiatos, quamquam de sententia amicorum supplicio adficere debueram, duobus talentorum millibus mulctare malo.*

XLIV. Trepidis ad haec, ea, ut ad regem legatos mittere liceat, orantibus quum negatum a Zenobio esset; arma tradita, obsides datos, muros a barbaris infestos reputantes, eo descenderunt, ut imperatam pecuniam penderent. Sed ubi, detractis fanorum ornamentis, mulierumque collato mundo, aegre hanc summam confecerunt, Zenobius, aliquid deesse ponderi cavillatus, adesse iterum in theatro universos jussit. inde, quum theatrum viasque ad mare ducentis armatis sepsisset, nominatim evocatos praecipuum quemque, deinde ceteros ipsorum servis vinctos tradidit, ut in Colchos deportarentur. seorsim deinde a viris, ne quid acerbitatis atque ludibrii deesset, infirmiorem sexum aetatemque barbaris custodibus avehendos commisit. Urbs Chiorum Ponticis colonis est tradita, agerque a Zenobio distributus.

U. c. 668. A. C. 86. *Chii duobus talentorum millibus mulctantur.* *Chiorum calamitas.*

XLV. Ceterum partem navium, quum praeterveheretur Heracliensem oram, exceperant Heracleotae, quibus amicitia cum Chiis intercedebat: Chiosque, in urbem suam receptos, donec confectus iis in patriam reditus fuit, hospitaliter secum habuerunt. Id primum in tanta clade solatium miseris fuit: proximum, quod Zenobium haud multo post poenam luisse scelerum compererunt.

Ab Heracleotis nonnihil sublevatur.

XLVI. Ephesum ille cum militibus appulerat, eadem omnia, quae Chii, exempla editurus. Illi, nisi positis armis, et parvo comitatu, recipere hominem recusarunt. qui ubi accepit conditionem, et, apud Philopoemenem, cui rex gener urbis praefecturam commiserat, divertens, per praeconem edixit, ut ad concionem populus conveniret, Ephesii, nihil non ingratum opperientes, rem in sequentem diem rejecerunt. Sed nocte, quae intercessit, capto inter se consilio, arma corripuerunt; trusoque in carcerem Zenobio et statim interfecto, centuriare multitudinem, et, ex agris in urbem comportatis, quae poterant, omnibus, adversus vim parare se instituerunt. Haec audita Trallianos, Hypaepenos, Mesopolitasque impulerunt, ut eadem omnia facerent. Smyrnaei quoque, Sardianique, et Colophonii cum aliis quibusdam exemplum Ephesiorum sequuti sunt.

Ephesii Zenobium interficiunt.

Cap. XLIV. Memnon. Nicol. Damasc. et Posidon. apud Athen. 6, 18. Memnon. Cap. XLV. Appian. Cap. XLVI. Oros. 6, 2.

U. c. 666. A. C. 86.

Mithridatis artes ad retinendos in fide populos.

XLVII. At Mithridates, misso contra defectores exercitu, quotquot redigere in potestatem potuit, crudeliter adflictis; ut ceteros benevolentia retineret, *Graecis per Asiam urbibus libertatem*, edixit, *se concedere: porro, ne quod genus hominum regiae munificentiae expers foret, debitores aeris alieni obligatione solvi; inquilinos cujusque urbis civium numero ac jure agere; manumissi servos jubere.* Haec eo pertinebant, ut, contra veterum civium dubios animos, haec esset semper ad arbitrium regis parata factio, non ob acceptum modo beneficium, sed quia, auctore sublato, ne illud quidem sibi mansurum esse intelligebant.

Conjurationes contra Mithridatem.

XLVIII. Plures deinde contra Mithridatem initae detectaeque conjurationes fuerunt. Familiares regis Minionem et Philotimum Smyrnaeos, Lisbium Clisthenem, Asclepiodotus, et ipse Lesbo oriundus, quum particeps ejus consilii fuisset, prodidit: adducto velut in secretum Minione, ut ipse rex post lectum abditus de conjuratione agentem audiret. His ita deprehensis, quamvis omnia crudelitatis ingenia admovisset, ipse tamen saepius animo discruciabatur, nihil jam ne inter domesticos quidem tutum fidumque inveniendo.

Et de iis quaestiones.

XLIX. Postquam autem etiam Pergami circiter octoginta viros idem propositum habuisse cognovit; in ceteris civitatibus non defore, qui similia molirentur, existimans, passim exerceri quaestionem proditionis jussit. At, quibus id negotium commissum fuerat, paucos ex merito, ceterum suos quisque inimicos sub ejus criminis invidia damnaverunt. Ad mille sexcentos suarum quemque urbium principes ea pestis absumpsit, quorum accusatores paullo post partim a Sulla comprehensi poenas luerunt: alii sua manu praevenerunt supplicii foeditatem: reliqui omnibus exosi, quum domi sperarent nihil tolerabile, Mithridatem in Pontum refugientem sequuti sunt.

Mithridates Archelaum tractare de pace jubet.

L. His tumultibus et gemina suorum clade territus Mithridates scripsit Archelao, *ut, quibus posset conditionibus, bellum desineret.* Ille, misso ad Sullam Deliaco negotiatore, cui et ipsi nomen Archelao erat, colloquium iis de rebus postulavit. Egit fortunae suae gratias Sulla, quae ancipitem animi magno iterum aest

Cap. XLVII. Appian. Liv. Epit. Appian. Cap. XLIX. Oros. Appian. Cap. L. Oros. Appian. Sallust. Incert. 21. Plut. Sull.

liberaret. Nam, urbana modo negotia, modo Mithridaticum bellum respiciens, neque par ambobus erat, et, utrum persequeretur, aut omitteret, paribus hinc inde momentis ambigebat. Navibus quoque et pecunia destituebatur: quae neque domo mittebantur, et ex fanorum spoliis aut aliunde paratas jam absumpserat. Quum igitur uterque paratos ad paciscendum adferret animos, haud aegre pepigerunt, *ut in mari circa Delium congrederentur.* U. c. 668. A. C. 86.

LI. Ibi prior Archelaus ita infit: *Quae rex meus, aliorum ducum injuriis avaritiaque compulsus, arma cepit, ea, virtutem tuam admiratus, cupit ponere, modo tolerabiles ei conditiones ferantur. Tibi certe, cujus praesentiam urbanae res tantopere desiderant, in promptu est, accepta a rege pecunia, et navibus, et copiis, quanta postulaveris, ad ulciscendos inimicos uti.* *Archelai oratio ad Sullam.*

LII. Tum Sulla: *Siquidem injusta se passum Mithridates credideritis, legatos missos et de injuriis questum oportuit: non vero aliena regna invadere, totque millibus occisis hominum, et quae illi habuerunt, et excepta insuper mortalium casibus, Deorumque sacris dedicata, diripere. Neque vero amicis mitius, quam hostium acerbissimis, usus, et aliorum interfecit plurimos, et, quos mensae suae adhibere consueverat, Tetrarchas, cum liberis et uxoribus, licet hostile nihil ausos, trucidavit. Sed, ut alienas mittam, qualem in nos animum fuisse dicam, qui nullam in belli usum, sed altissimo tantum odio, quidquid Italici generis hominum in Asia fuit, cum tota familia, ne libertinis quidem exceptis, omni cruciatu ignominiaque delevit? Atque is idem repente noster amicus exstitit, non alio scilicet beneficio motus, quam quod plusquam centum sexaginta suorum millia nostris concisa manibus intellexit.* *Sullae responsio.*

LIII. *Pro quibus in nos meritis, haud erat iniquum, inexpiabilia posthac adversus eum bella geri. Sed tamen tibi pro te deprecanti hoc dabimus, ut veniam ei a senatu populoque Romano impetremus, si bona fide resipiscat. Quod si, ut soles, atque ego magis opinor facturum, haec ideo tantum agit, ut, dilato interim periculo, consilium ex eventu capiat: jam ego te, Archelaë, hortor atque moneo, ut Fortunae invitanti ad excelsa omnia ne desis. Quemadmodum ille suos amicos remuneret, multorum jam malis discere potuisti: quae nostra fit in socios fides, quaeque liberalitas, ut alios taceam, Eumenes atque Masinissa satis et recentia, et nota omnibus do-* *Archelaum ad proditionem illicit.*

Cap. L. Appian. Plut. Cap. LI. Appian. Plut. Cap. LII. Appian.

U. c. 668. A. C. 86. *cumenta sunt.* Ad extremum eo prolapsus est, ut loco Mithridatis Archelaum regnare posse diceret, siquidem tradita sibi classe dedisset operam, ut benevolis Romanis uteretur.

Illo valde abnuente, LIV. Sed ille, adhuc loquentis abrupta oratione, *Proditorem*, inquit, *Sulla, Archelaum non habebis: amicum habebis, si aequis legibus pacem cum Mithridate feceris.* Ad haec Sulla paullo commotior: *Tu vero*, inquit, *Archelaë, quum sis Cappadox, barbarique regis aut servus, aut, si malis, amicus, (nec enim ego quidquam interesse puto) tantis propositis praemiis, a turpitudine proditionis abhorres: me, et Romanum, et Sullam, ad turpia foedera sollicitas! quasi vero non ille sis Archelaus, quem, de centum viginti millibus hominum, cum paucis fugientem Chaeronea vidit; quem Orchomenus, stratam corporibus Boeotiam relinquentem, in paludem suarum latebris biduo texit.* *Sulla iracitur Archelao.*

LV. Territo ad haec Archelao, et deprecante, ille, modico interposito silentio, *Siquidem*, inquit, *omnem, quam habes, classem, duces, legatos, captivos, transfugas, fugitivos Mithridates tradiderit; Chios, et si quorum aliorum par caussa est, civitatibus suis reddiderit; praesidia, nisi quibus locis ante bellum habuit, dedaxerit; sumptus belli, cujus ipse concitor fuit, praestiterit, et patrio regno contentus cetera, quibus oportebit, restituerit: spero me ei delictorum veniam a populo Romano impetraturum esse.*

Conditiones pacis. LVI. Ad extremum ita convenit: *Mithridatem Asia et Paphlagonia abstinere: Bithyniam Nicomedi, Cappadociam Ariobarzani reddere: Romanis duo millia talenta, cum septuaginta rostratis et omni armamento, dare. E diverso Sullam et reliquum ei regnum confirmare, et auctorem fieri, ut socius amicusque populi Romani appelletur.* His ita pactis, Archelaus, praesidia, quibus ipse praeesset, continuo deducturum, de ceteris scripturum regi, recepit; atque interim seque et classem Sullae tradere.

Flaccus et Fimbria in Asiam veniunt. LVII. Dum haec ultro citroque geruntur, L. Valerius Flaccus consul, ut Sullae succederet missus, Brundisio solvit: statimque a principio, quum vix portu exisset, infelicis expeditionis quasi praenuncia tempestas plerasque naves solvit; aliasque praemissas praefecti Mithridatis incenderunt. Reliquos quum invasisset fames, vix et aegre Byzantium, deinde, fortu

Cap. LIII. Plut. Cap. LIV. Appian. Plut. Cap. LV. Appian. Cap. LVI. Dio apud Fulv. Ursin. Plut. Appian. Liv. Epit. Cap. LVII. Memnon. Appian.

na jam prosperiore usi, in Bithyniam ad oppidum Nicaeam pervenerunt. Eodem cum iis, quos ipse ducebat, C. Fimbria legatus accessit. Erat hic extremae audaciae homo, consuli ignavo et rei militaris imperito adjutor datus. sed ea res utriusque vitiis cito in commune exitium vertit. Pravum ingenium consuli erat, avarum, et ad supplicia praeceps: quibus rebus benevolentia militum haud sane retinetur. Ergo praemissa pars eorum in Thessaliam, in Sullae castra transiit: ceteri, ne deficerent, aegre a C. Fimbria retenti sunt. Hunc enim ob simulationem virtutis et aequitatis exercitus diligebat: quod is contemptum pecuniae praeferebat; quum Flaccus inexplebili cupiditate, non contentus cetera in sinum suum condere, etiam annonam militum, praedaeque illis debitam partem, in lucrum converteret. U. c. 666. A. C. 86.

LVIII. Ab his initiis aversus a Fimbria consul, quum neque dictis neque factis contumeliosis in eum abstineret, irritabile hominis ingenium, et ad audaciam semper projectissimum, vecordiae contumaciaeque implevit. Ea contentio jam, ex quo Byzantii convenerant, se exseruit: Flaccumque in urbem ingressum criminatus Fimbria est, *milites, biemante coelo, extra moenia viles contemptosque tendere: Flaccum pecunias, per injuriam exercitus partas, luxu et deliciis intra tecta consumere.* Tantumque seditionis commotum est, ut milites in urbem vi irrumperent, et, obviis quibusdam obtruncatis, suo arbitrio per domos distribuerentur. Sed, his utcumque compositis, in alterum annum dilata est seditio; quae delatum auctoritate senatus imperium Flacco ademit, senatu inconsulto Fimbriae dedit. *Eorum discordia.*

LIX. Inter haec censores in urbe L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus, M. Perperna lustrum septimum atque sexagesimum condiderunt: opera publica locaverunt: senatum recensuerunt. quo tempore Ap. Claudius a censore Marcio est praeteritus, (quamquam ei propinqua cognatione junctus esset) quod in partibus optimatium ille fuerat. Idem censor aquae Marciae ductum, bello sociali disturbatum, refecit. Civium Romanorum censa tum capita sunt quadringenta sexagin- *Lustrum conditum.*

Cap. LVII. Memnon. Liv. Epit. Appian. Dio apud Vales. Liv. Epit. Dio. Cap. LVIII. Memnon. Dio. Cap. LIX. Fasti Capit. Cic. in Verr. 1, 55. Cic. pro Domo, c. 32. Pigh. Ann. Euseb. Chron.

U. c. 666. A. C. 86. ta tria millia: princeps senatus L. Valerius Flaccus, gentilis consulis Flacci, lectus est.

Urbanae turbae. LX. Sub hoc tempus quum omnia in urbe incerta, et neque legi quidquam, neque mori relictum esset; qui dominationem obtinebant, eo cogitationes omnes converterant, ut L. Sullae, quem suae publicaeque rei vindicem metuebant, resisterent. Igitur L. Cinna se sortium cum Cn. Papirio Carbone consules ipse fecit. Horum impotens tyrannis adeo multos principum virorum ad Sullam se recipere coëgit, ut amplius in castris ejus, quam in ipsa urbe, senatus instar esset.

U. c. 667. A. C. 85. L. Cornelio III. Cn. Papirio Coss.

Cinnae et Carbonis dominatio. Fimbria dimissus a Flacco seditionem concitat. LXI. Haec dum alibi fiunt, proconsulem Asiae Flaccum Fimbriana tandem audacia imperio vitaque exuit. Forte de hospitio quaestori consulis cum legato C. Fimbria lis inciderat. Flaccus multa cum legati contumelia secundum quaestorem dedit: deinde Fimbriae, discessum minitanti, *discessurum esse vel maritum*, respondit: mox contra convicianti, adempta legatione, successorem dedit. Ille, tempore observato, quo Chalcedonem proficiscendum fuerat, quasi salutaturus in discessu commilitones, Byzantium divertit. Multa ibi oblique in avaritiam et crudelitatem Flacci jactasse constat, militibus, ut sibi prospicerent, per speciem benevolentiae monitis. Deinde, postquam haec ad intimos animos dimissa, seque in ea apud omnes opinione esse sensit, ut pleramque opem salutis in ejus praesentia reponerent, conscenso suggestu aperte incusare Flaccum proditionis coepit: *neque aliud immani avaritia hominem agere, quam ut, accepto a Mithridate auro, milites caedendos vinciendosque praebeat.* Iis causis ita exarsit proclivis alioquin in seditionem concio ut Thermum, pro praetore a Flacco relictum, ademptis fascibus, ejiceret.

Sociorum spoliis milites citat. LXII. Fimbria, gratiis militi actis, tamquam vicem redditurus beneficii, res sociorum agi ferrique, redigi in servitutem obvios, alia contra disciplinam fieri passus, paucis diebus opulentos ex pauperibus effecit. Sed, quorum raptae res hominesque fuerant, obviam profecti Flacco, graviter de injuriis suis querendo

Cap. LIX. Liv. Epit. 83. Cap. LX. Appian. Civil. 1. 1 Auctor. de viris illustr. in Cinna. Cap. LXI. Liv. Epit. 83 Dio apud Vales. Plut. Sull. c. 44. Appian. Mithrid. Dio Auct. de vir. illustr. in Fimbr. Appian. Dio. Appian. Cap LXII. Diod. apud Vales.

proconsulem, jam ante Fimbriae infestum, ita accenderunt, ut sequi eos juberet, sua statim recepturos. Ubi ad castra ventum, multis cum minis imperavit Fimbriae, ut ablata dominis restitueret. ille, culpam in milites conferens, se invito, quod esset factum, accidisse praeferebat: nec eo minus clam instigabat audacissimum quemque, *rem acerbam indignamque* dictitans, *auferri militibus ab imperatore, quod suis laboribus et belli jure quaesivissent. neque se eis auctorem esse, ut quidquam earum rerum redderent.* U. c. 667. A. C. 85.

LXIII. Igitur, Flacco jam in omnes, et ut quisque loco praestabat, minacius invehente, magnus in castris tumultus excitatus est. donec metu profugus proconsul ex aedibus, ubi se occultaverat, noctu superatis moenibus, primo Chalcedonem, deinde Nicomediam se proriperet, clausisque oppidi portis, vim extremam arcere conaretur. Sed Fimbria nihil cunctatus, trajecto freto proconsulem insequens, obiter praedam agebat ex agris; pecuniam imperabat civitatibus: qua inter milites distributa benevolentiam sibi manipularium compararet. Quod si quod oppidum jussa detrectaret, diripiendum exercitui praebebat. Ita Nicomediam perventum est; quam et ipsam militi concessit in praedam: proconsulemque e puteo protractum privatus, et majorem amicum comes occidit. Imperium militari consensu in Fimbriam translatum, licet pessimi exempli res et esset, et videretur, senatus, temporibus servire coactus, ratum habuit. *Flaccus metu profugus.* *A Fimbria occiditur.*

LXIV. Talis ferme ea tempestate rerum ubique facies erat. Mithridates multa et faciebat acerba, et patiebatur: ingentes exercitus amiserat: insidiis, etiam amicorum, petebatur. Graeciam Romani simul regiique; Lydiam, Ioniam, et conjunctas his provincias Pontici regis ira vastabat. Macedoniam Thraces populabantur. Piratae invaserant maria. Romani, et cum aliis, et inter se discordes, suas ipsi victorias, sua arma horrebant. Multiplex omnino et perplexum malum Europam Asiamque communi calamitate involverat.

Cap. LXIII. Appian. Diodor. Vell. 2, 24. Appian. Liv. Epit. Oros. 6, 2. Liv. Epit. Memnon. Cap. LXIV. Liv. Epit. Flor. 3, 6.

EPITOME
LIBRI OCTOGESIMI TERTII.

C. Fimbria, in Asia fusis proelio aliquot praefectis Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque regem, non multum abfuit, quin caperet. Urbem Ilion, quae se potestati Sullae reservabat, expugnavit ac delevit, et magnam partem Asiae recepit.

C. Fimbria, in Asia fusis aliquot copiis Mithridatis] Vet. lib. *fusis proelio aliquot copiis.* SIG. *praefectis*, pro *copiis*, est in membranis. DELR. Membranae Barb. Voss. Gudianae *aliquot praefectis Mithridatis.* Ut Epit. 78. *Archelaus praefectus regis.* Et 81. *Archelaus praefectus Mithridatis.* Et 94. *Praefectos Mithridatis.* Adde, quae scripsimus ad lib. 28, 30. J. FR. GRON. *fusis proelio aliquot* etiam Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad Epit. 78. Dein *aliquot Mithridatis copiis* Boend. et ed. Camp. *aliquot praefectis Mithridatis* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. *Archelaum praefectum Mithridatis* memorat Frontin. 1. Strat. 5, 18. et cap. 11, 20. Insuper Fimbriae praenomen *C.* deest in Leid. Berg. et Lov. 2. *G. L. Fimbria* legit Voss. *Fulvius Fimbria* Boend. et ed. Camp. *Fl. Fimbria* Exc. Pithoei. *L. Fimbria* ed. Rom. anni 1472. Forte igitur legendum *Flavius Fimbria.* Certe *C. Flavius Fimbria* vocatur Vell. Pat. 2, 24. et Aurel. Vict. de Vir. Illustr. 70. Mox *non abfuit multum* Exc. Pithoei, Boend. et edd. ante Gruterum, qui *non multum abfuit* emendavit, consentientibus omnibus scriptis nostris, et ed. Camp.

Urbem Ilion, quae se potestati] *Illum urbem, quae* Leid. *Urbem illam, quae* Voss. *Urbem Illium, quae* Boend. *Urbem Ilium, quae* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. Et ea forma semper extulit Livius. V. 35, 43. et 37, 9. et cap. 37. At auctor Epitomarum saepe formam Graecam captavit. V. ad Epit. 52. Mox *magnam partem Asiae occupavit* Berg.

Multis proeliis Thracas cecidit] Parum interest: tamen Barb. Voss. Gud. minor *Sulla compluribus proeliis Thracas cecidit.* Major, *Sulla enim plu ribus.* J. FR. GRON. *Sulla cum pluribus proeliis* Boend. *Sulla compluribus proeliis* Leid. Berg. Lov. 2. Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad Epit. 80.

pit. Sulla multis proeliis Thracas cecidit. Quum L. Cinna et Cn. Papirius Carbo, ab se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Sullam pararent, effectum est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, et per eos, qui concordiae studebant, ut legati ad Sullam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere, et adversus Sullam proficisci, interfectus est. Consulatum Carbo solus gessit. Sulla, quum in Asiam trajecisset, pacem cum Mithridate fecit; ita ut is cederet provinciis Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria, desertus ab

Bellum contra Sullam pararent, effectum quidem est] Gud. *praeparent*. Minor *praeparare-rent*. Voss. *repararent*. Praeterea dele *τὸ quidem*, quod passim abolevit Sigonius, hic tamen reliquit: sed nulla membrana agnoscit. Uti nec lib. 86. *Ex cujus quidem numero*. J. FR. GRON. *praepararent* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Tum vocem *quidem* expungunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. V. ad Epit. 55.

Naves conscendere, et adversus Sullam proficisci, interemtus est] *in naves conscendere* Berg. V. ad 29, 25, 5. *naves ascendere* Lov. 2. Tum *conscendere, adversum*, omissa particula copulante, Boend. Alibi codd. plerumque praeferunt *adversus*. V. ad Epit. 47. Deinde *interfectus est* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad Epit. 73.

Ita ut his cederet provinciis] Vet. lib. *ita ut is cederet*. *Is* autem Mithridates intelligitur. SIG. Ex Sigonii Scholio nihil aliud colligo, quam vet. lib. ejus praeferre *is*, pro *his*. At insuper inde effecisse videtur Gronovius, eum etiam in vet. lib. vocem *provinciis* non invenisse, quoniam ejus in Scholio non meminit: unde et illam expunxit. Id tamen verisimile non videtur, quia Sigonius, ad vet. lib. praescriptum contextum refingens, tantum *is*, pro *his*, emendavit, vocem autem *provinciis* servavit: in qua retinenda etiam omnes codd. conspirant. Certe *ita ut is cederet provinciis* praeferunt Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. *ita ut idem cederet provinciis* Voss. Boend. et ed. Camp. Insuper tamen Crevierius, caussatus Bithyniam et Cappadociam non fuisse eo tempore provincias Romanas sed regna, legendum censet *ita ut is cederet provincia Asia, Bithynia, Cappadocia*; quomodo verba haec laudarat Sigon. Comment. ad Fast. ad A. V. ıɔcLxıx. Vulgatum tamen ferri potest, si dicamus, intelligi provincias non Romanorum, sed ipsius Mithridatis. Certe vocem *provinciis* fide codicum restitui.

exercitu, qui ad Sullam transierat, ipse se percussit: impetravitque de servo suo, praebens cervicem, ut se occideret.

Impetravitque a servo, praebens cervicem, ut eum omnino interficeret] Vet. lib. *impetravitque de servo suo, praebens cervicem, ut se interficeret.* SIG. Servi hujus neque Appian. in Mithridaticis, neque Plutarchus in Sulla, neque Vellejus lib. 2. neque Orosius lib. 5. neque, quod sciam, alii ulli meminerunt. DELR. *a servo* Leid. Voss. Boend. et Norv. *de servo* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Tum *suo* deest in Voss. et Boend. Hinc *ut se*, pro *ut eum*, habent Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. qui omnes etiam ignorant dictionem *omnino*. V. ad Epit. 58. Tandem *occideret* omnes modo memorati libri, exceptis solis Exc. Pithoei, quae servant *interficeret*. V. ad Epit. 57. Locus similis obcurrit infra Epit. 88. *Quem quum occidisset, ipse saucius impetravit a servo, ut se occideret.* Ex quo pleraeque codicum lectiones propositae confirmantur, quemadmodum vicissim locus, quem prae manibus habemus, verae lectioni illius lucem accendit. Paullo ante *distractus ab exercitu* Boend. et ed. Camp. *desertus ab exercitu suo* Berg.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLVIII.

IN LOCUM LIBRI LXXXIII. T. LIVII.

I. C. Flavius Fimbria, imperium copiarum, quo diximus modo, nactus, non sicut ambitiose erga milites, injuste adversus socios, sic etiam timide atque negligenter contra hostem administravit. Filium suum Mithridates patri cognominem cum ingenti exercitu Bithyniam tueri jusserat, Taxile, et Diophanto, et Menandro, claris bello ducibus, adjunctis. Ab his primum reprèssus, nec sine detrimento, Fimbria, mox aliquot proeliis superior, res regis prope desperationem ultimam adduxit, non animo tantum adversus fortuita casuum, sed etiam consilio bonus. U. c. 667. A. C. 85. *Fimbriae res gestae.*

II. Quod enim numero militum longe erat inferior, astu rem inclinatam restituit: ductisque ad latera castrorum brachiis, fossa in fronte facta, quietum in vallo militem tenuit. donec regium equitatum, temere in angustias munimentorum ingressum, improvisa eruptione sic excepit, ut sex hostium millia desiderarentur. Iterum ad Miletopolim, juxta quam Rhyndacus fluvius oritur, tali loco castra metatus, ut inter ipsum et regios flumen interesset; quum forte circa solis ortum ingens pluvia securiores hostes fecisset, raptim transducto exercitu, sopitos plerosque et inermes adortus, ingentem stragem edidit, plena et illustri victoria potitus. Mithridates cum praecipuis ducum, et mediocri equitum manu, citra non ausus consistere, contenta fuga Pergamum ad patrem pervenit. *Strategema, et victoriae.*

Cap. I. Appian. Mithrid. Memnon. Liv. Epit. Cap. II. Memnon. Frontin. Strat. 3, 17. Oros. 6, 2. Plin. 5, 32. Memnon.

U. c. 667. A. C. 85. *Crudelitas et avaritia.*

III. Post hoc proelium passim deficientibus a rege populis, occasionem adeptus est Fimbria, ut crudelitatem suam avaritiamque satiaret. Tantus enim humani sanguinis appetitus inerat, ut passim multos non ex merito, neque in aliquam populi Romani utilitatem, sed animi caussa occideret. Semel complures erigi palos jusserat, ubi alligati verberarentur, quos damnaverat. Sed quum adducti illi essent, minorque aliquanto numerus, quam crucium esset, apparuisset; ne frustra fixae viderentur, e media turba corripi ad numerum, et ad vacuos palos religari praecepit. Cyzicum quum pro amico intrasset, opulentissimos oppidanorum, proditionis crimine insimulatos, in maximum terrorem conjecit. Deinde ad hunc augendum, ex omni numero duos damnavit, virgisque caesos securi percussit. Hoc metu facile adegit ceteros, ut vel universorum bonorum jactura salutem ab avarissimo saevissimoque latrone redimerent.

Mithridatem ipsum vincit, capturus,

IV. Ad hanc formam constitutis ubique provinciarum rebus, adversus ipsum regem Pergami sedentem ducere statuit: occurrentemque fudit fugavitque, et in oppidum se recipere coëgit. Deinde, ne Pergami quidem resistere ausum, capto oppido, Pitanen, quo ille profugerat, insequutus, circumvallare obsessos orsus, parum ab ipso rege capiendo abfuit: nisi, quod fortuna videbatur obtulisse adjumentum, L. Luculli aversus animus invidisset.

Si a Lucullo adjutus foret.

V. Is, jam dimissa Rhodiorum classe, tantum paraverat propriarum virium, ut Chio regios ejiceret; Colophonios, comprehenso tyranno eorum Epigono, adsereret in libertatem. Haec gerentem legati a Fimbria adeunt, omni obtestatione instantes, *ne a se obsessum regem clarissimum, eumdemque infestissimumque Romano nomini, elabi pateretur. Esse ipsi classem ad prohibendum mari exitum: a terra jam ita provisum, ut non possit evadere.* Facilis erat labor obsidere portum: periculum nullum, gloria amplissima offerebatur. tamen Lucullus, sive amicitiam Sullae omnibus anteponendo, sive interfectorem amici et imperatoris sui detestatus, postulata Fimbriae neglexit. Mithridates, conscensis navibus, Mitylenen avectus est.

Cap. III. Dio apud Vales. Diod. apud Vales. Cap. IV. Plut Sull. c. 47. Appian. Vell. 2, 24. Auctor de viris ill. in Fimbria. Liv. Epit. Oros. Cap. V. Plut. Lucull. c. 6. Oros. Plut. Appian.

VI. Fimbria, jam confessione hostis victor, obibat Asiam, acerbe in vitas, in fortunas hominum consulens, quos Mithridati studuisse cognoverat, aut videri volebat. Si quae recipere eum civitates nollent, earum agros inultus populabatur. Sic ventum ad Ilium est: quod quum obsessum a Fimbria confugisset ad Sullae fidem, venturumque se Sulla promisisset, idque significandum Fimbriae curasset; tanto infestior ille, machinis admotis, undecima die oppidum expugnavit. Sunt, qui dolo illectos Ilienses aperuisse portas referant, laudanti consilium eorum, nihilque referre dicenti, postquam in Romani populi fide essent, utri se imperatori traderent: etiam cognationis necessitudine commemorata, indignum dicebat, se, Romanum hominem ducemque, antiquae patriae moenibus arceri. U. c. 667. A. C. 85. *Fimbria Ilium capit.*

VII. Quoquo modo ingressus fuerit, saevissimum truculentissimumque hostem in ea urbe gessisse constat. Nam et omnes, qui occurrerant, promiscua caede stravit: et oppidum incendio delevit funditus: eos autem, qui legati ad Sullam fuerant, exquisitis cruciatibus consumpsit: adeo ne sacris quidem parcens, ut multos, qui confugerant in Minervae, cum ipso templo concremaret. Muris quoque dirutis, postridie visum iviſſe dicitur, ne qua forte pars urbis integra intactave remansisset. Quo minus fidei habendum putem miracula narrantibus, inviolatum Minervae templum stetisse, neque dubitatum, quin divina majestate defensum esset. Sane sedem ejus, (Palladium vocari usus obtinuit) amotis, quibus obrutum fuerit, ruderibus, integram inviolatamque stetisse, fuerunt, qui dicerent: multum irridentibus, qui arcanum idem ab Ulysse et Diomede ablatum credi; et praeterea Romae, et Lavinii, et Luceriae, et Siritide, et Argis ostendi noverant. Hoc infortunium Ilienses subierunt, quum inter duos imperatores ad potiorem magis, quam ad propiorem, respexissent. *Et vastat.* *Palladium multis locis ostensum.*

VIII. Sulla enim bellum eo tempore cum Thracibus gerebat, continuo Macedoniam incursantibus: quo simul immanium gentium coërceret injurias; simul, *Sulla Thraces vincit.*

Cap. VI. Liv. Epit. Appian. Strabo, l. 13. p. 594. Dio. Appian. Cap. VII. Dio. Liv. Epit. Oros. Appian. Auctor de viris illustr. Appian. Obseq. Appian. Strabo, l. 6. p. 264. Pausan. l. 2. Cap. VIII. Liv. Epit.

U. c. 667. A. C. 85. dum a Mithridate nuncios exſpectat, et exerceret militem, et ditaret. Igitur quum multis proeliis Henetos, Dardanos, Sintos, Scordiscos, finitimosque populos concidiſſet; agros populatus, praedaque militibus conceſſa, in Macedoniam eſt regreſſus.

IX. Sub haec tempora Cinnae Carbonisque conſulum saeva dominatio plures subinde claros viros ad Sullam confugere compulit, reipublicae periculum, et miserandum urbis ſtatum nunciantes: simul haud levi spe injecta, fore, ut consiliis adverſariorum senatus resiſteret, siquidem auctoritate Sullae juvaretur. Quippe L. Cinna, sine ullis comitiis tertium conſul, Cn. Papirium Carbonem, ducem ejusdem factionis, collegam adsciverat.

Literas ad senatum mittit. X. Igitur dedit ad senatum literas, quibus, enumerato, quantum in Numidia quaeſtor pro republica, quantum legatus bello Cimbrico, et deinde praetor in Cilicia, belloque sociali consul, laboris exhauſiſſet; res adverſus Mithridatem geſtas, domitarumque gentium numerum et ferociam extollebat: poſtremo multis et accuratis verbis imputabat, *ſe tot clariſſimis viris, inimicorum factione domo pulſis, perfugium ſolatiumque exſtiteſſe. At ſibi non aliam pro ejusmodi meritis gratiam, quam proſcriptionem capitis, everſionem domus, caedes amicorum, fugam uxoris liberorumque, referri; qui vix et aegre incolumes ad ſe pervenire potuiſſent. Venturum igitur ſeſe propediem ultorem maleficiorum, et qui ea perpetraſſent. ceterorum vero civium, veteres novive forent, incuſaturum neminem.*

L. Valer. Flaccus legatos ad Sullam mittendi auctor. XI. Ad has literas quum nova sollicitudo perturbaret omnium animos, L. Valerius Flaccus senatus princeps luculentam de praeſentibus orationem in curia habuit: et, adſentientibus, quibus concordiae ſtudium erat, auctor mittendi ad Sullam legatos fuit. His mandatum, *ut conciliare eum inimicis ſtuderent, peterentque, ut, ſi quid caveri ſibi fide publica vellet, quamprimum ea de re literas ad ſenatum mitteret.*

Consules se parant contra Sullam. XII. Cum consulibus idem senatus egit, *ut interea, dum de voluntate Sullae reſcitum eſſet, a delectibus abstinerent: neve ſpem pacis cum civibus corrumperent.* Nam illi, dimiſſis per universam Italiam perquisitoribus, pecu-

Cap. VIII. Appian. Auctor de viris illuſtr. in Sulla. Eutrop. Plut. Sulla. Cap. IX. Tac. Ann. 1, 1. Vell. 2, 23. Appian. Civ. l. 1. Liv. Epit. Auctor de viris illuſtr. in Cinna. Cap. X. Appian. Cap. XI. Liv. Epit. Appian.

niam et copias et annonam undique contrahebant, opulentissimum quemque sollicitantes, eorum maxime populorum, qui nuper adepti jus civitatis Romanae fuerant: quod illorum caussa omnia et facere, et pati dicerent. Classem etiam instruebant, accitis insuper e Sicilia navibus, oramque omnem maritimam custodiebant: metu et cupiditate, duobus validissimis stimulis, nihil ad exactissimam diligentiam reliqui facere cogentibus. U. c. 667. A. C. 85.

XIII. Igitur, quantumvis in arbitrio senatus se fore Cinna promiserat, id modo exspectans temporis, dum legati proficiscerentur, ad ingenium rediit: et, quia non unius anni laborem se suscipere intelligebat, seque et Carbonem consules in biennium creavit, ne comitiorum caussa reverti in urbem necessum haberent. Quidquid deinde cogere militum undelibet poterant, in Liburnos praemittebant: quod inde maxime advenienti Sullae constituerant occurrere. Et primum quidem praemissorum agmen prospero cursu trajectum est: sequens tempestate ad litora rejectum: militesque, exscensione facta, bellum civile detestati, suas quisque domos repetiverunt. Hujus rei fama quum late sparsa esset, jam nemo erat, qui conscendere navem vellet.

U. c. 668. A. C. 84. L. Cornelio IV. Cn. Papirio II. Coss.

XIV. Idcirco Cinna, jam quartum consul, Anconam, ubi magnae congregatae copiae erant, accurrit, ut minaci oratione territos, vel invitos in naves imponeret. Nesciebat ille, sua suique similium opera tantam esse factam morum depravationem, ut occidi a militibus imperatorem, quia novum non erat, ne magnum quidem crimen haberetur. Erant praeter alias caussas exacerbati militum animi, quod Pompejus adolescens, quum in castra Cinnae fuisset profectus, calumniam, et ex calumnia periculum fugiens, ignoratus se subduxerat: militesque clam sublatum suspicabantur.

Seditio militum.

Pompejus clam ex castris fugit.

XV. Sic exacerbatae multitudini quum se Cinna objecisset, forte accidit, ut lictor, dum, in concionem eunte consule, turbam submovet, militem contemptim resistentem pulsaret, vicissimque ab alio milite percuteretur. Ibi quum accensus ira consul percussorem corripi juberet, hoc initium tumultus fuit: sublato-

Cap. XIV. Auctor de viris illustr. Appian. Liv. Epit. Appian. Plut. Pomp. Cap. XV. Appian.

U. c. 668. A. C. 84.

Cinna occiditur.

que clamore omnium, lapides conjici coeperunt. Tum vero fugientem Cinnam quidam centurio adsequutus, ad genua sibi accidentem, annulumque magni pretii offerentem, stricto gladio confodit: *non ad signandam sponsionem, sed foedissimi tyranni puniendi caussa, se adesse* praefatus.

Carbo dominationem retinet.

XVI. Occiso Cinna, Cn. Carbo, praesentibus haud sane laetus, revocatis e Dalmatia militibus, dominationem retinere nihilo modestior Cinna conabatur: neque tribunis plebis, ad comitia habenda redire jubentibus, obtemperabat, donec se magistratum ei abrogaturos sunt minati. Sed comitia, licet repetita, sine successu fuerunt: semel, avibus non addicentibus, in aliam diem; iterum, quia Lunae Cererisque tacta de coelo fana erant, ex haruspicum responso, post solstitium dilata. Ne tum quidem suffectus quisquam est, totoque anno consulatum Carbo solus gessit.

Sulla Archelaum comiter tractat.

XVII. Interea Sulla, ordinandis Graeciae rebus per Thessaliam incedens, propter Archelaï morbum Larissae per aliquot dies substitit: ejusque non secus egit curam, ac si legatus aut collega foret. unde rumores orti, non optima fide pugnatum in Boeotia esse; praemiumque proditionis hoc Archelao dari: quemadmodum non alia de caussa necatus unus omnium Mithridatis amicorum Aristio foret, (ceteros enim accepta classe Sulla dimiserat) Archelao discors. Etiam appellatus ab Sulla socius et amicus populi Romani Cappadox, acceptis insuper decem millibus jugerum agri Euboïci, in eamdem suspicionem trahebatur. quae Sulla ipse in commentariis suis relata diluit.

Mithridatis legatis aspere respondet.

XVIII. Per Thessaliam deinde et Macedoniam ad Hellespontum ducenti occurrerunt legati Mithridatis, *ceteras conditiones probare regem* nunciantes, *sed Paphlagoniam excipere: de navibus etiam promissum nihil arbitrari.* addiderunt deinde, *aequiores se conditiones impetrare ab altero imperatore C. Fimbria potuisse.* Hoc praecipue dicto exacerbatus Sulla, *et Fimbriam poenas daturum*, respondit: *et, simul in Asiam trajecisset, apparituram, bello, an pace Mithridates opus habeat. Cui ego*, inquit, *si dextram reliquissem, qua tot civium Romanorum interfecit millia, procubituram ad genua mea arbitrabar: nedum ut de Paphlago-*

Cap. XV. Plut. Cap. XVI. Appian. Vell. 2, 24. Liv. Epit. Cap. XVII. Plut. Sull. c. 46. Dio apud Fulv. Ursin. Appian. Plut. Cap. XVIII. Appian. Plut.

nia, de navibus neget. Legatis ad haec obmutescentibus, deprecari Sullam Archelaus coepit, dextramque amplexus petere, *ut se ad regem proficisci sineret. quibus dedisset legibus, relaturum pacem; aut, si hoc impetrare nequisset, sua semetipsum manu interempturum.* U. c. 668. A. C. 84. *Ab Archelao placatur.*

XIX. Ita dimisso Archelao, expeditionem in Maedicam (Thraciae regio est) Sulla fecit: eaque late vastata, in Macedoniam est regressus. Apud Philippos agentem Archelaus convenit: *omnia ex animi sententia esse* dictitans. *ceterum colloquium ejus enixe expetere Mithridatem.* Nam ille, Fimbriam bello ferocem, pactis infidum metuens, Sullae amicitiam optabat.

XX. Igitur Sulla, per Thraciam ad Cypsela terrestri itinere pergens, L. Lucullum cum navibus praestolari ad Abydum jussit. Quippe Lucullus, circa Lecton Troadis regiis classibus subito occursu profligatis, deinde Neoptolemo ad Tenedum fugato, feliciter ad Sullam penetraverat. Postquam in Chersonnesum exercitus pervenit, Lucullo tutum transitum et naves praestante, ad Dardanum Troadis Romanus processit. Eodem et Mithridates cum navibus ducentis advenit, et gravis armaturae viginti millibus, sex millibus equitum, magnoque curruum falcatorum numero. Sulla legiones quatuor, equites ducentos adduxerat. *Ad colloquium Mithridatis pergit.*

XXI. Paucis utrimque comitibus, in conspectu tamen exercituum, in campum colloquio destinatum prodierunt. Prior Mithridates, quum venienti Sullae occurrens dextram porrigeret, interrogatus ab illo est, *positurusne arma esset, quibus conditionibus Archelaus pepigisset?* deinde, silente rege, *Atqui deprecantium est*, inquit, *priore loco dicere: victoribus vel tacere satis est.* Ibi Mithridates, repetita patris suaque cum Romanis amicitia, quam Deorum quaedam invidia sibi propriam perpetuamque esse noluisset; ad accusationem legatorum ducumque vertit, *qui multa cum injuria sua Cappadociam Ariobarzani reddidissent; sibi ademissent Phrygiam; Nicomedis iniquis conatibus favissent.* *Occursus Sullae et regis.*

XXII. *Quae omnia*, inquit, *sola pecuniae cupiditate sunt ab ipsis facta, quam semper aut a me, aut ab inimicis meis accipiebant. quae equidem res, si qua alia, jure meritoque in vobis arguitur, Romani, quod tales plerumque imperatores* *Mithridates Romanos accusat; se purgat.*

Cap. XX. Appian. Plut. Lucullo, et Sulla. Cap. XXI. Appian. Plut. Appian. Plut. Appian.

U. c. 668. A. C. 84. *emittitis, qui nihil melius aut antiquius esse lucro putent. Ab his coactus arma indui: quae si qua parte vobis infestiora, quam voluissetis, fuerunt, id omne non animo meo, qui, dum licuit, Romani nominis amans reverensque fuit, sed necessitati imputari aequum est.*

Sulla respondet. XXIII. Ad haec Sulla: *Quod ab aliis accepi, te esse disertissimum, id nunc coram experior, quum in factis atrocissimis speciosa tibi non deest oratio. Sed, quamquam non in hoc conveniimus, ut disceptaremus controversias, verum ut leges petitae pacis impleres, non gravabor paucis respondere. De Cappadocia non erat, ut absentibus inclementer diceres: nam Ariobarzanem, si nescis, et ego reduxi. Tum igitur caussari quaelibet oportuit, si jussui senatus populique Romani obtemperare nolles; non tanto post tempore, quum decretis adquiesses, convellere, quae semel adprobaras.*

Phrygiam pertinere ad Mithridatem negat. XXIV. *Phrygiam M'. Aquillius donis emptus patri tuo concesserat: quod commune vobis delictum frustra in illum transferre nisus es. Sed et ista, et quae praeterea pecunia corruptus multa Manius egerat, senatus irrita esse jussit omnia. Neque tamen, injusto possessore depulso, nobis recepimus Phrygiam, ne, quod in aliis damnamus, ipsi facere videremur; sed immunem liberamque pronunciavimus. Quae igitur nos, licet justo pioque bello quaesita, relinquimus, ea tibi quo tandem jure vindicabis? De Nicomedis injuria quereris. Sed ille percussorem sibi Alexandrum, deinde aemulum regni Chrestum immissos esse, atque his caussis adscribendum, quod in fines tuos irruperit, testatur. Quamquam etiam missis Romam legatis exspectare senatus responsum poteras, siquidem a Nicomede laesum te esse putavisses. Sed de Nicomede esto. vim inferentem vi repuleris. Quae fuit Ariobarzanis injuria, quem haud minus, atque Nicomedem, sui regni finibus exegisti?*

Caussam belli in ipsum transferi. XXV. *Atque hoc quum faceres, non te latebat fore, ut, qui in Asia tum legati ducesque Romani erant, pulsum reducerent. Sed hoc agebas, ut bellum oriretur, quod spe obtinendi terrarum orbis imperium, siquidem Romanos superasses jam olim eras meditatus. Nisi forte tam parum videre ceteros arbitraris, ut, quum, nullo adhuc coepto bello, Scytlas Thraces, Sarmatas societate jungeres, circum regna finitima legatos misteres, naves aedificares, proretas gubernatoresque ex longe dissitis gentibus arcesseres, nemo intellexerit, quorsum ista pertinerent? Quasi vero consilium tuum ipse temporum*

Cap. XXIII. Plut. Appian.

[illegible] non prodiderit, quod, nobis defectione sociorum occu-[illegible], ab ultimo Ponti sinu, tamquam captatis ad hoc latebris, [illegible] insidiator erupisti. Neque Cappadoces tantum et Bi-[illegible], sed Galatiam, sed Paphlagoniam, Asiam denique, non [illegible] nostrae ditionis esse, invasisti.

U. c. 668. A. C. 84. *Illum insidiatum temporibus.*

XXVI. *Quibus in terris quid tandem a te sceleris aut cru-[illegible] praetermissum est? Taceo civitates mancipiis aut ob-[illegible] traditas, ut, quibus obnoxii esse debebant, his impe-[illegible]. de Graecis Asiaticis nihil dico, quorum principes mille [illegible] uno proditionis obtentu trucidasti. Gallograecorum [illegible] sit memoria: quamquam corpora sepultura prohibuisti, [illegible] socios tuos et hospites, communi mensae adhibitos, mi-[illegible]liter occidisses. Cujus animi fuit, quod Italos omnes [illegible] liberis et uxoribus una die ferro aut aqua sustulisti? quo [illegible]dem tempore ne sacra quidem et veneranda loca praesidio [illegible]nibus esse potuerunt: tantum te populi Romani tenebat [illegible], ut, dum nobis noceres, nec humani nec divini juris [illegible] meminisses.*

Multa scelerate et crudeliter fecisse.

XXVII. *Et horum quidem etiam bonis raptis, contra edi-[illegible] nostrum, quod Asiaticos reges Europa prohibet, trajecisti: [illegible]acedoniam incursasti: Graecis abstulisti libertatem. neque [illegible] ad mentem reversus es, quam, Macedonia Graeciaque [illegible]ptis, centum sexaginta tuorum millia occidi, castra omni [illegible]paratu belli instructissima semel iterumque cepi.*

XXVIII. *Quae omnia quum animo meo obversantur, ra-[illegible] consilii tui non expedio, quod eorum nunc purgationem [illegible]nisti, quorum antea per Archelaum veniam petiveras. An [illegible]ur, quem procul agentem timebas, eum huc venisse reris, [illegible]cum judicio contenderet? Sed ejus rei quidem tempus olim [illegible]ceriit, ex quo tibi bellum inferenti restitimus, et, donec [illegible] erit, resistemus. Idcirco, his omissis, quod unum scire [illegible]rest, responde. pacem cum Archelao factam accipis, an re-[illegible]?* Mithridates, iracunda Sullae oratione territus, *[illegible]ere se* respondit. Tum demum salutavit eum Sulla, [illegible]plexusque et osculatus est.

Mithridates pacem accipit.

XXIX. Ariobarzanem deinde et Nicomedem accitos [illegible]thridati conciliavit, reditumque iis in sua regna [illegible]fecit. *Asiam Romanorum esse, ita ne cui civitati deci-[illegible] ad regem fraudi esset*, convenerat. Id non integre [illegible]atum, multasque postea urbes tributarias esse fa-

Ariobarzanes et Nicomedes in regna sua redeunt.

[illegible]ap. XXVI. Plut. de Virtut. Mul. c. 44. Appian. Cap. [illegible]VIII. Plut. Sull. Appian. Plut. Cap. XXIX. Liv. Epit. [illegible]. 3, 5.

U. c. 668. A. C. 84.

ctas, Memnon ex Heraclea Pontica scriptor tradid in partes regias ob communem patriam proclivi Idem tria talentorum millia Sullam a Mithridate cepisse memorat, ut domum reverteretur. Naves gem septuaginta cum quingentis sagittariis, itemq captivos tradidisse, (in quibus et Q. Oppius, et Cassius, nescio quo casu redactus in potestatem hos fuerunt) et, si quae alia ex foedere debebantur, cisse, satis constat: deinde in paternum regnum, jus ipsi confirmatum eadem pace jus erat, redisse.

XXX. At Romanus exercitus indignabatur, *quod missus e manibus rex omnium saevissimus, nominique Rom infestissimus, coactam ex opulentissimis Asiae regionibus quadriennio praedam, in patrium regnum sospes incolumis reportaret.* donec, advocata concione, reddidit cons rationem Sulla, docuitque, *si Mithridatem, pace de gata, ad Fimbriae petendam amicitiam compulisset, veri fuisse, ut ambobus satis posset resistere. nunc, amoto hoste terno, poenae de seditioso cive iuso sumendae otium esse.*

Sulla contra Fimbriam movet.

XXXI. Movit deinde versus Thyatira, ubi, cas positis, Fimbria confederat: et, quum ad passus centos quinquaginta castra castris contulisset, ju *eum imperio cedere, quod contra leges obtineret.* Ille, cissim irridens, *Sullam potius cedere* jussit, *qui hostis sset patriae judicatus.* Sed ubi Sulla circumvallare ca Fimbriana coepit, crebri ad eum milites transieru Sullanosque in opere faciundo adjuverunt. Igitur F bria, in concione militum sortem suam prolixe mi ratus, orat, *ne deserant, neve, quem ipsi imperatorem cissent, optime de se meritum hominem, rebus praeclare ge milite ditato, injuria adfici paterentur.*

Fimbriani multi ad eum transeunt.

XXXII. Nullum infirmius ad fidem vinculum quam quod societate scelerum adstringitur; nec al citius, aut poenitentia tolerabilium, aut levitate p ditorum, mutabile. Et non deerant, qui, spe pr miorum a Sulla corrupti, ceteros etiam ab obseq Fimbriae avellerent. Igitur passim tota concione mores audiuntur, contra cives arma sumere neg tium. Tum ille, de tribunali desiliens, scissa tu singulorum pedibus advolvitur. Id quoque frustra

Cap. XXIX. Memnon. Plut. Vell. 2, 23. Appian. XXX. Plut. Cap. XXXI. Appian. Plut. Appian. Cap. XX Aust. de vir. illustr. in Fimbr. Appian. Plut.

um: tantoque plures palam transfugerunt. Ergo imbria, tribunorum praefectorumque circumitis tentiis, multaque pecunia distributa, quum iterum voari concionem jussisset, jusjurandum a militibus exire coepit. Occlamatum a quibusdam est, *nominatim ulos ad jurandum citari oportere.* Tum ille Nonium ciri primum omnium jussit, in quem plurima benefia contulerat, omnium consiliorum facinorumque parcipem. Sed iste quoque jurare abnuebat: et, quum imbria, stricto gladio, necem intentaret homini, freitu concionis est deterritus.

U. c. 668. A. C. 84. *Fimbria suos supplici ter orat.*

XXXIII. Igitur in tantis rerum angustiis, quum indlumi Sulla se incolumem esse animadverteret non sse, servorum aliquem nummis datis promissaque ertate induxit, ut ad Sullam interficiendum specie rfugae proficisceretur. Sed insidiae, quum minium a patratione abfuissent, trepidatione primum inliatoris, deinde correpti ob hanc tormentis, pateitae sunt. Tum vero accensus ira Sullanus exercii circumstetit Fimbriae vallum, *Athenionem* appellan, quo nomine nuper in Sicilia fugitivus quidam paurum dierum regnum obtinuerat.

Sullae percussorem subornat.

XXXIV. Idcirco Fimbria, spe abjecta resistendi, ngressus in vallum, colloquium Sullae coepit exscere. Sed Rutilius adfuit, saevum Fimbriae omen, i nihil jam ex eo laeti augurabatur, quod ne in colquium quidem Sullae admitteretur, rem nec hostis denegari solitam. Orsus tamen excusationem et ces, *si quid peccavisset, id adolescentiae suae condonari,* tiit. Responsum est, *Asiae proconsulem Sullam esse: si let aliena provincia decedere, tutam ei profectionem ad maeneficio Sullae fore.* Ille, *viam sibi meliorem patere* infatus, abrupto colloquio Pergamum ivit, ingressus templum Aesculapii gladio se transfixit. deinde, ia vulnus letale non erat, a servo petiit, ut se oceret. servus et dominum, et super domini corpus netipsum interemit.

Cum Rutilio colloquitur.

Manus sibi infert.

XXXV. Sulla, cognito Fimbriae exitu, potentibus rtis cadaver ad sepulturam reddidit; *nolle se Cin* *atque Marium aemulari* dictitans, *qui plerosque Romae fectos humari vetuissent.* Comiter deinde receptis

Cap. XXXII. Liv. Epit. Appian. Cap. XXXIV. Vell. 2, Appian. Auctor de viris illustr. Appian. Plut. Oros. Vell. . Epit. Cap. XXXV. Appian.

U. c. 668. A. C. 84.

Fimbrianis copiis, quae consensu ad eum transib suoque exercitui junctis. Curionem misit, qui Ni medem atque Ariobarzanem reges in regna reduce Deinde senatui de rebus omnibus scripsit, hostem judicatum esse dissimulans.

Sulla Ilium instaurat.

XXXVI. His ita ex animi sui sententia composi veluti per otium ordinavit Asiam: et Iliensium urb instauratam multis beneficiis consolatus, libertati suis legibus reddidit; populique Romani socios amicos appellavit. Pari liberalitate Chios, Rhodi Lycios, Magnetas, et si qui alii contra regem aux tulerant, aut ob studium Romanarum partium ace fuerant ab eo tractati, recreavit.

Militarem disciplinam corrumpit.

XXXVII. Reliquas urbes omnes, distributo ubi exercitu, oneravit praesidiis, non ad veterem di plinam, sed omnis generis licentia militi permi praeterea edixit, *ut unicuique gregario quotidie den jedecim hospes penderet: coenamque daret et ipsi et sodali quotquot vocare militi placuisset. centurionibus quinquag in diem drachmas praeberi* jussit, *vestemque duplicem, haberet, qua domi, quaque in publico uteretur.* Ab his tiis urbium vitia in exercitum et horridos antea n tes fluxerunt. ibi, per amoena loca in otio hab amare, potare, signa tabulasque pictas et vasa ca ta mirari didicerunt; eaque mox publice privatim rapere; spoliare delubra; sacra ac profana omnia luere. Multum deinde sanguinis passim in Asia sum: urbiumque nonnullarum moenia diruta, subhastatus est, quia contra edictum Sullae praest a Mithridate libertatem servis defenderant. Quot autem privatorum civitatumve, regiarum partium p lo cupidiores fuisse dicebantur, prae ceteris gr mulctas pendebant: Ephesii ante omnes, quorum p cipua vesania eo proruperat, ut etiam donaria R norum cum ludibrio templis detraherent.

Asiaticos principes graviter increpat.

XXXVIII. Postremo, missis circum populos A praeconibus, Ephesum convenire jussi sunt princi ad quos e tribunali Sulla talem orationem hab *Prima Romani signa in Asiam ea tempestate intulimus, qu Antiochus Syriae rex acerbus hostis, aut gravis dominus bat. Hoc ultra Halyn et Taurum exacto, non ut bello sitos imperio nostro subjecimus, sed libertatem dedimus*

Cap. XXXVI. Oros. Strabo, l. 13. p. 594. Appian. XXXVII. Plut. Sall. Cat. c. 11. Appian.

bus: nisi quos Eumeni Rhodiisque, belli ac victoriae sociis, clientes magis, quam tributarios, concessimus. quod quidem manifesto statim apparuit, quum Lycios, praeter nostra decreta premi questos, imperio Rhodiensium exemimus. U. c. 668. A. C. 84.

XXXIX. *Tali erga vos animo fuimus Romani: cui quam gratiam retuleritis, quaererem a vobis, nisi jam ante nota haec omnibus essent. Quum enim Attalus testamento nos haeredes reliquisset, Aristonico vindicanti regnum per quadriennium adhaesistis: donec et ille caperetur, et vos ad extremum discrimen atque metum adduceremini. Nostra tamen indulgentia recuperata pace, opibusque multorum annorum tranquilla possessione auctis, denuo sustulistis animos, et, observato iniquissimo nostro tempore, inter Italicos tumultus, alii quidem vocastis Mithridatem, alii accessistis venienti.* *Ingratum animum exprobrat.*

XL. *Quod autem omne immanitatis exemplum supergrediuntur, Italos omnes, non sexus, non aetatis miseriti, una die trucidare sustinuistis: ne vestrorum quidem numinum reverentia deterriti, quin ipsis in templorum adytis supplices eorum occideretis. Et haec fecistis in gratiam ejus Mithridatis, qui vos deinde continuo caedibus et rapinis exhausit; agros vestros divisit; debitoribus vestris aes alienum remisit; servitia liberavit; multis tyrannos imposuit; omnes objecit praedonum atque piratarum incursionibus; ut jam inde discere possetis, quales amici qualibus essent vestro judicio antepositi.* *Et stultam electionem amicorum.*

XLI. *Licet autem horum malorum auctores etiam nobis quodammodo dederunt poenas, non ideo vos impunitos abire fas est, qui scelesta consulentibus tam prompte estis obsequuti. Et opportuerat quidem aequalem meritis poenam statui. ceterum quia promiscuae caedes, et servitiorum concitationes, et hoc genus exempla barbari moris, a mansuetudine Romana prorsus aliena sunt; absit, ut tale aliquid in mentem nobis veniat. Habeatur Graeci nominis, et celebritatis Asiae, et cognationis nostrae ratio: mulctaeque modum potius misericordia, quam ira, fuiat. Quod faustum felixque sit, quinquennii tributum repraesentari jubeo: et praeterea sumptus, quique impensi sunt in hoc bellum, quique porro ad constituendam provinciam erunt necessarii. Eam collationem ego per civitates dividam, tempusque conferendi praefiniam: et, qui non obtemperaverint, eos habebo pro hostibus.* *Postremo mulctam grandem imposuit.*

XLII. Ex quatuor et quadraginta regionibus Asiae, tot enim ex distributione Sullae esse coeperant, viginti millia talentorum his nominibus exacta sunt: Lucullusque, recipiendis, quae adferebantur, et signan-

Cap. XLII. Cassiod. Chron. Plut. Lucull. c. 8.

U. c. 668. A. C. 84.

dae pecuniae praepositus, licet homo mitis ingenii nonnihil civitates manſuetudine sua refocillaret, efficere non potuit, ne maximam in calamitatem incederent. Nam et pecuniae conficiendae cauſſa, quia milites ferociter et contumelioſe exigebant, paſſim foeneratoribus theatra, aut moenia, aut portus, aliave publica aedificia pignori opposita sunt: et eodem tempore magna a piratis incommoda inferebantur. Illi Mithridatis concessione, Asiam tamquam mox amittendam negligentis, mare infeſtum habere coeperant: et, jam succeſſu numeroque aucti, tantum non juſtis classibus, tum navigantibus, tum etiam portubus, caſtellis, urbibusque metuendi, vagabantur. Jaſſus certe, Samusque, et Clazomenae, et Samothrace, dum adhuc in Asia Sulla erat, captae sunt; Samothraciaeque celebre fama delubrum spoliatum, et, ut creditum fuit, mille talentorum egeſta ornamenta sunt.

Asia vaſtatur etiam a piratis.

Sulla, neglecta Asia, navigat Athenas.

XLIII. Id Sulla nec prohibere, nec ulcisci curavit: sive meritos haec pati putabat, sive urbanis motibus intentas cogitationes habentem, aliis negotiis pigebat tempus atque curam impendere. Igitur, L. Murena cum duabus legionibus, quae sub Fimbria fuerant, in Asia relicto, cum ceteris copiis conscendit naves, tertioque die, quam ab Epheſo solverat, Piraeeum applicavit. Myſteriis deinde Atheniensium initiatus, Apellicontis Teji bibliothecam requiri jussit, Romam deportaturus. Is inter familiares Ariſtionis fuerat, miſſuque tyranni Delum spoliandi fani cauſſa navigarat. ob haec et talia bonis ejus publicatis, Sulla, ut erat doctiſſimus et ſtudiorum amans, libros excepit, quos Apellicon magno pretio paſſim coëmerat, illuſtrium auctorum opera, quaedam etiam ipſorum scripta manu.

Ariſtotelicorum scriptorum fatum.

XLIV. Inter hos et Ariſtotelici libri fuerunt, quorum fata, ob celebritatem nominis, et quia res ad cautionem ſtudiosorum pertinet, non taedebit exponere. Ariſtoteles primus inter Graecos, quantum scimus, bibliothecarum colligendarum auctor, Theophraſto scholam simul suam librosque decedens transdidit. Theophraſto Neleus Scepsius fuit heres: a quo Scepsin

Cap. XLII. Appian. Cap. XLIII. Plut. Sull. Posidon. apud Athen. 5, 14. Plut. Posidon. Cap. XLIV. Strabo, l. 13 p. 609.

psin translati postea ad homines indoctos studiorumque rudes pervenerunt. Apud hos tam indignos hospites diu sub clavibus satis incuriose adservati; deinde, quum Attalicorum regum studiis opera celebrium scriptorum undique conquirerentur, ab ineptis possessoribus in fossam quamdam subterraneam sunt abditi: donec eos longis post temporibus illorum successores Apelliconti Tejo magna pecunia vendiderunt. U. c. 668. A. C. 84.

XLV. Erat librorum magis, quam eruditionis, studiosus Apellicon: tamen, quod solenne est talibus ingeniis, doctrinae opinionem adfectabat. Igitur scripta Aristotelis edidit, tam ambiguo beneficio, ut vix dijudicari possit, satiusne fuerit, omnino perisse acutissimi viri labores, an interpolatos talis hominis audacia sub praescriptione tanti nominis legi. Nam ille situ corrupta, aut a tineis erosa temerarius emendator quoquo modo suppleverat: deinde in alios codices tam sua, quam Aristotelis, verba inexplicabili errore transcribenda curaverat. Plus etiam postea vitiati ab exscriptoribus libri sunt, quum Romam delatos Tyrannio suis commentis replevit. hanc deinde editionem nacti, qui libris vendendis quaestum faciebant, dum in conducendis librariis, comparandisque cum exemplari voluminibus, ad lucrum magis, quam ad fidem, respiciunt, ita repleverunt mendis, ut jam ante mille sexcentos annos, quid plerisque locis ab Aristotele esset scriptum, disceptari consueverit. *Ea varie corrupta, et vitiosissime edita.*

XLVI. Sed L. Sulla, quum Athenis dolore pedum tentari coepisset, Aedepsum profectus est, Euboeae oppidum, ubi calidarum aquarum scaturigo erat, quod *Herculis lavacrum* appellabant; valetudinique et oblectationi suae operam dedit, Bacchicis artificibus addictus. Interea Lucullus post profectionem Sullae ex Asia, pro sua mansuetudine, tum alias, quantum poterat, civitates allevabat, tum praecipue Mitylenaeis auctor erat, *ut, aguita culpa, mediocrem, quae imposita erat, mulctam persolverent.* Hi ab initio palam ad Mithridatem desciverant, M. Aquillio turpiter prodito, diutissimeque manserant in partibus. ne digresso quidem rege resipiscebant, quin se Romanis armis opponerent: tantus stolidissimorum hominum animos furor occuparerat. *Sulla dolore pedum tentatur.*

Cap. XLV. Plut. Strabo. Cap. XLVI. Plut. Stephan. Strabo, l. 9. p. 425. Plut. Lucull. c. 8.

U. c. 668.
A. C. 84.
Lucullus Mitylenaeos caedit.

XLVII. Igitur Lucullus, classe admota, quum prohibentes exscensionem oppidanos intra moenia compulisset, castra ante urbem posuit. Deinde quodam die, quasi desperata expugnatione, propalam de die conscensis navibus Elaeam trajecit: sed mox sub noctem reflexit cursum, et in insidiis haud procul urbe consedit. Mitylenaeorum vulgus, vix a prudentioribus cohibitum, ne statim in castra prorumperet, postquam iterum lux adfuit, neque hostium conspectus quisquam est, retineri amplius non potuerunt, quin promiscua turba liberorum servorumque excurreret. Ibi coortae ex insidiis Romanorum copiae adversus homines, nec instructos militariter, nec ordinatos, (non enim ad proelium, sed tamquam direpturi castra, exiverant) non dubio Marte pugnarunt. Comprehensus fugientium ingens numerus; ad quingentos, qui repugnare ausi fuerant, occisi: servitiorum quoque sex millia, praeter multiplicem aliam praedam, capta sunt.

Urbem munitam obsidere insuper habet.

XLVIII. Lucullus, sive hoc detrimento castigatis spatium daturus ad poenitentiam, sive ut ad magis necessaria praeverteret, cum captivis et praeda discessit: ne munitissimae urbis, et omnibus copiis abundantis, obsidione implicitus maritimam Asiae oram insulasque a piratis impune vastari pateretur, qui, prospere decedentibus rebus, majora in dies virium et audaciae incrementa sumebant.

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI QUARTI.

Sulla legatis, qui a senatu missi erant, futurum t in *potestate senatus respondit, si cives, qui pulsi* Cinna *ad se confugerant, restituerentur. quae con-* itio *quum justa senatui videretur, per Carbonem* ictionemque *ejus, cui bellum videbatur utilius, ne* nveniret, *effectum est. Idem Carbo, quum ab om-* bus *oppidis Italiae coloniisque obsides exigere vel-*

Qui *ab senatu missi erant,* turum *se in potestate sena-* t] *a senatu* omnes mei, alio- nque scripti, et editi ante vnov. qui anno 1665. substi- it *ab senatu.* Tum *futurum in potestatem* Berg. Boend. rv. et edd. principes. V. ad 14, 4.

Si *cives, qui a Cinna pulsi ad fugerant*] Voss. et Gudiani; i *pulsi a Cinna ad se confu-* rant. J. FR. GRON. *qui pul- a Cinna* etiam Leid. Berg. et v.2. *pulsi a Cinna, qui* Boend. ed. Camp. *confugerant* non tum servant omnes scripti i, Exc. Pithoei, et Norv. ve- n etiam edd. ante Gruterum, us ultima ἔκδοσις *fugerant* misit.

Quae *conditio quum justa se-* tui *videretur*] *justa videre-* r ed. Camp. *justa cernebatur* ead. Omnia haec vocabula de- t in Voss. Mox *propter Carbonem* Boend. Norv. et edd. vett. pro quo Ascens. anno 1513. *per Carbonem* emendavit; quod superest in reliquis scriptis. Saepius *pp*, sive *propter*, et *p*, sive *per*, in Mstis confundi solent. V. ad 2, 23, 12. 4, 11, 6. cap. 43, 6. 7, 3, 8. 8, 17, 11. cap. 33, 21. 34, 39, 3. cap. 41, 1. 35, 27, 15. Epit. 21. 24. et 80. Adde Cl. Oudend. ad Front. 1, 2, 4.

Idem Carbo, quum ab omnibus oppidis Italiae obsides exigere vellet] *cum ab Italiae oppidis omnibus coloniisque obsides* ex vet. lib. SIG. *ab Italiae oppidis omnibusque coloniis* Berg. *ab omnibus Italiae oppidis coloniisque* Lov. 2. *ab omnibus oppidis Italis coloniisque* Leid. *ab omnibus oppidis Italiae coloniisque* Voss. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Tum *Item Carbo* Leid. Voss. Berg. et Boend. quem errorem ob minus distinctam verba praeeuntis pronunciationem facillime a scribis com-

let, ut fidem eorum contra Sullam obligaret, cc sensu senatus prohibitus est. Novis civibus senati consulto suffragium datum est. Q. Metellus Pii qui partes optimatium sequutus erat, quum in Aj ca bellum moliretur, a C. Fabio praetore pulsus e

mitti potuisse, vidimus ad Epit. 69. Mox *et fidem* Voss. V. ad 21, 28, 8. Tum *fidem illorum* Voss. Exc. Pithoei, Norv. et pleraeque edd. ante Gronov. qui anno 1665. dedit *fidem eorum*, consentientibus Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Consensu senatus prohibitus] Vet. lib. *prohibitus est*. SIG. Similiter omnes nostri, Exc. Pithoei, et ed. Camp.

Novis civibus senatusconsulto suffragium datum est] Italis data civitas erat lege Julia, verum non in xxxv. tribus distributi. Ii ut distribuerentur, cum P. Sulpicius legem tulisset, eaque Sulla reverso abrogata esset; Cinna de iis cum Octavio contendit. Itaque data erat illis civitas illa quidem, sed sine suffragio; nunc vero SC. etiam suffragium adepti sunt. Appian. lib. 1. SIG. Adde, quae de hac re scripsit 3. de Ant. Jur. Ital. 1. ubi probabiliter disputat, hoc ante necem Cinnae, quae Epit. 83. narrata est, factum fuisse. De libertinis in omnes tribus distributis habet 2. de Ant. Jur. Civ. 14. DUK. V. Contaren. 1. Var. Lect. pag. 10. *de senatusconsulto* legit Berg. *τὸ est* deest in Voss. et Boend.

Qui partes optimatium secutus erat] *qui partem* Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. quod admiserunt postea Freinsh. Doujat. Cleric. et Crevier. Et solet vox *pars*, quae pro factione plerumque numero multitudinis usurpatur, interdum et eodem sensu numero singu adhiberi. Cic. 10. ad Famil. *Quum vero non liceret m nullius partis esse*. Suet. C 29. *Quum obstinatius om agi videret, et designatos iam consules e parte diver* Hic tamen vulgatum malo. T *optimatum* Leid. Voss. B Lov. 2. Boend. et ed. Camp. ad Epit. 79. Praeterea *secu fuerat* Voss. et Berg.

Quum in Africa bellum liretur] *in Africam* Voss. rum non gessit bellum *in A cam*, id est, adversus populo Africa habitantes, sed *in Afr* id est, cum Romanis diversa partium, qui Africam obtineb V. ad Epit. 21. Eamdem ob e sam *in Sicilia* Epit. 98. p probandum puto, quam in *ciliam*, ut quidam codd. ferunt. Mox *a Q. Fabio a C. Fabio* Leid. Berg. L Boend. Exc. Pithoei, No edd. antt. V. infra ad Ep Viros doctos ad Val. Max. 2. et Pighium in Annal. ad 10CLXXI. p. 255. *ab C. Fabi* dit Gronovius anno 1665. per *senatusque consultu fectionem Carbonis et narum partium factum e omnis ubique exercitus teretur* perperam Boend. aliter ed. Camp. nisi quod ferat *perfectionem* et *A narum*.

Belli adparatum contr lam, quod plurimum e

matusque consultum per factionem Carbonis et Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque et triginta tribus distributi sunt. Praeterea belli adparatum, quod contra Sullam excitabatur, continet.

tur] Vet. lib. *belli apparatum, quod contra Sullam excitabatur.* SIG. Ordinem verorum, qui ante Sigonium obtinuit, servant Boend. Norv. et Camp. illam vero, quam post Sigonius induxit, probant Ol. Berg. Lov. 2. et Exc. Pisei. *belli apparatum, quod contra Sullam in Italiam quod excitabatur* Leid. Unde forte legendum *belli apparatum in Italia, quod contra Sullam excitabatur*; nisi potius credamus, verba *in Italiam* ex initio Epit. seq. perperam hic admissa esse. Deinde recte omnes codd. nostri, et ed. Camp. ignorant vocem *plurimum*. V. ad Epit. 69.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XLIX.

IN LOCUM LIBRI LXXXIV. T. LIVII.

U. c. 668. A. C. 84.

I. Inter haec legati, quos ad Sullam ab sen missos fuisse diximus, cum aliis, quos adjunxe Sulla, in Italiam appulerunt. sed Sullani, quamp mum Brundisii de morte Cinnae novisque reipubli turbis cognoverunt, omisso negotio, ad Sullam s revecti, et mandata Sullae ceteris perferenda reliq runt. Negaverat autem, *cum tantorum scelerum auct bus umquam sibi privatim amicitiam fore: sed pacis pub caussa voluntati senatus populique Romani, siquidem salvos pias, non intercedere. Sibi tamen curae fore, ut et c boni, et qui ad se confugissent, perpetuo tuto degant: idq sperare adepturum, quod haberet studia exercitus.*

Sullae mandata ad senatum.

Conditiones ab eo propositae.

II. *De cetero futurum in potestate senatus, si cives, a Cinna pulsi ad se fugissent restituerentur; sibique pri dignitas, facultatesque, et sacerdotium, et quidquid ante nae primum consulatum habuisset, redderetur. Non ita republica meritum, ut ad arbitrium inimicorum domo, f nis, bonoribusque carere debeat. Eadem omnia pari vi, ablata ab adversariis essent, retineri, aut recuperari potuisse. verum enimvero nolle imitari exempla, quorum approbationem modo, sed omnino memoriam, deleri ex a hominum malit. Idcirco nihil his rebus avocatum aut a ritum non aliter hostes populi Romani gravi continuoque persequutum esse, quam si omnia domi tranquilla, sibique spera et faventia fuissent. Non supplementum sibi, non meatum, non pecuniam aut arma submissa: nec eo secu eadem illa Italia atque illa urbe suum corpus infensissimis bus objecisse; quam plenam quidem etiam bonorum honest que virorum, sed tamen a diversa factione oppressam atq actam sibi adversari, sciret.*

Cap. I. Appian. Civil. l. 1. Cap. II. Liv. Epit. App

III. Non injusta senatui conditio videbatur: sed per Carbonem ejusque satellites, quibus bellum cordi erat, effectum est, ne conveniret. Quin et violentius in Sullanas partes ira malorum civium recruduit, tribunusque plebis P. Popillius Laenas Sex. Lucilium, qui superiore anno tribunatum gesserat, quod Carbonis actionibus restitisset, de saxo Tarpejo dejecit: et quum collegae Lucilii, quibus diem P. Laenas dixerat, metu ad Sullam profugissent, aqua ignique iis interdixit. Nam ab illo collegio coactus Carbo, contra animi sui sententiam, comitia consularia habere coactus fuerat, quibus L. Scipio, C. Norbanus designati sunt.

U. c. 668. A. C. 84. *Carbonianorum iniquitas,*

IV. Igitur, tantis animis resurgente factione Carbonis, senatus etiam sententiam eorum aequi adactus est, qui *bello contendendum cum Sulla* censuerant. *Neque enim dimissurum eum milites, sed horum opera abusurum ad dominationem. Non obscure ab eo jactatum esse favorem exercitus, haud dubium animi ejus argumentum. Jam a tot annis nihil illum aliud, quam civile bellum, meditari. Nec iniquissimae cum Mario aemulationi tam propositum ejus, quam opportunitatem et tempus, defuisse: Cimbricis primum, deinde socialibus intervenientibus bellis. Postmodum, quum esset auctus consulari dignitate, paulloque factus robustior, non distulisse, quin suum olim imperatorem insidiis armisque peteret. Mox etiam reipublicae palam intulisse bellum, et urbem, quod ante eum fecisset nemo, vi ac armis occupasse.*

Bellum cum Sulla volentium,

Accusantiumque Sullae acta.

V. *Ne in Graecia quidem et Asia, quamquam fervente Mithridatico bello, temperare potuisse, quominus L. Valerium, ab senatu in Asiam missum, et, postquam ille sit interfectus, C. Fimbriam armis peteret; legionesque Valerianas, citra senatus aut populi auctoritatem, suum sub imperium acciperet. Et illam inauditam Romanis moribus licentiam, qua sibi legiones fidas exitio Asiae facere studeat, non alterius profecto, quam civilis, belli sacramentum esse. Praeterea inflatum victoria Mithridatica, et adjutum copiis paullo ante hostilibus, aurum Ponticum navesque et auxilia barbarorum in patriae perniciem adducere.*

VI. Igitur neque sibi committendum rati, ut impares deprehenderentur; non solita tantum praesidia, sed quaedam etiam inusitata ac nova sunt moliti. Carbo consul ab omnibus oppidis Italiae coloniisque obsides exigebat, ut fidem illorum contra Sullam obli-

Carbo ab Italiae civitatibus obsides exigit.

Cap. III. Liv. Epit. Vell. 2, 24. Appian. Cap. VI. Liv. Epit.

U. c. 668. A. C. 84. garet: donec perniciosi moris exemplum consensu senatus adversantis cohibitum est.

Eos animo se negat Castricius Placentinus.

VII. Nec omittenda M. Castricii Placentini constantia, qui forte magistratum in patria gerebat, quum eo consul obsides accepturus ipse venit. Sed petenti, decretum ea re de fieri, Castricius, neque nomen consulis, neque mores Carbonis, ne legiones quidem, quas adduxerat, veritus, pernegavit. quumque iratus Carbo dixisset, *multos ego gladios habeo*, nihil cunctatus subjecit, *Et ego annos*. Sic et inceptum Carbonis irritum fuit: et ira, magni doloris tenuem e senili sanguine vindictam aspernata, detumuit. Depulsus hac spe consul, ne nihil obtinuisse videretur, ad novos cives libertinosque recenti beneficio arctius adjungendos convertit animum; effecitque, ut illis suffragium, qua de re certatum toties fuerat, senatusconsulto daretur.

Q. Metellus exercitum in Africa cogens,

VIII. Sub id tempus Africam quoque inquietam civilis belli quaedam initia habuerunt. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium sequutus erat, haud contemnendas ibi copias habebat: a suis et patris Numidici clientibus haud segniter adjutus. Accesserat M. Crassus adolescens, qui inter Cinnanam Marianamque rabiem, qua pater ejus fraterque sunt absumpti, in Hispaniam elapsus, multis mensibus in spelunca quadam latuerat. Is, cognito Cinnae interitu, progressus in lucem, concurrentibus ad eum multis, hominum duo millia quingentos armaverat; et, civitates obiens, quod cum patre praetore multos ante annos in Hispania fuerat, hospitum amicorumque voluntates experiebatur. Inter haec quum de Metello audisset, naves adeptus, ad eum in Africam trajecit. Sed illae bellorum minae, tamquam nubeculae, sine tempestate transierunt. Nec diuturna inter Metellum Crassumque concordia fuit: relictoque illo ad Sullam adolescens profectus est; Metellum C. Fabius praetor expulit Africa, rursumque ad pristinas in Liguribus latebras reverti, adventumque Sullae opperiri coëgit.

A C. Fabio expellitur. U. c. 669. A. C. 83.

L. Cornelio, C. Norbano Coss.

Senatusconsultum de dimittendis exercitibus.

IX. At in urbe, L. Cornelio Scipione, C. Norbano consulibus, Carbonis factio Marianaeque partes senatusconsultum fecerunt, *ut omnes ubique exercitus dimitterentur*. quod si esset factum, dubitari non poterat, quin, quorum in manu ad id temporis respublica fuis-

Cap. VII. Val. Max. 6, 2, 10. Liv. Epit. Cap. VIII. Plut. Crass. c. 9. Liv. Epit. Appian. Cap. IX. Liv. Epit.

set, penes eosdem in posterum quoque permansura summa rerum esset. Praeterea libertinis, qui tum, eadem adnitente factione, in quinque et triginta tribus distributi erant, novisque civibus omnibus ad quaelibet usuri videbantur. U. c. 669. A. C. 83.

X. Nec tamen eo secius, quia non erat ambiguum, ne sexcentis quidem senatusconsultis compelli Sullam ad dimittendas copias posse, ad imminens bellum summa contentione omnia parabantur. Tantae profecto rerum omnium, et praecipue militum, contractae copiae sunt, ut in commentariis suis Sulla scripserit, *se adversus quindecim partium adversarum duces, quadringentis et quadringinta cohortibus instructos, in Italiam transmisisse.* alii, *cohortes ipsis quingenarias fuisse ducentas statim ab initio*, tradunt: *posteaque quotum eum numerum esse, quod Sulla, ab externis oris veniens, hostis Italiae videbatur; consules et Carbo privatis studiis reipublicae amabile nomen obtenderant.* *Carbonianorum apparatus.*

XI. Vulgus igitur certatim sacramento dicebat, tot illustrium virorum auctoritate commotum, qui partibus se duces offerebant. Nam praeter eos, qui modo sunt memorati, Ap. Claudius, Q. Sertorius, C. Marius adolescens, M. Marius, clara nomina aderant: praeterea Marcii, Bruti, Albini, quibus insuper Albinovanus, Flavius Fimbria Caji frater, Damasippus, et ab Italia M. Lamponius, Pontius Telesinus, Gutta Capuanus accesserunt. *Et duces.*

XII. Interim Sulla, certus in Italiam transire, per Thessalos et Macedoniam Dyrrhachium profectus est, ubi classem ad copias transponendas occurrere jusserat. Hic loci Satyrum, quales a pictoribus et poëtis finguntur, adductum ad Sullam ferunt, in Nymphaeo captum, quum forte somno operam daret. Juxta Apolloniam, vicinam Dyrrhachio, Nymphaeum est, sacer tum locus: ubi, in virenti et laeta valle campisque florentibus, subterranei ignis venae perpetuis velut fluctibus evolvuntur. Eum igitur Satyrum, multis adhibitis variarum gentium interpretibus, unde aut quisnam esset interrogatum, quum humanam vocem nullam, sed velut ex balatu hinnituque confusum sonum edidisset, Sulla pro monstro aversatus esse traditur. Nec ultra reperio, dimitti jusserit, an vero occidi, aut quid omnino sit eo factum. *Satyrus ad Sullam adducitur.*

Cap. X. Appian. Plut. Sull. Appian. Cap. XII. Plut. L. Ampel. Plut.

U. c. 669. A. C. 83.

De ea re excursus.

XIII. Sed, postquam in Satyrorum mentionem incidimus, neminem reprehensurum puto, si, quae de his mihi lecta aut credita sunt, paucis aperuero. Jam primum, ut alia passim occurrunt in natura parum convenientia legibus, quas humanae opiniones imaginantur, ita mixtas hominum ac belluarum formas exsistere posse, rationi minime repugnat. Sed ex eadem ratione manifestum est, non ideo statim exsistere, quidquid potest; et de omni re extraordinaria, nisi bonis testibus, inepte credi; nec illis tamen ultra credendum, quam quoad idonei testes esse possunt.

In Atlante Satyrorum lusus.

XIV. Igitur in praesenti negotio, conspectas ejusmodi formas semicaprorum, cum lascivis foedisque gestibus, non negaverim: id enim a multis est proditum. animaliumne fuerint ea corpora, an vero daemonum fraudes, id illi quidem distinguere haudquaquam potuerunt. Montem Atlantem, qua spectet Africam, laetum amoenumque spontaneis fructibus, interdiu vacuum cerni; eumdem noctibus micare crebris ignibus, Aegipanum Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum ac fistulae cantu tympanorumque et cymbalorum sonitu plusquam humano strepere, celebrati auctores prodiderunt. Etiam in Aethiopia juxta silvas ebeni, montemque aeternis ignibus flagrantem, modicos colles amoenae opacitatis cum Aegipanibus et Satyris quidam posuerunt.

Satyri simiorum genus.

XV. De his ita sentio, quum Africa monstris abundet, solitudinibus horreat, fieri potuisse, ut eminus conspecta animalia fidem praeternavigantibus fecerint superstitione jam occupatis: deinde solita longis peregrinationibus vanitas accesserit, nova et mira narrandi. Certe, simiorum gregibus, mira varietate generum, Africam refertam esse, non ambigitur; quibus etiam fuerunt, quos antiqui *Satyros* appellarent. Et nota est animalis lascivia, cavenda mulieribus, quarum concubitum appetunt, velut a natura decepti quae similia ipsorum feminis membra dedit. Sed ist quemadmodum fabulis veterum satis conveniunt, ita quod de cantu tibiisque et cymbalis additur, longissime abhorret. Nullum enim animal, praeter hominem musicae numerorumque scientiam habere potest. Ig

Cap. XIV. Plin. 5, 1. Solin. c. 27. Mela, 3, 10. Plin. 6, 3
Cap. XV. Tac. Ann. 2, 24. Plin. 8, 54. Aristot. Histor. Animal. 2, 8.

tur, si quid tale revera auditum est, quod mihi valde sit probabile ob caussas, quae subjungentur, id omnino aut hominibus adscribendum, aut geniis putem. U. c. 669. A. C. 83.

XVI. Sane Paracelsus, et qui ejus deliramenta sequuntur, de Faunis, Nymphisque, et Pygmaeis nefaria multa tradiderunt, quomodo non solum conversari cum hominibus, sed etiam misceri connubiis, atque hinc adipisci animam humanam possint: quae nec vera sunt; et, si essent, nulla cognosci aut ratione humana, aut experientia queant. Sunt hae deceptorum spirituum strophae, modis omnibus curiosam et incautam hominum naturam in praecipitium illicere satagentium: cujus etiam farinae fuisse censeo pleraque omnia, quae de Faunis atque Aegipanibus exempla referuntur. *Paracelsi de Satyris impiae nugae.*

XVII. Ne hoc quidem exceperim, quod Antonio, solitariae vitae principem Paulum quaerenti, homunculum aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cum caprinis pedibus occurrisse narrant; interrogatumque (nam verba ipsa ponam) respondisse; *Mortalis ego sum, et unus ex accolis eremi, quos vano delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque, et Incubos vocans colit. legatione fungor gregis mei: precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus, et in universam terram exiit sonus ejus.* Haec dicentem volucri celeritate aufugisse. *Fabula de Satyro et Antonio eremita.*

XVIII. Quis haec ludibria sive astuti daemonis, sive nugatorum hominum non deprehendat? Illum, scilicet, mortalem, quisquis tandem aut cujatis fuerit, praescisse, qua transiturus esset Antonius; cognosse non antea visum; eo sermone, quo intelligi posset, alloquutum esse? Deinde negotium ipsum quam ineptum! legatio unius pro omnibus, qui fortasse, ne simul, aut plures venirent, cura domesticarum rerum attinebantur! deinde petitio, nescio stultior, an scelestior, CHRISTUM pro se deprecandi: quasi aut hic Satyrorum caussa naturam humanam adsumpsisset; aut illis, si ad se pertinere hoc beneficium credidissent, Antonius fuisset exspectandus, nec intra trecentos annos DEUM aut per se potuissent, aut per alios, exorare! Sed, ne cetera examinemus, ipse quoque tam velox discessus, non exspectato responso, arguit, aut *Nugis humanis, aut diabolico ludibrio adscribenda.*

Cap. XVII. Hieron. in vita Pauli, p. 71.

U. c. 660. A. C. 83. senatui populoque Satyrorum rem istam haud sane cordi fuisse: aut stultissimum unum omnium oratorem delectum, qui tantam rem tam negligenter egerit.

Fabula de Silene et Midae,

XIX. Ejusdem generis ille Silenus fuit, (si Theopompo Chio egregio fabulatori non omnino deneganda fides est) qui Midae regi multa exposuit, falsa quidem omnia, sed mirabilem habentia similitudinem veri: non eam dico, quae veritatem doceat, sed quae aliunde cognitam possit ad fabulae opinionem adducere.

XX. Nam duae certe civitates sunt in mundo, de quibus multa docte pieque Augustinus scripsit: quarum altera non immerito *pugnax*, altera *pia* nominetur. Et, quod ille *de fructibus tristitiae laetitiaeque* Midae tradidit, videntur duarum paradisi arborum, prohibitae nimirum et vitalis, historiam malitiosis fabularum involucris operire. Ut mihi non fiat incredibile, homini curioso et mago, qualem fuisse Midam annulus, quem ei tribuit Plinius, et alia quaedam arguunt, sub illa figura daemonem talia respondisse. Nam et ipse fingebat, *mediae se naturae inter divinam humanamque compotem;* quod genus antiquis *daemonum* appellatione veniebat, quamquam conditionem eorum ignorantibus. Illud vero responsum, quod Midae dedit, *non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quamprimum mori;* quam est plenum diabolici mendacii, et ad desperationem adigendi efficax?

Spectrum apparuisse Midae arguit.

XXI. Sed et ipsa Sileni captura, quam narrant, magicis caerimoniis et sacrificiorum imitationi proxima est. Fontem enim, medio loco situm inter Paeonas atque Medos, vino diluisse tradunt: ut sic aquis eis uti solitus Silenus non animadversa vini fraude caperetur. Nam et haec inter artes est inimici spiritus, ut iis rebus teneri se posse fingat, quarum nulli haec a Deo per naturam insita facultas est: quo magis temerarii homines erroribus et superstitione irretiti capiantur. Neque haec aliena erant Midae institutis, quum esset Orphei praestigiatoris discipulus, divitiarum et regni nihil ad se pertinentis cupitor. Igitur nec illos sequendos arbitror, qui Silenum, ut illis

Midas Orphei praestigiatoris discipulus.

Cap. XIX. Aelian. Hist. Var. 3, 18. Cap. XX. Plin. 33, 1. Aelian. Aug. de Civ. Dei, 8, 14. Aristot. apud Plut. de consol. ad Apollon. Cic. Tusc. 1, 48. Cap. XXI. Maxim. Tyrius, Dissert. 30. Conon apud Phot. Voss. Idololat. 1, 21.

temporibus, naturae et omnis antiquitatis intelligentissimum hominem fuisse interpretantur. Nam hanc quidem expositionem omnia dicta dicendaque refutant. U. c. 669. A. C. 83.

XXII. Quod si forte verum est, (nam penes auctorem sit fides) quod, regnante Constantino, visum Alexandriae Satyrum Hieronymus scripsit, cujus etiam defuncti pellem Antiochiae spectarit imperator; eum quidem monstrosum fuisse partum arbitror, qui potuit ex tabella picti Satyri non aliter movisse imaginatricem facultatem gravidae, quam fuit in illis mulieribus factum, quae secundum tabulas pictas, quae in cubili erant locatae, foetus aut venustate praecipuos, aut deformitate insignes ediderunt. *Satyrus Alexandriae visus.*

XXIII. Sed ille nimirum Satyrus, neque lingua humana usus, neque tale quidquam, quod suis antiqui tribuerunt, fecisse traditur. Quemadmodum intra hos ducentos annos superiore saeculo vir ferus in silva S. Germani prope Villingam oppidum fuisse memoratur, consortium hominum fugiens, nudoque corpore per aestatem ac hyemem, radicibus herbisque victitans, et aquam bibens ex foetidis paludibus. Ideoque fraudes malignorum spirituum, et incredibile in nostrum genus odium reputanti, vix aliud persuaderi queat, quam antiquorum illas de Satyris opiniones non temere natas, sed ex diaboli praestigiis initium habuisse. *Vir ferus prope Villingam.*

XXIV. Vox ipsa atque nomen ab Hebraeis desumptum, si Faunum aut Panem voces, nihil aliud, quam faciem, aut apparitionem spectri; sin Satyrum, occultum et in abdito latentem signat. Nam Panem Graeci, Latini Faunum, Germanicae gentes Fanum, solenni literarum istarum commutatione, dixerunt: Deum esse putantes, quem sic nominarent. Unde Germanis signa militaria sunt hoc nomine appellata, quod hodie quoque manet; quia, sicut aliae gentes Herculem, aliosve Deos, ita horum majores Fanum pro vexillo praetulerunt copiis suis, quod ita facile superiores se hostibus fore ratiocinabantur, si tamquam duces belli Deos sequerentur. Eumdem et *Tanfanam* vocaverunt, quasi silvestrem Fanum dicerent. *Fauni aut Panis nomen spectrum notat.*

Cap. XXII. Hieron. in vita Pauli, p. 71. Cap. XXIII. Camerar. Oper. sub. Cap. XXIV. Curt. 8, 14. Tac. Germ. c. 7. Tac. Ann. 1, 51.

U. c. 669. A. C. 83.

Spectra cur humanam figuram caprina miscere ament?

XXV. Hic igitur Fanus saepe in silvis apparebat ea forma, qua pingitur, humanam speciem imitans, sed corruptam; (quemadmodum corrumpi et naturam cupit) hircinam adsumens, propter petulantiam animalis, quo nullum in Venerem noscitur esse proclivius: quod et matrem, cujus adhuc uberibus alitur, stupro supervenit; et tum alias, tum praecipue tempore coitus omnium est foetidissimum. Quapropter immundissimo spiritui non aliud in natura animalium visum est genus, exprimendae suae similitudini accommodatius.

Pan cur facie rubra pingatur?

XXVI. Ergo et Aegyptiis in forma semicapri apparuit, *Mendes* ab ipsis dictus, quo nomine et animal ipsum appellabant: idemque ab his pariter, atque Pan a Graecis, pictus est. Et Herodotus quidem monstrosae formae caussas exponere verecundatur: quod nempe arguit, parum honestas aut Deo dignas audivisse. faciem autem rubram propter aetheris similitudinem ei tribui, quidam existimarunt: ego factum reor ideo, quod tali figura et ignito vultu fuit conspectus. Et ad hunc ferme modum apparere in nocturnis sagarum orgiis daemonem, concordi propemodum confessione omnium firmatur.

Satyri loquentes diaboli fuerunt.

XXVII. Nec mirandum fuerit, si, quae memorantur ab antiquis de Satyrorum nocturnis lusibus, tripudiis, cantibus, ad simile quoddam diabolici ludi commentum referamus. Nam talia multis locis audiri feruntur, et in Lopensi eremo, quae in ditione erat Tatarorum, quum iis locis Marcus Paullus Venetus degeret.

Similes aliae praestigiae daemonum.

XXVIII. In summa, si quod ea figura repertum sit animal, monstrosum fuisse, idemque rationis ac sermonis humani expers crediderim; ubi vero loquelae intervenerit usus, spectra larvasque mali daemonis. Ut ista sint ex eodem genere prodigiorum, quo apud Sambulon Parthicae ditionis montem Herculem venari; Achillem, Helenae matrimonio junctum, Leucen incolere, Tauricae Chersonnesi insulam; eumdemque oppugnatas ab Alaricho Athenas defendisse creditum est. Quos vero ludos spectrum edidit, quod

Cap. XXV. Heresbachius, de re rustica, l. 3. Taubmann. in Plaut. Men. Act. 5. Sc. 2. v. 85. Cap. XXVI. Herodot. 2, 46. Serv. ad Virg. Eclog. 2, 31. Cap. XXVIII. Tac. Ann. 12, 13. Pausan. l. 3. Plin. 4, 12. Zosimus, l. 5.

sub forma magni Alexandri cum bacchabundo agmine per Asiam incessit, longoque post tempore disparuit, Heliogabalo imperante? Nec ab his abludunt, quae de Graecis Heroïbus Philostratus, de Arturo Britanni, de Valdemaro Dani, multique alii, de suis quisque, populi jactant. Sed, omissis hoc genus praestigiis, ad Sullam, unde discessimus, revertamur. U. c. 669. A. C. 83.

XXIX. Is ergo, contra suos adversarios transmissurus, ceteris ferme satis fidebat; hoc uno angebatur, quod trajectos in Italiam milites, ubi patrium solum adspexissent, ne desertis signis dilaberentur, metuebat; aut, quod solenne civilibus bellis est, hostiliter vexarent Italiam. Ceterum, hic etiam ferente fortuna usus, ultro offerentes jurejurando adstrinxit, *mansuros apud signa, neque molestos cuiquam sponte sua fore.* Quin et, pecunia eum indigere rati, pro sua quisque copia conferebant. Ille, mirifice delectatus tanta militum benevolentia, vocatos in concionem sic adfatus est. *Sulla suos jurejurando adstringit.*

XXX. *Si mihi prima haec dies experiundi animos vestros esset, milites, mihi quidem plurimum gratularer, qui tales haberem copias; sed subtimerem tamen, ne forte subitus ardor benevolentiae, postquam aliquid praeter opinionem offendisseris, exstingueretur aut tepesceret. Nunc autem, post tot omnium temporum documenta, quae per complures annos et ego vobis, et vos mihi dedistis, adeo fundatus atque radicatus est mutuus amor, ut mihi nihil aliud cogitandum reliqueritis, quam quemadmodum vos, sicut optimi omnium estis, ita beatissimos omnium efficiam.* *Ejus oratio ad milites.*

XXXI. *Erant mea, nec enim vana haec est gloriatio, erant, inquam, erga vos multa et magna merita mea: sed vicissim ea virtus vestra est, eaque fides, benevolentia, caritas, ut militibus meis ultro gratias agam imperator. Quod enim certius offerre Dii immortales bene gerendae rei pignus potuerunt, quam tantam inter adversas partes nostrasque animorum dissimilitudinem, ut inde odiis, conviciis, caedibus, hic officiis et amore inter milites imperatoremque certetur?* *Gratias agit militibus.*

XXXII. *Enimvero virtute vestra satis sum in praesentia dives. liberalitate vestra non utar: animos accipio proboque,*

Cap. XXVIII. Xiphilinus, Heliogab. Sigibertus. Cap. XXIX. Plut. Sull. c. 51.

U. c. 669. A. C. 83. *quos donec mihi praestiteritis, praestabitis autem semper, nihil mihi defuturum est. Operam autem dabo, ut non modo haec, quae adsunt, laborum praemia retineatis, sed etiam longe pluribus majoribusque cumulemini.* In hanc deinde sententiam multa addidit, occasionem tam commodam tenens, animosque omnium suavi oratione permulsit. Ita fidos duci ad reliqua, et robori suo fortunaeque fidentes, ad quadraginta virorum millia (quinque legiones erant, et Achajae Macedoniaeque auxilia, et cujusque generis equitum sex millia) in naves imposuit.

EPI-

Cap. XXXII. Appian. Civil. I. 1.

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI QUINTI.

Sulla in Italiam cum exercitu trajecit, missisque legatis, qui de pace agerent, a consule C. Norbano violatis, eumdem Norbanum proelio vicit. Et quum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret, nec potuerat, castra obpugnaturus esset, universus exercitus consulis, sol-

Sulla in Italiam cum exercitu trajecit] *Sulla Italiam* Voss. Livium ejusque exemplo auctorem Epitomarum interdum ita locutos esse, vidimus ad 10, 37, 1. 33, 41, 6. et ad Epit. 59. Quum tamen reliqui codd. praepositionem tueantur, potius dicendum videtur, *τὸ in*, vel *I*, a litera initiali vocis sequentis interceptum esse. Alia ejus erroris exempla vide ad 2, 47, 6. 3, 41, 6. 4, 32, 10. 21, 24, 4. 22, 30, 8. 23, 11, 7. 24, 4, 4. et saepius alibi.

Et a consule Cn. Carbone et C. Norbano violatis] Emenda *a consule C. Norbano*. Erat enim hoc anno consul C. Norbanus cum L. Scipione. Itaque sequenti versu ait, *cum L. Scipionis alterius consulis* exercitu; alioquin, si Carbo consul esset, *tertii consulis* fuisset dicendum. SIGON. Sigonio, voces *Cn. Carbone et* ejicienti, consentire Exc. Pithoei, auctor est Hearnius. Sed *a consule Cn. Norbano* legunt Leid. Lov. 2. Berg. Voss. Boend. et ed. Camp. nisi quod duo priores praeferant *ab consule*, ut Gronov. anno 1665. edidit. Verum consuli Norbano praenomen *Cajus* fuit, ut docet Pighius in Ann. ad A. V. ıɔcLXX. pag. 248. V. etiam Sigon. ad Epit. LXXXIX. Alii eum *Quintum* vocarunt; quos errasse, recte docet Cl. Duker. ad Flori 3, 21, 18. Insuper particulam *et*, ab initio horum verborum, auctoritate ed. Camp. ex contextu sustulit Clariss. Crevierius: cujus emendationem firmat auctoritas Voss. et Berg. Eam tamen si quis servare malit, legendum erit *violati sunt*, pro *violatis*. V. ad 45, 17, 5. Verum prius malo.

Cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret] Duae primae voces desunt in Voss. sed *qui per omnia*, pro *cum quo*, legit Leid. Ut ita Scipio, non Sulla, ex animo de pace egisse dicatur. Huc itaque facere posset, quod Sullam simulate de pace egisse referant Appian. 1. B. Civ. 401. et Plutarch. in Sulla pag. 469. At Freinsh. in Supplem. cap. 8. plus fidei in rebus patriis tribu-

licitatus per emissos a Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio, quum occidi posset, dimissus est. Cn. Pompejus, Cn. F. ejus, qui Asculum ceperat, conscripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venerat; ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra veniretur. Praeterea expeditiones per totam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

endum existimat scriptoribus Romanis, Auctori Epitomes, et Vellej. 2, 25. qui Sullam bona fide concordiam quaesivisse testantur. Ceteri etiam codd. vulgatum hic tuentur.

Per emissos ab Sulla milites] *per omissos* Voss. *per amissos* Berg. *per ammissos* Boend. unde faciendum videtur *per immissos*. Praestat tamen, ut vulgatum, pro quo stant Leid. et Lov. 2. cum omnibus editis servemus. Deinde *ab Sulla* Gronov. anno 1665. substituit, quum priores haberent *a Sulla*; quod non tantum servant Exc. Pithoei, et Norv. testante Hearnio, sed etiam omnes nostri. Mox *quum occidi posset*, pro *interimi*, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. quod admisi. V. ad Epit. 57.

Ceperat, conscripto voluntariorum exercitu] Voss. *ceperat scriptus cum scripto*. Gud. *ceperat scriptus conscripto*. Fortasse: *ceperat, privatus, conscripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venit. Ad quem se*. Auctor de B. Afric. [22.] *Privatus atque adolescentulus, paterni exercitus reliquiis collectis*, etc. J. FR. GRON. *conscripto quidem voluntariorum exercitu* editi ante Gruterum, qui *τὸ quidem* recte omisit, consentientibus omnibus nostris, Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad Epit. 55. Praeterea *ceperat, scriptus cum scripto voluntariorum* Berg. *ceperat scriptus voluntariorum* Exc. Pithoei. *ceperat scripto voluntariorum* Leid. *ceperat conscripto voluntario* Lov. 2. Vulgatum servant Boend. et ed. Camp. Vocem *privatus* hic excidisse, mihi persuadere nequeo. Paullo ante *Cn. Pompejus, Cn. Pompeji filius, ejus qui* Berg. et Boend. a quibus in eo tantum differt ed. Camp. quod vocem *ejus* nesciat *Cn. Pompejus, ejus Cn. Pompeji filius, qui* Leid. et Voss.

Ita ut deserta urbe ad castra veniretur] *ita ut ad deserta castra veniret* Boend. *ita ut deserta ad castra veniretur* ed. Camp. In praecedentibus *nobilitas transferebat* Voss.

Expeditiones per totam Italiam] *per universam Italiam* Exc. Pithoei, Norv. et edd. antt. Gronovium, qui *per totam Italiam* substituit, consentientibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Et hinc eam lectionem servavi, licet Freinsh. Dodat. Clericus, et Crevierius, aliam receperint. V. ad Epit. 5[illegible]

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER L.

IN LOCUM LIBRI LXXXV. T. LIVII.

I. Sullana classis apud Brundisiumne, an Tarentum, copias exposuerit, ambiguum diversi auctores faciunt: credi tamen potest, neutros falsa dicere, quod tanta navium multitudine (mille ducentas alii fuisse, alii quadringentis auctiorem numerum produnt) uterque portus repleri potuerit. Brundisinis certe, quod prompte exceperunt venientes, concessam ab Sulla immunitatem ad sua tempora durasse, Appianus testis est. Vicissim Plutarchus Sullae, Tarentum appulso, statimque sacrificanti jecur apparuisse dicit coronae figura, lemniscorumque inde dependentium. Quum deinde per Calabriam Apuliamque cum singulari modestia exercitus, ut non hominibus tantum oppidisque, sed etiam agris et frugibus parceretur, in Campaniam contenderet; Q. Metellus cum suis copiis in itinere ad eum venit; duoque hi imperatores pro consulibus, honore potius, quam potestate, pari, res administrare coeperunt. U. c. 669. A. C. 83. *Sulla in Italiam trajicit.*

II. Legatis deinde mittendis iterum tentata spes pacis, justaeque conditiones propositae. sed, violatis a consule Norbano legatis, tantus ardor Sullanorum fuit, ut, priusquam ordinari acies posset, lymphatis similes in hostem impetu incurrerent. C. Norbanus consul cum C. Mario adolescente magnas copias inter Capuam et Casilinum, Vulturno adsitam coloniam, habebat: quo loco, paullo antequam in Italiam Sulla transcenderet, duae acies, cum horrendo fragore ar- *Legati Sullae a consule Norbano violantur.*

Cap. I. Vellejus, 2, 24. Appian. Civil. l. 1. Plut. Sull. c. 52. Appian. Vell. Appian. Cap. II. Liv. Epit. Vell. Liv. Epit. Plut. Jul. Obseq.

U. c. 669. A. C. 83. morum, signorumque ſtrepitu, per plures dies visae concurrere, sensim e conſpectu hominum in aërem elatae evanuerant, relictis equorum hominumque veſtigiis, herbisque ac virgultis velut recens protritis.

Sulla vincit Norbanum. III. Proelio commiſſo, neque pugna anceps, neque caeſorum utrimque numerus alius fuit, quam si hinc mulieres, inde viri conſtitiſſent. septem millia de Norbani exercitu ceciderunt; sex millia capta sunt: Sulla milites haud amplius centum viginti quatuor amisit. Victis Capua receptus fuit. Victores hoc velut omine belli laeti, quamquam multis partibus ampliorem eſſe hoſtium numerum sciebant, se tamen superiores futuros rebantur: idque cauſſae fuiſſe Sulla tradidit, cur non in oppida dispergerentur, quod ille facturos timuerat. Ergo faciles duci, quo imperatoribus videretur, Teanum Sidicinum proceſſerunt.

Capitolii incendium. IV. Inter eundum Pontii cujusdam servus fanaticus adiit Sullam, victoriamque se ei nunciare dixit Bellonae juſſu: ceterum, ni maturaret, Capitolium arsurum: idque factum eſt ante diem pridie Nonas Quintiles, quem ille diem praedixerat. Ea res prodigii loco habita, quod summae religionis templum, supra annos quadringentos accuratiſſima cuſtodia servari solitum, ne origine quidem incendii cognita, unam intra noctem deflagraſſet. Libros quoque Sibyllinos, quos in ea aede Tarquinius locaverat, ille ignis hausit. Aeditui negligentiam alii, quidam insidias fuisse; id quoque varie, Carbonem aliis aut conſules, aliis Sullam incuſantibus; magna pars flammam divinitus immiſſam, uti cuique mens dictaverat, cogitata pro compertis adferebant.

Belli Sullani prodigia. V. Veſtae templum sub idem tempus ignibus correptum minime certis incendii auctoribus traditur, et motu terrae multa in urbe templa corruiſſe, inter iſtius belli prodigia relatum eſt. additur et mulae partus: et mulieris nixu serpens in Etruria apud Clusinos editus, qui, juſſu haruſpicum in profluentem dejectus, adversa aqua nataverit. Sed omnia haec pro Sulla faciebant; dum, adverſariis aſpera et foeda quaelibet

Cap. III. Plut. Oros. 5, 20. Eutrop. Appian. Plut. Appian. Cap. IV. Plut. Euseb. Chron. et 4. Praeparat. 81. Plut. Appian. Tac. Hiſt. 3, 72. Cic. in Verr. 4, 31. Dionys. 4, 70. Jul. Obseq. Cap. V. Cassiod. Chron. Tac. Cic. Euseb. Praeparat. 4, 81. Appian. Jul. Obseq.

timentibus, hujus partes utiliore stultitia suae victoriae caussa Deos ista omnia moliri interpretantur. U. c. 669. A. C. 83.

VI. Ergo, multis bonisque ad eamdem spem confluentibus, quotidie egregia incrementa sumebant. Metellus praecipuo suscitamento erat, quem, sanctae integraeque constantiae virum, numquam adhaesurum illi caussae putabant, nisi justiorem esse patriaeque utiliorem cognovisset. Etiam contrariae factionis multi ad Sullam accedebant, quorum vel praecipuus P. Cethegus, qui cum Mario pulsus in exsilium fuerat, eodem se contulit, ad omnia, quae animo Sullae collibuissent, ministerium suum offerens. Mox etiam, deserto Carbone, quaestor ejus Verres, interversa pecunia publica, mutavit fidem. L. quoque Scipionis consulis quaestor M. Piso, quum sequius de partibus illis judicaret, neque pecuniam attigit, nec ad exercitum profectus est. *Q. Metellus auctoritatem Sullanis partibus concilia.*

VII. C. deinde Carbonem, Cnaei fratrem, milites, paullo severius exigentem priorum temporum disciplinam, facta seditione trucidarunt. Ita et adversariorum deficiebant vires, et Sullanae copiae in dies augebantur: dimissique passim duces haud poenitendo successu agebant. Nobiles enim juvenes, qui frequentes ad Sullam concurrerant, ubi cujusque utilissima videbatur futura opera; ad eam destinabantur. Horum M. Crassus, in Marsos ire jussus, quum ob hostes propinquos praesidium postularet; vehementi oratione Sulla, *Do tibi patrem tuum*, inquit, *fratremque et amicos, quorum indignae interemptorum persequor a sceleratis poenas.* Sic incitatus adolescens impigre perrupit, magnisque celeriter conscriptis copiis, utilem eo bello operam praestitit. *M. Crassus increpitus a Sulla.*

VIII. At ipse imperator, qui L. Scipionem cum magno exercitu in propinquo, multos alios duces validis copiis subnixos passim tendere sciret, imparem se viribus ratus, denuo ad pacis negotium adjecit animum. Quidam dolo id factum arbitrantur, non improbabili conjectura, quod sociali Mithridaticoque bello iisdem artibus hostes circumvenerat. Sed Romani scriptores, quibus plus ceteris tribuas in patriis re- *Sulla de pace cupit colloqui cum Scipione.*

Cap. VI. Vell. Dio apud Vales. Appian. Cic. in Verr. 1, 13. 14. Cap. VII. Val. Max. 9, 7. Vell. Plut. Crasso, c. 9. Cap. VIII. Appian. Plut. Sull. c. 54. Appian. Plut. Liv. Epit. Vell. 2, 25.

U. c. 669. A. C. 83.

bus, bona fide certoque proposito quaesitam ab eo concordiam testantur.

IX. Neque recusavit Scipio, quin, acceptis obsidibus, extra castra in colloquium prodiret. Terni tantum colloquuti sunt: quo magis, quid utrimque dictum fuerit, latet, nec in vulgus emanavit. De auctoritate tamen senatus, de suffragiis populi, et de jure civitatis collatas esse conditiones, ipso rerum indicante statu, credebatur. Hoc unum constat, pactis induciis, Q. Sertorium ad Norbanum consulem missum esse, quod Scipio, collega ignorante, de tantis rebus quidquam pacisci gravabatur. Sed Sertorius in eo itinere Suessam, quae Sullae partibus se applicaverat, occupavit. Ea de re quum Sulla quereretur, consul, incertum conscientiane violatarum induciarum, an ut in re subita consilii inops, obsides reddidit.

Sertorius Suessam occupat.

X. His rebus quum abrupta spes pacis esset, exercitus consulis vehementer offensus, quia, si convenisset, tolerabilis status civitatis sperabatur, aures corruptoribus praebuit, quum, permisso colloquio, dux callidus milites, ad eamdem fraudem compositos, subinde ad castra Scipionis mitteret. Ii percunctando, *quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis augeretur*, postquam volentia acceperunt; *Sullae benignum imperium, infinitam liberalitatem, nec imperatorem sibi, sed patrem, divina quadam sorte obtigisse*, praedicabant. Rebus utrimque constitutis, ut propius suggredienti Sullae se conjungerent, Sulla per speciem hostilia castra oppugnandi cohortes viginti admovit; sed, praeparatis omnium animis, castra sine vulnere introitum. tum vero universus Scipionis exercitus, quadraginta cohortes, signa ad eum transtulerunt. Solus cum filio Lucio consul in tabernaculo deprehensus est: non utique magno boni imperatoris argumento, quem vulgata totis castris militum inclinatio fefellisset: quum praesertim esset a Q. Sertorio praemonitus.

Scipionis exercitus a Sulla corrumpitur.

XI. Sulla Scipiones dimisit inviolatos: additis equitibus, qui eum, quocumque vellet, tuto deducerent. Atque ille, ubi primum urbem amicam attigit, resumptis magistratus insignibus, iterum copias haud con-

Cap. XI. Plut. Appian. Cic. Phil. 12, 11. Appian. Cap. X. Cic. Phil. 13, 1. Plut. Sall. apud Donatum, et Incert. 6. Plut. Sall. Incert. 14. Appian. Liv. Epit. Plut. Vell. Appian. Plut. Sertor. c. 8. Cap. XI. Diod. apud Val. Vellejus.

temnendas comparavit. Idem Sulla beneficium multis aliis, et nominatim Q. Sertorio praestitit; qui, desperatis rebus, in Hispaniam, jam olim provinciam eam sortitus, se contulit, maximum paullo post incendium belli excitaturus. Fertur, his auditis, Carbo dixisse praesentibus, *bellum sibi cum vulpe et leone animum Sullae inhabitantibus esse, sed cum vulpe periculosius.* At Sulla post victoriam aquas ad montem Tifata, ubi cum Norbano pugnaverat, salubritate nobiles, agrumque circa Dianae dedicavit, cujus numini sacrata illa regio erat. U. c. 669. A. C. 83. *Carbonis vox de Sulla.*

XII. Inter haec novum se in Italia sidus ostendere coepit, Cn. Pompejus, Cnaei filius, ejus qui Asculum ceperat, trium et viginti annorum adolescens; sed mox clarissima fama cuilibet senum imperatorum conferendus. Hic in Piceno forte agebat, quum ad Sullam undique concurrere probatissimum quemque cognovit. hoc stimulo adjecit et ipse has ad partes animum, non tamen ut contemptus et tamquam opis egens, sed firmamentum, quibus accederet, partium, et cum beneficio veniret. Igitur, sollicitatis paterni exercitus reliquiis, quum Vindius quidam Pompejum ex ludo subito concionatorem factum exclamasset; tantus adolescentis favor fuit, ut, a multis simul impetu facto, Vindius e vestigio opprimeretur. In foro igitur Auximatium erecto tribunali, ducem partium professus, Ventidiis fratribus, qui principes civitatis, et Carbonianae factionis erant, excedere jussis, delectum habuit. *Cn. Pompejus adolescens exercitum pro Sulla comparat.*

XIII. Ab hoc initio quum vicina quaeque sibi adjungeret, Carbonianos ubique proturbaret, brevi in tantum auctus est, ut tres integras legiones sub signis duceret. Neque huic exercitui commeatuum ceterarumque rerum idoneus apparatus deerat. Ipsius permagnus apud militem amor, magna apud omnes admiratio erat, qui in illa aetate nihil remissum aut juvenile, sed omnia magnis ducibus solita agitabat. nullus illi labor taedio, nulla defatigatio molestiae erat. cibi vinique temperans, somni parcus, curae corporis negligens, majorem dierum noctiumque partem bellicis aut operibus, aut certe cogitationibus conterebat. frequenter inter milites exercens corpus, cum *Et statim egregium ducem agit.*

Cap. XI. Appian. Plut. Sert. Plut. Sull. Vell. Cap. XII. Dio apud Vales. Liv Epit. Val. Max. 5, 2, 9. Plut. Pomp. c. 9. Hirt. de bello Afric. c. 22. Vell. 2, 29. Zonar. Plut. Cap. XIII. Liv. Epit. Appian. Plut. Diod. apud Val.

U. c. 669
A. C. 83.

alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Belli quoque incerta ante experimentum ingenio et meditatione praecipiens, tantus statim dux exstitit, ut, quanto tempore vix paratum exercitum alius accepisset, ipse privato consilio delectum confecerit, militesque armatos eduxerit ad pugnam. Neque latebras aut avia, quibus ignoratus tutusque ad Sullam perveniret, sectabatur. palam incedens, quascumque inter eundum regiones attingebat, ad communem caussam adducere nitebatur.

Ad Sullam proficiscens,

XIV. Haec ubi Romam perlata sunt, quia supra fidem erant aetatem potius Pompeji, quam indolem, aestimantium, tamquam ineptis nunciis in majus aucta spernebantur. sed, posteaquam certiore fama innotuerunt, senatus Junium Brutum proficisci adversus illum jussit. Jam et Carrinas, et Coelius, cum suis quisque copiis, eidem se diversis ex partibus objecerant. Igitur, tribus hostilibus exercitibus cinctus, in Brutum summa vi convertit. Primi utrimque equites concurrerunt: nam Gallicum equitatum Brutus adduxerat. ibi, provectus ante signa adolescens, insigni robore Gallum, qui et ipse ex diversa acie procurrerat, lancea dejectum interfecit. unde timor incessit hostibus, et mox fuga; suorumque in aciem impacti, peditem quoque turbatum averterunt. Sic fuso Bruti exercitu, quum inter reliquos duces orta discordia esset, alius alio castra moverunt. Pompejus oppida, discessu eorum praesidiis nudata, voluntate incolarum recepit.

In itinere Brutum vincit.

Mox Scipionem, et Carbonem.

XV. Mox Scipio consul cum exercitu occurrit, non meliore, quam antea contra Sullam, eventu. nam milites ejus, simulatque Pompejanos conspicati sunt, salutatione facta, ad illos transierunt. Postrema cum Carbone lucta fuit, ad Aesin flumen multas equitum alas objiciente. Sed ille in loca iniqua detrusos, quum evadendi via non esset, cum armis equisque in deditionem accepit.

XVI. Ignarus horum Sulla, qui nihildum aliud, nisi de primis Pompeji conatibus, audierat, et de adolescente sollicitus, ne per tot hostium exercitus per-

Cap. XIII. Sall. apud Veget. de Re Milit. 1, 9. Diodor. Vell. 2, 29. Plut. Cap. XIV. Diodor. Plut. Zonar. Plut. Diodor. Plut. Cap. XV. Zonar. Plut. Cluver. Ital. Ant. 2, 5. Oros. 5, 20. Plut.

rumpere non posset, in occursum ejus expeditam manum duxit. Hoc ubi Pompejo compertum, neque longe abesse Sullam, ornari signa, armari ordinarique exercitum jussit, ut imperatoris oculis quam pulcherrimam speciem objicerent. magnos enim ab eo honores, nec immerito, sperabat. spe tamen majores adsequutus est. U. c. 667. A. C. 85.

XVII. Nam, ut eum accedere ad se Sulla, simulque tres aquilas, et egregiam sub signis juventutem, rerumque gestarum conscientia alacrem adspexit, desiliit ex equo, appellatusque, ut par erat, a Pompejo *Imperator* vicissim *Imperatorem* illum salutavit: multum mirantibus, qui nominis hujus honorem adolescenti tributum iri minime exspectassent ab eo Sulla, qui de isto cum Scipionibus et Mariis dimicaret. Cetera quoque ad eamdem formam comitatis fuere. Pompejo venienti adsurgere de sella, caput aperire: quae postmodum etiam dictator privato servavit, unum omnium Pompejum hoc honore dignatus. *Igitur valde honoratur ab Sulla.*

XVIII. Sed et consilia eum eo communicabat omnia, et plurimum in ejus virtute reponebat spei. Aliquando etiam egit cum eo, ut in Cisalpinam Galliam eum imperio proficisceretur. *Est enim ibi*, ait, *Q. Metellus, vir optimus et bello non spernendus. Sed, nescio quomodo, segnius ibi res gerit, quam haec tempora desiderent. Nobis maxima in celeritate spes est: nisi quamprimum vincimus, vincimur. Et hic quidem omnia prosperrime decesserunt; pacati, quotquot a tergo reliquimus, populi; tua virtute alii adjuncti: duo hostium exercitus fusi fugatique, totidem ad nos sponte concedentes, et initium victoriae magnificum, et partem haud exiguam fecerunt.* *Qui et mittere eum cupit in Galliam cum imperio.*

XIX. *Est tamen adhuc adversariis permultum virium: neque temere debilitentur, quamdiu Cisalpinam tenere Galliam possunt, unde illis novae semper copiae submittantur, etiam trans Alpes colentium adfluentibus haud paucis. Et hunc in usum digressus a me Metellus erat. sed video senescentem ejus virtutem juvenili fervore excitandam esse. Tibi viget aetas, viget gerendarum rerum cupido. nec ideo cautionis eges, animum prudentiamque tuam paucis mensibus majore documento approbasti, quam edere multi veteres imperatores potuerunt. Abi ergo bonis avibus, et illas nobis provincias recipe. non magis illic pares tibi hostium duces erunt, quam fuerunt, quibuscum hactenus es congressus. Ego hic facile sustinuero bellum. Si et* *Quod ibi Q. Metellum segnius administrare res putabat.*

Cap. XVII. Zonar. Plut. Sall. Hist. 5, 2. Appian. Plut.
Cap. XVIII. Val. Max. 5, 2, 9.

U. c. 669. A. C. 83. *ab illa parte superiores simus, haud dubitanter e tyrannorum manibus recuperabimus rempublicam.*

Sed Pompejus modeste renuit,

XX. Haec ubi Sulla dixerat, Pompejus, quamvis in illa aetate et fortuna, modestiae satis tenax, negavit rectum sibi videri, si natu et dignitate majori provinciam extorqueret. *Neque vero, te mandante, quidquam negotii defugiam. non cepissem haec arma, certe non ita cepissem, si laboribus et periculis potuissem absterreri. Sed Q. Metellus is sane vir est, quem a me adfectum injuria videri nolim. Fortassis etiam per se res ita geret, ut fortunae tuae desiderioque respondeat. Quod si forte in tantum impar hosti futurus est, ut sustinere eum posse diffidat, haud dubie mittet ad te literas, et consilium rebus suis auxiliumque postulabit. Ipso porro arcessente, promptus et lubens ibo.*

Invito Metello iturum.

XXI. *Et hanc sententiam tibi quoque probari non dubito, Imperator, cui et ipsi fuisse viderer justo cupidior, si provinciam oblatam statim acciperem. Sed et nobis, qui pro legibus et republica gerimus bellum, honestius fuerit nihil commisisse, quod illis parum congruere videatur. Neque fortassis utile sit, Q. Metellum, tanta nobilitate et gratia virum, offendi. nam propter illum, et si qui praeterea sunt ejus similes, optimatium partes vocamur: et, quemadmodum illius favor multorum tibi adjunxit animos, ita multi se laesos in uno putabunt. Praeterea mortalium omnium fata dispensat DEUS. qui si forte de me aliquid in illa provincia secus decerneret, jam omnium conviciis non mea solum temeritas, sed tuum quoque consilium vapularet.* Ita res dilata est, donec eam in sententiam paullo post ab ipso Metello literae venerunt.

Nobilitas, urbe relicta, ad Sullam venit.

XXII. Inter haec propemodum tota nobilitas, urbe relicta, in castra Sullana venerat: robur simul partibus, simul speciem ac decus adferens. Neque tamen ex diverso leve momentum in consensu consulum erat; et ad summi imperii nomen ex omni Italia, et Circumpadana Gallia ingentes copiae confluebant, quibus ferme apparatibus utrimque, quod reliquum aestatis erat, consumptum est: ita tamen, ut nec ab expeditionibus cessaretur, partium ducibus hinc inde, ut cuique occasio adesse videbatur, omnia tentantibus.

Cap. XXII. Plut. Sull. c. 53. Liv. Epit. Appian. Liv. Epit.

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI SEXTI.

Quum C. Marius, C. Marii filius, consul ante nos viginti per vim creatus esset, C. Fabius in

Quum C. Marius, C. Marii us] Scribe deleta conjunctio- C. *Marius, C. Marii* etc. *tus est. C. Fabius in Africa.* R. GRON. C. Marii septies ulis ex Julia, amita C. Julii saris, filium fuisse, disertis bis prodidit Plutarchus initio e Caesaris. Viros doctos, qui Marii hujus filium adopti- fuisse crediderunt, refellit, larios, quorum circa haec pora mentio apud veteres est, rate distinguit Perizonius A- Hist. cap. 3. p. 98. et seqq. um est, quod Glandorp. scri- Mario juniori fratrem Tele- m fuisse. Suspicor, cum in opinionem venisse e verbis lii 2, 27. de Mario juniore: *t, qui concurrentem mu- ietibus cum MINORE TRE TELESINO, una ob- o et erumpente, occubuisse liderint.* Sed ibi *minor fra- Telesinus* non potest esse Te- us minor frater Marii junio- cui nemo fratrem hoc nomi- isse prodidit; sed est, ni ad- m fallor, minor frater Pon- lesini, ducis Samnitium, qui lo ante in proelio adversus m ad portam Collinam ce- rat, ut Vellejus ibidem, et anus 1. Civ. 407. tradunt: enim una cum Mario junio- tenesse obsessum fuisse, et- iam in Epit. 88. et in Orosio 5, 21. scriptum est. Si in Vellejo, pro *Telesino*, liceret legi *Telesini*, vel, abjecta voce *fratre*, *cum minore Telesino*, quod usitatius esse puto, nihil loci errori cujusquam relictum esset. DUKER.

Consul ante annos viginti per vim creatus] De aetate discrepant auctores. Hunc locum ad Octav. Suetonii [cap. 26.] contra Dionem [46, 320.] laudat maximus Casaubonus; quia ille scripserat, Octavium sine exemplo ante annum xx. inisse consulatum. Sed non dubito, quin mendum sit in Epitome Liviana, et, pro *XX*, ad minimum reponi debeat *XXV*, ut ei sic conveniat cum auctore de Viris Illustribus [cap. 68.] Vellejus tamen [2, 26.] annos numerat xxvi. Appianus etiam [1. B. Civ. 402.] 27. GER. VOSS. ad Vell. Pat. 2, 26, 1. *ante viginti annos* Leid. et Berg. Licet in numerum annorum editum consentiant codd. omnes; in eo tamen quin error commissus sit, vix dubito. Plutarchus enim in Mario pag. 425. 426. refert, Marium filium, quo tempore cum patre in exsilium actus est, jam uxorem duxisse; fuga autem ejus accidit sexto ante anno, quam consulatum obtinuit. Hinc, si an-

Africa propter crudelitatem et avaritiam in pra rio suo vivus exustus est. L. Philippus leg Sullae Sardiniam, Q. Antonio praetore puls occiso, occupavit. Sulla cum Italicis populis, timeretur ab iis, velut erepturus civitatem et su gii jus nuper datum, foedus percussit. Idem

no vigesimo aetatis consulatum gessit, uxorem anno aetatis quarto decimo duxisse debuit; quod verisimile non est. Illa etiam, quae in exsilio egisse dicitur, tam immaturae aetati convenire nequeunt.

C Fabius in Africa] Cognomine *Hadrianus*. In Epit. 84. *C. Fabius praetor*. Erat ergo nunc pro praetore, ut recte Oros. 5, 20. *Cui imperium pro praetore erat*. Et ita accipiendum est, quod Cic 5 in Verr. 36. eum et Verrem praetores vocat. nam uterque pro praetore erat. Ascon. in 1. Verr. 27. dubie: *ut alii ajunt, legatus, ut alii putant, pro praetore, vel praetor*. Pro vero habeo, quod secundo loco ponit. DUKER. *Q. Fabius* Voss. Boend. et ed. Camp. Male. V. ad Epit. 84 De C. Fabio Hadriano vide Haverkamp. in Comm. ad Thes. Morell. tom. 1. p. 171. et ad Oros. 5, 20. Tum *in Africam* perperam Boend. Norv. et edd. vett.

Propter crudelitatem et avaritiam in praetorio suo] Sic etiam Ascon. l. d. Quod his *praetorium*, Ciceroni ibi *domus* est. *Uticae domi suae vivus exustus est*. V. Perizon. Dissert 1. de Praetor. §. 30. et Diss. 2. §. 5. DUK. *et avaritiam suam* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quorum primus vicissim omittit vocem *suo*.

Sardiniam, Q. Antonio praetore pulso et occiso, occup Sardinias male Leid. qui per voces *et occiso* omisit. dem etiam abfuisse videt codice, quo Pighius usus Quamvis enim in Annal. ad ɔɔcLxx. pag. 248. quo praet Antonius gessit, promiseri anno sequenti de ejus exitu rum, attamen ad A. V. ɔɔc pag. 254. et ad A. V. ɔɔcLxxII tantum a L. Philippo Sulla gato provincia pulsum fu laudato etiam hoc loco, re caedis vero nullam menti facit. Mox *erepturus civi* Berg. Lovel. 2. et Exc. Pit Deinde *et suffragiis jus n dati* Leid. quasi vellet *et su gii jus nuper dati*. Sed mutandum.

Itemque, ex fiducia jam tae victoriae, litigatore quibus adhibebantur vad nia, Romam deferre jussit ge ex veterum librorum au tate, Claudio Puteano adfi te, *Idemque, ex fiducia certae victoriae, litigat a quibus adibatur, vadi um Romam differre jussit* Scholion hoc Sigonii ita c ptum demum apparuit in e ne Ven. quae eo mortuo p anno 1592. Primae edd. *Itemque, ex fiducia jam victoriae, litigatores, a q adhibebantur vadimonia mam deferre jussit*. pro prioribus Scholiorum ed bus legebat, *Itemque, ex*

fiducia jam certae victoriae, litigatores, a quibus adibatur, vadimonia Romam differre jussit, cum a parte diversa urbs adhuc teneretur. L. Damasippus praetor, ex voluntate C. Marii consulis cum senatum contraxisset, omnem, quae in urbe erat, nobilitatem trucidavit, ex cujus numero Q.

jam certae victoriae, litigatores, a quibus adhibebantur, vadimonium Romam deferre jussit. quomodo etiam Lavinius legebat. *Itemque* servant Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. pro quo recte *Idemque* praefert Leid. 19. V. ad Epit. 69. Hinc *jam fiducia* Boend. et ed. Camp. Vocula *jam*, incertae positionis in Mstis, omittit Leid. *adhibebantur, vadimonia Romam deferre* Leid. *adhibebatur, vadimonia Romam deferre* Berg. et Lov. 2. *adhibitur, vadimonia Romam deferre* Boend. *adibatur, vadimonia Romam deferre* Voss. *vadimonium* Exc. Pithoei. Veriorem lectionem Puteanum Sigonio subesse existimo, nisi quod forte vocula *jam* insuper inducendum sit. V. Brisson. de Verb. Sign. in voce *Adire:* ubi locutionem *adire judicem, magistratum* exponit.

Damasippus praetor] Hunc Appian. 1. Civ. p. 403. *Brutum* vocat, in quo eum erroris arguunt viri docti. Pighius putat, eumdem, qui omnibus aliis *Damasippus* est, ab Appiano *Brutum* dici, quia duo habuerit cognomina. Nam in A. V. 664. praetorem urbanum habuit *Junium Brutum Damasippum*, eique tribuit, quae deinde Appiano de Damasippo, et in Epit. Livii de L. ut ibi ante dictum erat, Bruto leguntur. Hoc dictum est ad Florum 3, 21, 20. *Junium Brutum* inter duces Marianos fuisse, certum est. Nam Diodorus Siculus in Exc. Peiresc. pag. 410. scribit, quum Pompejus privatus adversus Marianos rem gerere coepisset, a senatu adversus illum missum fuisse *Junium*. Eum autem Plutarchus, in vita Pompeji de eadem re agens, Brutum vocat. Sed eum Damasippum fuisse, et omnia, quae de hoc referuntur ad Junium Brutum pertinere, non facile demonstrari potest. DUK. *Damascus* Berg. *Damascius* Norv et edd. principes. *Damasicius* Lov. 2. *Damasirius* ed. Camp. *Domastrius* Boend. *Damasipus* deinde reposuit Frob. *Damasippus* Basil. anno 1554. quod supersest in Leid. et Voss. *Damasippus praetor* memoratur etiam Orosio 5, 20. ubi vide Fabric.

Omnem, quae in urbe erat, nobilitatem] Ex aliis patet, hic rem supra modum exaggerari. DUKER. V. Vell. Paterc. 2, 26. App. Al. 1. Civ. 403. et Oros. 5, 20.

Ex cujus quidem numero] Vocabulum *quidem* delendum esse, Gronovius supra monuit ad Epit. 83. Non adparet etiam in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Idem etiam ex contextu omisit Sigonius, licet id in Scholiis monere neglexerit: sed ante Gronovium nemo ei dicto audiens fuit. quin et nuper cum antiquioribus er-

Mucius Scaevola pontifex maximus fugiens in ve bulo aedis Vestae occisus est. Praeterea bellu L. Murena adversus Mithridatem in Asia renova continet.

rare, quam Gronovium veriora monentem audire, maluerunt Freinsh. Doujatius, Clericus, et Crevierius.

Q. Mucius Scaevola pontifex maximus] *Q. Mucius augur, Scaevola pontifex maximus* Leid. cujus lectionis auctor aliquid audivisse videtur de duobus Muciis Scaevolis; altero augure, altero pontifice maximo, eodem tempore viventibus. Verum, eos diverso tempore obiisse, et pontificem maximum auguri superfuisse, constat ex Cic. d. Amicit. 1. *Eram deductus ad Scaevolam,* (augurem) *sumta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem.* etc. *Quo mortuo, me ad pontificem Scaevolam contuli.*

In vestibulo aedis Vestae occisus est] Paterculus ait [2, 26.] Scaevolam in curia Hostilia trucidatum fuisse. DELR. Vide ad Florum 3, 21, 21. Scaevolam non procul a curia occisum scribit Appian. 1. Civ. 404. in curia Hostilia Vellej. 2, 26. DUK. Dissensus hic auctorum maximam partem tolli poterit, si statuamus, aedem Vestae et curiam Hostiliam, in quam Damasippus senatum convocarat, vicinas fuisse. Ita enim Appianus scripserit, Scaevolam non procul a curia occisum esse, quia occisus est in aede Vestae curiae vicina: Vellej. vero in curia Hostilia, quia id facere percussores constituerant, licet tamen inde aufugie persecuti consilium in pro aede Vestae perfecerint. Cu autem Hostiliam et aedem V non longe a se remotas fuiss de patet, quod in eadem r ne, nempe Foro Romano, fuisse dicantur apud P. Vict Festum Rufum in Descr. Rom.

Bellum ab L. Murena a sus Mithridatem in Asia vatum] *ab L. Muraena* G vius edidit anno 1665. quum fuisset *a L. Murena;* quo iam in Exc. Pithoei, et Nor peresse, Hearnius testatur. *a ab,* praeferunt etiam omne Deinde, *Murena* sine diph go scribendum esse, confi Fast. Capit. ad A. V. 1occxx ex nummis familiae Liciniae diphthongum praeferunt, n a pisce *Muraena* deducun Graecis *Μύραινα* dicitur. V nut. ad Cic. Orat. pro Mur princ. et 13. ad Fam. 22. V Graeci cognomen hoc gen ciniae scribunt *Μουρήνα* Plut. in Cat. Utic. pag. 769 in Mithr. 213. 235. Dio C p. 522. Hinc *adversum M datem* Boend. V. ad Ep Idem autem cod. cum ed. non agnoscit voces *in Asi* male. Prius bellum cum M date ejusve ducibus partii la in Europa, partim Fim Asia gesserunt. At hoc sec cum eo in Asia tantum r tum est.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LI.

IN LOCUM LIBRI LXXXVI. T. LIVII.

I. Anno sequente C. Marius C. F. C. N. ante aetatem per vim creatus consul, collega Cn. Carbone, honorem iniit: quem, ut immaturum periculoque plenum, Marii mater acerbe flevisse dicitur. Is adolescens, C. Marii fratre genitus, a patruo adoptatus, quo aetatis anno consulatum ceperit, scriptores dissentiunt. quinque, aut sex, aut septem annis vicesimum egressus apud diversos reperitur: sed, ut Livianis reliquiis adhaeream, quae minorem annis viginti faciunt, ea quoque ratione adducor, quod nihil ab eo ante haec tempora gestum traditur, quum ejus rei, si adfuisset aetas, occasiones multas fuisset habiturus: quodque C. Marius senex ideo se bellum Mithridaticum appetere, quo, se potissimum magistro, filius militiae rudimenta poneret, jactaverat.

U. c. 670. A. C. 82. C. Mario, Cn. Papirio III. Coss.

C. Marii mater immaturum honorem filii deflet.

II. Acris eo anno hiems quum impedimento rebus gerendis esset, eo intentius cogendis ad bellum pecuniis consules incumbebant. Et, ne militibus stipendia deessent, festinantibus in summa inopia Patribus, senatusconsultum, quale tum potuit, factum est, *ut aurea atque argentea templorum ornamenta conflarentur.* Principio veris ad Aesin fluvium, Galliae tum Italiaeque terminum, Q. Pius cum legato Carbonis Carinate signis collatis dimicavit. Ab orta luce ad meridiem summa utrimque contentione pugnatum quum esset, Carboniana acies loco cessit, multis ex suo numero desideratis. Idcirco vicinis ad Metellum deficientibus,

Templorum ornamenta conflantur.

Cap. I. Fasti Capit. Liv. Epit. Auct. de vir. illustr. in Marilio. Appian. Auctor de viris illustr. Vell. 2, 26. Appian. Supra, 77, 16. Cap. II. Appian. Val. Max. 7, 6, 4. Sallust. apud Donat. et Incert. 2. Val. Max. Strabo, l. 5. p. 227. Oros. 5, 20. Appian.

U. c. 670. A. C. 82. consul Carbo ingentibus copiis adfuit, tam prope collatis castris, ut viribus superior obsessum tenere hostem videretur.

C. Fabius Hadrianus in praetorio suo vivus exuritur.

III. In Africa deinde res turbatae, praetorque C. Fabius Hadrianus propter avaritiam ac crudelitatem in cives Romanos, qui Uticae commorabantur, in praetorio suo vivus exustus est. Quippe homo nequissimus regnum Africae adfectare, coactaque servorum manu de principum nece conspirasse dicebatur. Nulla postmodum de hac re quaestio fuit, non solùm ob tempora reipublicae, sed quia justam fuisse ultionem consensu senatus et omnium credebatur.

IV. In Sardinia quoque civilia arma se commoverant, vincentibus et ibi Sullanis: et a legato Sullae L. Philippo provincia, Q. Antonio praetore pulso et occiso, occupata est. His partium successibus quum nihil magis obsistere, quam metus Italicorum populorum videretur, ne, Sulla rerum potitò, jus civitatis et suffragiorum recens acceptum amitterent: Sulla, missis, quos apud unamquamque civitatem valere gratia et auctoritate noverat, foedus cum iis percussit: tanta jam fortunae suae fiducia, ut, a quibus aditus fuerat, litigatores Romam differre vadimonium juberet, quamquam urbs adhuc adversae factionis armis tenebatur.

Sullae fiducia.

Marius per Damasippum principes multos tollit.

V. Quibus rebus quum exulceratus C. Marii consulis animus esset; adolescens paternae saevitiae, scripsit a L. Brutum Damasippum, *ut Sullanae factionis principes trucidaret:* velut imminente jam fato, in antecessum ultionem rapiens. Ille, convocatos in senatum quasi de republica consulturus, (praeturam enim urbanam gerebat) C. Carbonem, cognomento Arvinam virum praetorium, consulis fratrem patruelem, et P. Antistium, socerum Cn. Pompeji, in curia Hostilia trucidavit. L. Domitius fugiens circa fores interemptus est.

VI. Q. Mucius Scaevola pontifex maximus, vir laudatissimae vitae, ad vestibulum Vestae confugerat: se ad

Cap. III. Liv. Epit. Cic. in Verr. 5, 36. et 1, 27. Val. Max. 9, 10. Oros. Pedian. in Cic. Verr. 1. Cap. IV, Cic. in Verr. 1. Val. Max. Liv. Epit. Cap. V. Appian. Plut. Mar. c. 8. Liv. Epit. Flor. 3, 21. Oros. Appian. Val. Max. 9, 2. Val. 2, 26. Cic. ad Fam. 9, 21. Plut. Pomp.

ad aras occisus sanguine suo simulacrum respersit: ut inane numen, et in tanta infamia pudoris expers, cruore saltem indefensi clientis erubesceret. A suis quidem cultoribus ità contemptum est, ut per eos minime steterit, quo minus, in ipsis penetralibus mactatus, sempiternum illum horrendae religionis ignem sanguine suo restingueret. Neque satiatus caedibus praetor, ni ludibrium etiam crudelitati adjecisset, truncum Carbonis corpus patibulo adfixum circumgestari jussit: ceterorum quoque corpora per carnificem unco tracta, atque in amnem abjecta sunt. Uxor Antistii Calpurnia, Bestiae filia, quum de casu mariti cognovisset, gladio semetipsam interemit.

U. c. 670. A. C. 82.

Calpurnia, occiso marito, sibi conscisce necem.

VII. Dum ad hunc modum Italia ceteraque Europae bellorum violentia inhorrescunt, Asiam denuo, Mithridate irritato, L. Murena concussit. Is, relictus a Sulla cum Fimbrianis legionibus, ut Asiam ordinaret, triumphi cupiditate belli novandi caussas circumspiciebat. Mithridates, in patrium regnum reversus, bellum Colchis atque Bosporanis faciebat, qui Romani belli tempore ab imperio ejus defecerant. Colchi Mithridatem filium regis, eum cujus adversus Fimbriam praeclara tametsi infelix opera fuerat, regem deposcebant: votique compotes facti statim arma deposuerant. Ergo Mithridates, ingenio et peritia rerum suspicax, filii profecto astutia rebellionem eam coeptam arbitratus, quo sibi regnum Colchorum extorqueret, ad se comiter vocatum compedibus aureis vinxit, et paullo post interfecit: minime recenti humanarum mentium fluctatione, ut nunc liberorum caussa quaerant regna, nunc regnorum caussa occidant liberos.

Mithridates filium interficit.

VIII. In Bosporanos deinde adeo magnam copiarum navium que collegit multitudinem, ut plerique contra Romanos magis haec omnia parata interpretarentur, quam quos ille volebat invasurus videri. Suspiciones horum haud parum movere credebatur, quod Mithridates Ariobarzani Cappadociam ita restituerat, ut tamen loca aliquot opportuna tum quoque retineret.

IX. In hac aegritudine animorum quum ad Murenam Archelaus cum uxore et liberis perfugisset, adeo

Archelaus ad Murenam perfugit.

Cap. VI. Appian. Liv. Epit. Flor. Cic. de Or. 3, 3. Aug. de Civ. Dei, 3, 28. Diod. apud Val. Lucan. 2, 126. Val. Max. Oros. Appian. Vell. Plut. Cap. VII. Liv. Epit. Appian. Mithrid. Cap. IX. Oros. 6, 2. Dio, l. 39.

U. c. 670. A. C. 82.

magnum ad omnia momentum attulit, ut jam nemo, quin suscipiendum esset bellum, dubitaret. In magna illum invidia jam a tempore Chaeronensis pugnae fuisse, supra ostendimus: neque eximi regi poterat, aequioribus conditionibus transigi potuisse, si magis ad suam gratiam, quam ad Romanam, Archelaus respexisset. Igitur ille non ignarus, suspicacem regis animum ne liberis quidem parcere, fuga salutem adeptus, etiam vindicari volebat. Quoque magis moveret Murenam, sponte sua satis in hanc sententiam proclivem nactus:

Eumque ad bellum incitat.

Ducum regiorum ancipitem statum exaggerat.

X. *Haec*, inquit, *regum fides est, Murena! quanto quisque pluribus modis gratiam eorum meruit, tanto plerumque est suspectior. Amicos uti non caritate, sed ex usibus suis, deligunt, ita, simul eorum ruinam rebus suis utilem esse crediderunt, (vere, an falso, in eam inciderint opinionem, nil refert) quominus crudelissimis exemplis eos pessumdent, nullo adfectu retinentur. Sed prae ceteris eorum anceps et lubrica est statio, qui magnis exercitibus praeficiuntur. Quippe, sive feliciter ipsis res decedit, invidia; sive improspere, suspicionibus onerantur: neque dicere queas, utrum sit apud haec ingenia periculosius, quae vincere duces suos volunt, vicisse indignantur. Ego fortunam utramque, ductor copiarum Mithridatis, expertus, non aliud, pro meis meorumque factis, vulneribus, quorumdam et mortibus, praemium exspectare debui, quam ut imperio tyranni occiderer, pro magno habiturus beneficio, si solus hoc paterer, neque liberi mei uxorque una morerentur.*

Operam suam pollicetur.

XI. *Haec et alia, quae non ignoras, vel me tacente, satis indicant, quo animo ei erga illum esse debeam, cujus haud sane meritam crudelitatem fugio; et adversus vos, qui paullo ante hostem, nunc supplicem vestrum, benignissime suscepistis. Ut igitur utrisque gratiam, quam debeo, referam, confirmo tibi, haudquaquam vanus auctor, Mithridatem certo certius rebellaturum. Sed, ut potius vestro, quam illius, tempore incipiatur bellum, interest. Nondum ita paratus est, quin occupari possit. in eo maximum ad victoriam momentum esse nostri. Neque ego tam parum amicitiis ac clientelis valeo, ut non insignem, tum in consiliis hostium indagandis, tum in recipiendis populis, operam navare possim.*

XII. Haec non postrema festinandi belli ratio quum ad priorem cupiditatem accessisset, haud difficulter motus est Murena, ut, exercitu contracto, Cappadociam ingrederetur. Ante omnia, reddita sunt Ario-

Cap. IX. Appian.

barzani, quae ad regnum ejus pertinentia Mithridates retinebat. Comana deinde irrupit, maximam iis regionibus Pontici juris urbem, ubi magnae religionis opulentiaeque templum visebantur. In ejus urbis praesidio rex Mithridates aliquot equitum alas collocaverat. quas ubi concisas a Romanis esse cognovit, legatis ad Murenam missis, pacta cum L. Sulla inita servari postulabat. Forte Graecos quosdam, sapientiae studium professos magis, quam praestantes, Mithridates legaverat. hi, sive gentis odio, sive mores regis perosi, contra mandatum et utilitatem ejus, a quo veniebant, bellum potius Murenae, quam pacem, suadebant. Igitur, quia Sulla, contentus fidem factis repraesentare, tabulas foederis conscribere neglexerat, negabat pacta se videre, ad quae Mithridates provocaret. Hoc responso legatis reddito, statim praedatum dimisit suos, neque profanis, neque sacris abstinens manus: deinde, quia jam tempus anni rebus gerendis ineptum erat, hibernandi caussa in Cappadocia substitit.

U. c. 670. A. C. 82.

Legatorum Mithridatis perfidia.

XIII. De his Mithridates, tum ad Sullam missis, tum ad senatum legatis, querebatur: *Omnia se fecisse, dedisse, quae ex formula foederis et fide bona fieri, dari oportuisset. Romanis Asiam, regibus Cappadociam, Bithyniam, Paphlagoniam restituisse: recessisse intra patrii regni limites, longissimeque remotum a consilio simul et occasione Romani belli diversissimis locis adversus Colchos atque Bosporanos dimicasse. Quum nulla provocatus injuria L. Murena, quem L. Sulla cum imperio in Asia reliquisset, irruptionem in fines suos fecerit: urbes expugnarit: praesidia regia ejecerit, aut occiderit: et, quamlibet occurrente nemine, divina simul ac humana latrocinio ac rapinis vexaverit. Nec hunc injuriarum finem facere constituisse, in Cappadociae hibernis exercitum tenentem, ut, quamprimum tempus anni pateretur, redintegrare bellum posset.*

Mithridatis legatio ad Sullam et senatum,

Querentis de injuriis Murenae.

XIV. *Magnopere igitur postulare, senatus datam sibi pacem praestet: Murenam revocet: res reddere, bellum omittere, injuriis abstinere jubeat. Se nec antea lubenter arma contra Romanos induisse, et nunc passurum omnia potius, quam ut hos iterum hostes habeat. Providendum tamen Patribus, ne talibus factis ea invalescat apud reges et nationes opinio, parum interesse, socii, an vero hostes populi Romani habeantur. Nam cupiditate ducum, licentia militum, sublato, quod interesse de-*

Cap. XII. Strabo, l. 12. p. 535. Appian. Memnon. Appian.

U. c. 670. A. C. 82.

buisset, discrimine, pari violentia et acerbitate omnes tractari. Similia quoque mandata ad Sullam dederat; adjunctis, quae singulariter illum attingebant, qui, pacis ejus auctor, magna a rege ad bellum accepisset auxilia, majora exspectare posset. Haec erant superiore anno facta.

Murena denuo populatur fines Mithridatis.

XV. C. vero Mario, Cn. Carbone consulibus, quum nondum reversi Roma legati essent, Murena, transito Haly fluvio, qui et alias copiosus aquis, tum continuis imbribus supra solitum intumuerat, fines Mithridatis libera populatione persultavit; rege nusquam occurrente, ne bello caussam dedisse argueretur. Sic Romanus in Phrygiam Gallograeciamque onustus praeda recessit.

XVI. Ibi convenit eum missus ab senatu Callidius, qui literas quidem nullas adferebat, palam autem Murenae nunciavit senatus verbis, regem socium amicumque ne lacesseret. Deinde, quia cum solo colloqui conspectus erat, neque Murena ideo minus hostilia faciebat; dolum Romanorum incusans Mithridates Gordium occurrere, et praedatores coërcere jussit.

Sed a rege profligatur.

XVII. Ille, quum et milites multos et jumenta comprehendisset, abductis illis, castra castris Murenae si oppositit, ut interfluente amne dirimerentur. Neuter tamen pugnae tentare fortunam voluit: donec ipse Mithridates cum majoribus copiis supervenit. Tum coepto circum amnem proelio, quum rebus omnibus impar Murena esset, transcenderunt amnem regii, Romanosque, multis caesis, in collem quemdam munitum se recipere coëgerunt. Mox, rege ad oppugnandum collem profecto, quum locus ad resistendum parum aptus videretur, desertus a Murena est: magnoque labore, regiis subinde carpentibus agmen, per montes aviis itineribus in Phrygiam penetratum. Celeriter vulgata tam insperatae victoriae fama multa adjunxit Mithridati: brevique omnia, quae per Cappadociam dux Romanus disposuerat, praesidia dejecta sunt.

Mithridates victor sacrificat.

XVIII. Mithridates, ut bonis suis rebus honore Diis haberet, in alto monte sacrificium Jovi bellorum praesidi patrio more fecit. Ejus haec fuisse ratio traditur. Primus ipse rex in summo montis c

cumine, more Persico, ligna suis manibus allata deponit. tum certatim ab aliis adgesta, postquam in quam maximum fastigium excreverunt, alia circum humiliori strue firmantur. In summo rogo cum melle et lacte vinum oleumque et generis omnis odores largiter adfunduntur. altera pyra, quam humiliorem strui diximus, coenam praesentibus paratam sustinet: qua peracta, ignis subditur. Inde propter copiam materiae, locique altitudinem tantum flammarum emicat, ut ad centum et triginta millia passuum incendium conspiciatur: neque propter ardoris violentiam quisquam eo accedere per dies aliquot proximos possit.

U. c. 670. A. C. 82. *Ejus sacrificii ritus Persicus.*

XIX. Id sacrum Persarum olim reges faciebant Pasargadis. inde transiit ad Ponticos velut haereditario jure, quod ii genere Persarum regum erant editi. Nec alienum est, quo Mithridatis nobilitas et pars majorum cognoscatur, brevem gentis ejus recensionem subnectere.

Unde et Mithridati genus.

XX. Mithridatis, qui tam diu bellavit cum Romanis, eodem nomine pater fuit, Evergetes cognomento: de quo suis locis quaedam memoravimus. Ante hunc regnavit Pharnaces, Sinopensium domitor, quos contra patrem ejus Mithridatem Rhodii defenderant. At Ariobarzanes Amastrin adjunxit regno, nobilem urbem; patris Mithridatis opibus validus, qui Cappadociam et Paphlagoniam annis sex et triginta obtinuerat, valde auctis paterni regni viribus. Pater enim ejus Mithridates angustius imperavit, praevalente Macedonum potentia. Nam Antigonum sectari necessum habuit, ex Alexandri Magni duce potentissimum Asiae regem: a quo etiam fuisset occisus, nisi fuga servasset salutem.

Mithridatis Ottistae historia.

XXI. Somniaverat Antigonus, (res enim est non indigna relatu) se agrum auro conferere; Mithridatem vero demessum aurum asportare in Pontum. Laborat hoc etiam insaniae genere humanum ingenium, ut et praedictionum harum ratam esse fidem putet, et nihilo secius pugnare cum fato conetur. Igitur Antigonus, tollendum de medio Mithridatem ratus, rem totam Demetrio aperuit, filio suo. Atque ille, mi-

Cap. XVIII. Strabo, l. 15. p. 732. Herodot. 1, 31. Appian. Cap. XX. Strabo, l. 10. p. 477. Strabo, l. 12. p. 545. Polyb. 4, 56. Memnon. apud Phot. c. 17. Diodor. l. 20. fin. Cap. XXI. Appian. Mithrid. et Plut. Demetr. c. 5.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LII.

IN LOCUM LIBRI LXXXVII. T. LIVII.

U. c. 670. A. C. 82. *C. Marius L. Sullam ad pugnam provocat.*

I. Sub idem tempus L. Sulla, ducto in Volscos exercitu, Setiam oppidum cepit, non procul inde castra habente C. Mario. qui, audita deditione oppidi, quum prope Signiam ad Sacriportum (id loco nomen) cum quinque et octoginta cohortibus venisset, insequutum Sullam ad pugnam provocavit. Proxima nocte visus Sullae per quietem C. Marius senior fuerat, praecipiens filio monensque, vitaret illum diem, minacem et consiliis suis adversum. Id somnium valde confirmavit Sullam, ut eo potissimum die dimicare optaret. Idcirco, missis, qui Dolabellam arcesserent, (is cum parte copiarum procul castra erat metatus) quadrata acie iter versus hostem facere instituit.

Ejusque copias varie vexat.

II. Nec omittebant Mariani locis opportunis offerre sese, et alibi saxa aut cespitem obmoliendo vias claudere, nonnumquam variis locis ex occasione conserere manus: donec ita defatigati pugnando simul eundoque Sullani sunt, praesertim quia molestus imber accesserat, ut prae lassitudine vix consistere possent. Id imperatori nunciatum a tribunis est, simulque milites ostensi, scutis humi defixis sese sustinentes. Fremens ille frendensque, tempus, quod sibi felicissimum ad pugnam futurum existimaverat, ita perire, signum consistendi castrisque ponendis dedit.

Proelium ad Sacriportum.

III. Ceterum quemadmodum paullo ante certam ejus spem lassitudo militum destituerat, ita tum depositam hostium ferocia reddidit. Marius, cum equitibus ferociter invectus, (fessos enim atque operi intentos fundi posse speraverat) hac ignominiae speci

---

Cap. I. Appian. Civil. l. 1. Plut. Sull. c. 55. Liv. Epit. Plut.

sic accendit veteranum exercitum vincique insolentem, ut, omisso opere, pilisque in margine fossae defixis, gladios stringerent. Hoc initium acerrimi proelii fuit: collatisque signis, aliquamdiu pari contentione animorum dimicatum. donec, inclinante sinistro Marii cornu, priusquam aperta fuga fieret, quinque cohortes cum duabus alis signa projecerunt, et simul transierunt ad hostem. Ea res ceteros in confessam fugam egit, et, insequentibus alacriter, qui paullo recentiores erant, Sullanis, magna fugientium strages est edita. Fenestella cum quibusdam aliis scriptoribus, interfuisse proelio C. Marium, negant: sed vigiliis laboribusque confectum, signo pugnae dato, sub dio quievisse, et, fugiente jam exercitu, vix potuisse excitari. U. c. 670. A. C. 82.

IV. Fuga reliquias exercitus Praeneste abstulit, quod, natura munitum oppidum, Marius etiam praesidiis firmaverat. Sed tanta fuit trepidatio, ut intromissis, qui primi accurrerant, deinde, metu ne una hostes irrumperent, Praenestini clauderent portas: factumque est, ut Marius tum demum superveniens fune demisso in murum subduceretur. Ceteri plerique omnes in conspectu suorum caesi captive sunt. Sulla, viginti millia hostium eo proelio cecidisse, capta fuisse octo, scripsit: suorum tres tantum et viginti desideratos. Samnites, quotquot in manus venerant, occidi omnes, tamquam perpetuos hostes nominis Romani, Sulla imperavit. *Marius Praeneste fugit.*

V. Hujus pugnae fama Carbonem, a quo Metellus graviter premebatur, sic exterruit, ut protinus ex locis, quae ceperat, praesidia deduceret, et cum exercitu Ariminum properaret. sed forte fortuna accidit, ut per idem tempus Metello opem ferens Pompejus adventaret: qui, discessu hostis cognito, castra ejus occupavit; tergisque abeuntium inhaerens, multis occisis, multis ad deditionem pellectis, magna illum exercitus parte spoliavit. Et Metellus alium Carbonis exercitum signis collatis cecidit, facili victoria, quia tum quoque inter pugnandum quinque cohortes hostium ad illum defecerant. Neque multo post Pompejus circa Senas devicit Marcium, et, ut praemium *Carbo vincitur a Pompejo et Metello.* *Pompejus Senas diripit.*

Cap. III. Oros. 5, 20. Appian. Lucan. 2, 134. Plut. Auctor de viris illustr. in Mario Fil. Cap. IV. Vell. 2, 26. Appian. Plut. Appian. Cap. V. Oros. Appian.

U. c. 670. A. C. 82. laboris ſtrenue navati haberent, urbem captam a militibus diripi paſſus eſt.

VI. Sed non sicut indulgens in benemeritos, sic etiam insolentibus lenis aut propitius fuit. Mediolani trucidatus injuſſu suo senatus fuerat: eaque culpa ad multos pertinebat. Pompejus igitur, ne tumultum moverent, si soli evocarentur, veritus, univerſum exercitum adeſſe in concionem juſſit. Sic nocentes, quia cum omnibus acciti erant, aliud quid velle imperatorem rati, adfuerunt: et cetera pars exercitus, quae pura ab illo crimine erat, poſtquam intellecta res eſt, tanto diligentiorem in cuſtodiendis reis praeſtiterunt operam, ne illorum fuga sibi, tamquam consciis ejusdem noxae, imputaretur.

Ejus ſtrategema.

VII. Interim L. Sulla compulſum intra Praeneſtinorum moenia Marium circumvallare coeperat, quia propter loci naturam expugnari armis nequibat. nam supra urbem mons excelſus in altitudinem amplius paſſuum ducentorum quinquaginta consurgebat: haec arx erat civitatis: et ab diversa parte continentibus jugis anguſta cervice jungebatur. Igitur foſſam vallumque e longinquo duci juſſit: operique Lucretium Ofellam praefecit, equitem Romanum, qui nuper e Carbonianis partibus ad se transfugerat.

Sulla, Praeneſtinae obsidioni Lucretium praeficiens,

VIII. Id consilium a quibusdam reprehenſum eſt, non improbabiliter quaerentibus, *cur e tot egregiis, quos circa ſe habebat, viris neminem, ſed obſcurum et ignobilem hominem, ad tantae rei miniſterium delegiſſet? certe foediſſimi propoſiti conſcium humiles potius et ſervituti paratos extollere voluiſſe, a bonis viris haud aeque promptum ad turpia obſequium exſpectantem.* Illa quoque cauſſa subeſſe putabatur, ne praeſtantes virtute ac nobilitate homines consiliorum geſtorumque laudem ad se retraherent; republicaque reſtituta, pari cum illo jure cenſeri aequum putarent. Viles ergo malebat; qui, modicis praemiis contenti, famam potentiamque solidam ad imperatorem transmitterent.

Vituperatur.

IX. Sed paullo ante, quum adverſariorum apparatibus omnis Italia ſtreperet, et ingentes paſſim exercitus contra se ducibus minime contemnendis concitarentur; optimum quemque honeſtiſſimumque maximo

Cap. VI. Frontin. 1, 9. Cap. VII. Appian. Liv. Epit Strabo, l. 5. p. 238. Appian. Plut. Liv. Epit. 88. Vell. 2, 27 Cap. VIII. Dio apud Vales.

ſtudio ambiverat, eorumque opera gratanter erat uſus. O gravem vitae peſtiferamque luem, quae vinculum humanae societatis solvit, maximumque rerum gerendarum inſtrumentum obtundit ac hebetat! Quem enim omnium fidum nobis, noſtraeque utilitatis cauſſa omnia facturum sperare poſſumus; si haec peſſima conſuetudo inolevit, ut, quos ob spem praeſtandae operae caros habuimus, poſt praeſtitam spernamus? U. c. 670. A. C. 82.

X. Ceterum Sulla, rebus ad Praeneſte conſtitutis, Romam petens, omnibus viis globos militum praemittebat, praecipiens, ut exclusi moenibus Oſtiam concederent; recepti, ad portas praesidii cauſſa remanerent. Sed illis non quae in via modo erant urbes, sed ipſa Roma ſtatim patuit, fame urgente populum, et jam inter tot civilium bellorum viciſſitudinem adſuetis hominibus potentiori accedere. Sulla, quum ex sententia rem procedere comperiſſet, nihil cunctatus ad urbem venit, et, copiis in Campo juſſis tendere, ingreſſus bona inimicorum, qui sub adventum ejus omnes profugerant, sub haſta vendidit. *Sullani Romae recipiuntur.*

XI. Advocato deinde in concionem populo, *neceſſitatem praeſentem* miseratus, *quod iterum armatus adire urbem cogeretur, quam contra omnem vim atque omne periculum armis ſuis ſemper ſtuduiſſet defendere; improbitatem atque pervicaciam adverſariorum* incuſavit, *qui neque ſecunda fortuna quieſcere, neque adverſa poenitere didiciſſent.* *Sullae concio.*

XII. *Sibi ſemper certum fixumque fuiſſe, in honorem communis patriae acerbiſſimis adverſariis parcere. Hujus animi ſe non ſuos tantum duces legatosque, ſed ipſum populum Romanum habere teſtem, cui lenitatem ſuam ſemper approbarit, quamdiu ſuo ſe ingenio uti perverſitas inimicorum ſiviſſet. Sed ubi viderit, eosdem illos, quorum injurias patriae condonaſſet, ſuam manſuetudinem pro ignavia accipere, atque, velut impune quidlibet auſuros, ipſi patriaeque eamdem perniciem meditari; vim atque temeritatem improborum virtute ac conſtantia repulſurum, ſceleſtis atque nefariis armis juſta ac pia oppoſuiſſe. Adfuiſſe etiam cauſſae meliori Deos, adfuturosque.* *Lenitatem suam praedicat.*

XIII. *Confiderent igitur Quirites, et, quemadmodum temperando a bonis innocentium, quae diripienda ipſis pravi homines objeciſſent, inſigne edidiſſent benevolentiae ſuae in has partes documentum, ita nihil a ſe aliud, quam quae ipſis eſſent optatiſſima, exſpectarent, paullo poſt, ſublatis discordiis, pacem et, qualem deſiderarent, reipublicae ſtatum viſuri.* *Pacem et bonum reipublicae ſtatum pollicetur.*

Cap. X. Appian. Liv. Epit. Appian.

U. c. 670. A. C. 82.

Id prudentes non credunt.

XIV. Haec ita, uti dicta erant, a plerisque accipiebantur. at, quibus reputatio temporum, et quae paullo ante viderant, acrius exercebant ingenia, rem esse periculi plenissimam autumabant. *Etiam melioribus sæculis, quum nondum quotidianis rebus accenseri bella civilia, et in urbe, in foro, in curia pugnae caedesque, possent; saepe discordiam partium ad sanguinem necemque imbecilliorum pervenisse. Sullam, tametsi mirifice adhuc lenitatem praeferat, ita tamen irritatum ab adversariis esse, ut ab ipsa Modestia vix possit postulari, in tanta vindictae et caussa et occasione, incruenta reipublicae conversio. Neque illum ingenio abhorrere a saevitia, sed tempori dedisse, ne praemature effervescerent. ue sic quidem temperare potuisse, quin evidentia nonnulla crudelis animi argumenta erumperent.*

Priora Sullae facta aestimantes,

XV. *Priore sane bello, quum servatus a Mario ad legiones jam alii decretas redisset, vi ac armis omnium rerum arbitrium arripuisse: urbem occupasse: multisque, ipso conniventе, interim et jubente, occisis, coëgisse senatum, ut complures egregios viros, facultatibus suis exutos, patriae adspectu privatos, hostes judicaret. Sed nec ambitionem ejus minus, quam iracundiam, metuendam esse. Cupiditate bonorum et dominationis multos ingenio mites eo se praecipitare, unde sine suo aut aliorum exitio eniti nequeant. Jam vero ita comparatum in rebus humanis, ut sine ulla cunctatione alios quisque pro se, quam se pro aliis, perire malit.*

Et ingenium civilis victoriae.

XVI. *Non posse exsistere clementem animum in civili victoria: iras, odia, offensas, quamquam mitissimos mores exacerbare. Accedere licentiam summae potentiae: et interdum vel a nolentibus aliquid durius fieri, ut admoneantur homines, quantum victoribus liceat, si velint. Multa quoque contra voluntatem facere cogi, ut satisfaciant adjutoribus victoriae. horum inexplebilem avaritiam nullis umquam opibus exsatiari posse. Sed ad has parandas opus esse crudelitate. Nam et adimi bona innocentibus invidiosissimum esse; et injustissimos, etiam quum facere scelesta nihil pensi habeant, probos tamen videri malle. Nihil ergo reliquum, quam ut, quibus eripere facultates constituerint, eis prius adimant vitam, quo tamquam sontes punivisse credantur.*

Sulla contra Carbonem movet.

XVII. Ceterum Sulla, non diutius Romae moratus, quam ut, curatis instantibus, amicorum quosdam urbanis rebus praeficeret, inde contento cursu Etruriam petiit: quod apud Clusium Carbo consul floren-

Cap. XVII. Appian.

tes copias, ipsum partium robur, contraxerat. Accesserant Celtiberorum alae, quas nuper Hispaniarum praetores consulibus auxilio miserant. Cum his, praecursores Sullae, contracto ad Clanim fluvium equestri proelio, circiter quinquaginta occiderunt; ducentos septuaginta, non captos, sed sponte transgressos, deduxerunt ad imperatorem. Carbo, re cognita, infensus Celtiberis, et parem reliquorum perfidiam metuens, circumdatos valida manu omnes trucidavit. Eodem tempore Sulla cum alia parte copiarum in agro Caletrano circa Saturniam coloniam oppositos sibi hostes vicit: et Metellus, Ravennam navigans, Uritanum agrum planum et frumenti feracem in potestatem redegit. Aliae quoque Sullanae copiae in Neapolitanorum oppidum noctu proditorum opera recepti, promiscua caede compleverunt omnia, triremesque civitatis abduxerunt. Etiam, ut ubique eadem partium fortuna esset, in Spoletinis campis Pompejus Crassusque Carbonianorum tria millia conciderunt, Carrinatisque castra circumsederunt. U. c. 670. A. C. 82.

XVIII. Inter haec Sulla Carboque, capita factionum, apud Clusium ab oriente die ad occidentem commisso proelio, neutro inclinante victoria, tenebrarum superventu dirempti sunt. Carbo deinde copias magnas ad eximendum obsidione Carrinatem misit: quibus insidiae a Sulla positae, et ad duo millia interempti sunt. Carrinas, foedam tenebris et pluvia noctem nactus, ex locis iniquis exercitum ad tutiora deduxit: magis dissimulantibus, quam ignaris, hostibus, quod inter caeca tenebrarum et tempestatis ad proelii laborem aleamque prodire pigebat. *Proelio ancipiti dimicat.*

XIX. Post haec Carbo ad liberandum Praeneste, ubi collegam fame premi compererat, Marcium cum octo legionibus misit. Eas angustis locis insidiae Pompeji quum excepissent, fuga stragesque facta est, et in tumulum quemdam, quod evaserat, rejectum. Marcius, non exstinctis ignibus, ne consilium proderetur, ad Carbonem, ut re desperata, refugiebat: sed, prodita re, seditiosis militum vocibus agitatus, auctorque insidiarum, quas essent passi, appellatus est. Eoque tandem irarum ventum, ut, convulsis signis, pars Ariminum peteret, alii passim domos dilaberen- *Marcius obsidionem Praenestinam solvere conatur frustra.*

Cap. XVII. Liv. 39, 55. Appian. Liv. Epit. Appian.

U. c. 670. A. C. 82. tur: neque ad summam plus septem cohortibus apud ducem permanerent.

Similiter et Italici duces.

XX. Irrita Marcii expeditio M. Lamponium, Pontium Telesinum, Guttam Capuanum, Italicos duces, accendit, ut eo promtius ad auxilium Marii concurrerent. Neque spernendae his vires, septuaginta millia armatorum, erant. Sed ubi hos adventare Sulla cognovit, quibus locis maxime arcta sunt itinera, et necessario transeundum hostibus erat, castra metatus, frustra quaerentes aditum exclusit. Proinde Marius, nullam, nisi in se ipso, spem reliquam videns, inter oppidum et opera Sullae (spatium enim satis magnum intererat) castellum exstruxit, machinisque et copiis ibi collocatis, eruptionem tentavit. Sed quum per complures dies nequidquam se fatigasset, accurrente Sulla, intra Praeneste repulsus est.

Cap. XX. Plut. Appian. Liv. Epit. Appian.

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI OCTAVI.

Sulla Carbonem, exercitu ejus fuso ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque caeso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant, juxta urbem Romanam ante por-

Sulla Carbonem, exercitu ejus ad Clusium, ad Faventiam, Fidentiamque caeso] Membranae Barb. et Voss. et Gud. minor: *exercitu ejus fuso ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque caeso.* J. FR. GRON. *Sulla Carbonem eum, exercitu ejus ad Clusium* Exc. Pithoei. *Sulla Carbonem cum exercitu ad Clusium* Berg. *Sulla Carbonem, exercitu ejus fuso ad Clusium* Leid *Sulla Carbonem, ejus exercitu fuso ad Clusium* Lov. 2. Recte Gronov vocem *fuso* recepit. Nam ad Clusium exercitus Carbonis *caesus* dici nequit, quum, secundum alios, nox proelium illud diremerit, neutro inclinante victoria. App. Alex. 1. Civ. 405. *Αὐτῷ δὲ Σύλλᾳ καὶ Κάρβωνι περὶ Κλούσιον ἐξ ἡοῦς ἐπὶ ἑσπέραν γίνεται μάχη κρατερά, καὶ φανέντες ἀλλήλοις ἰσόμαχοι, μετὰ σκότους διεκρίθησαν.* Alterius proelii ad Clusium, in quo ex Carboniano exercitu viginti millia militum ceciderunt, meminit quidem App. Al. 1. Civ. pag. 407. Verum id demum accidit, postquam Carbo, rebus desperatis, in Africam aufugisset: auctor igitur, si id memorare voluisset, ultimo loco ejus mentionem fecisset. Ceterum triplicem hanc victoriam Sulla non suo ductu, sed per legatos, reportavit. Vell. Pat. 2, 28. *Paullo ante, quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis proeliis partium ejus viri hostium exercitus fuderant: duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam.* Proeliorum ad Faventiam et Fidentiam meminit etiam App. 1. Civ. 406. apud quem nunc vulgo *περὶ τὴν Πλακεντίαν*, pro *περὶ τὴν Φαουεντίαν*, perperam editur Mox *Italiae expulit* Exc. Pithoei. Sed ultima litera in fine prioris vocis, et initio posterioris male repetita est. V. ad 40, 7, 8.

Qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant] Ita Gron. edidit anno 1662. itaque ex auctoritate Voss et Gudianorum legendum monuit ad Epit. 79. quum antea vulgaretur *soli Italicorum populorum*. Emendationem ejus firmant Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. quam etiam servavi, licet Freinshem. Doujat. Cleric. et Crevier.

tam Collinam debellavit: recuperataque republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo millia deditorum in

alteram lectionem recipere maluerint. Praeterea *deposuerant* Exc. Pithoei, Norv. et pleraeque edd. ante Gruteri ultimam, quae emendavit *posuerant*, concinentibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Et recte. Livius 6, 10. *Nepesinis inde edictum, ut arma ponant.* ubi vide. 5, 32. *Positis armis, in deditionem venerunt.* 9, 41. *Una vox ponere arma jubentium per totam fertur aciem.* 44, 15. *Deorum nutu arma sumturos positurosque Romanos esse.* Ita *ponere bellum* 1, 53. *Velut posito bello fundamentis templi jaciendis intentum se esse simularet.* Vide Cortium ad Sallustii Jugurth. 112. ubi, pro *bellum poni*, alii codd.. *componi*, alii *deponi* praeferunt; sed utrumque ex interpretis glossa natum censeri debet, ut hic similiter *deposuerant.*

Juxta urbem Romanam ante portam Collinam] *juxta urbem Romam* Leid. Berg. Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Gronov. qui *urbem Romanam* recepit anno 1665. consentientibus Voss. Lov. 2. et Boend. Vide ad Epit. 49. Alteram lectionem adoptarunt Freinsh. Doujatius, Clericus, et Crevierius. Praeterea vocem *portam* omittunt Voss. Lovel. 2. et Boend. *ante Collinam portam* legit Berg. *ad Collinam portam* Leid. Ita Vell. Pat. 2, 27. *Ad portam Collinam cum Sulla dimicavit.* Eutrop. 5, 8. *Pugnam gravissimam habuit ad portam Collinam.* Contra *ante ipsam urbem portumque Collinam* dixit Oros. 5, 20. *apud Collinam portam* Flor. 3, 21, 23. 24. Mox *recuperata republica* Voss. *reparataque republica* Exc. Pithoei.

Crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit] *in nullo homine unquam fuit* Exc. Pithoei, Norv. et pleraeque edd. ante Gruteri ultimam, quae adscivit *in nullo hominum unquam fuit.* Et ita Leid. praeferre innuunt ejus excerpta. Gronovius deinde *in nullo hominum fuit* anno 1665. recepit, quod firmant Voss. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *in nullo homine* fuit Berg. Lectionem Gruteri servarunt Freinsh. Doujatius, Clericus, et Crevierius. Sed vox *umquam* referenda videtur inter eas, quae passim in his Epit. interpolatae sunt. De illis vide ad Epit. 48.

Octo millia deditorum in via publia trucidavit] Lege *in villa publica*, qui locus fuit in campo Martio. Sic enim Augustin. de Civit. lib. 3, 28. *Sulla victor urbem intravit, qui in villa publica, non jam bello, sed ipsa pace, saeviens, septem millia peditum undecumque inermia non pugnando, sed jubendo, prostravit.* Et Valerius l. 9, c. 2. *Quatuor legiones contrariae partis, fidem suam secutas, in villa publica, quae in campo Martio erat, nequicquam fallacis dextrae miseri cordiam implorantes, obtruncari jussit.* SIG. Emendationem Sigonii firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Flor. 3, 21. *Quatuor millia deditorum inermium in villa publica in*

in villa publica trucidavit: tabulam proscriptionis posuit: urbem ac totam Italiam caedibus replevit: inter quas omnes Praenestinos inermes concidi jussit: Marium, senatorii ordinis virum, cruribus bra-

terfici jussit. Ubi vide viros doctos. Ibidem etiam olim male *in via publica* editum fuisse, docent notae Vineti, et quae Fabricius monuit ad Oros. 5, 21. In numero interfectorum nihil hic variant codices. At circa eumdem admodum dissentiunt scriptores. Quidam tria, quidam quatuor, quidam sex, quidam septem, quidam octo, quidam novem millia fuisse referunt: alii unam, alii duas, alii quatuor legiones. Vide Freinsh. ad Flori 3, 21, 24. Cocqueum ad August. de Civ. Dei 3, 28. et Viros doctos ad Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. 75. Quum autem Gruter. in uno cod. Aurelii Vict. per notas numerales *VIIII millia* datum invenisset; similiter etiam in Epitoma hac scriptum, et hinc errore scribarum, notas male reddentium, *octo*, pro *novem*, datum fuisse opinatur. Verum pariter fere App. Al. 1. Civ. 407. *διχμάλωτα ὀκτακισχιλίων πλείω γενόμενα* refert. Insuper *deditiorum* Lov. 2. *dediticiorum* Exc. Pithoei; quod magis placet Crevierio. Sed *deditos* etiam vocat Flor. loc. laud.

Tabulam proscriptionis posuit) Male haec verba desunt in Leid. Reliqui codd. nihil mutant. Mallem tamen *proposuit*. Ita enim loquitur Flor. 3, 21. *Proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo millia electi, qui mori juberentur.* Oros. 5, 21. *Prima proscriptio octoginta nominum fuit. item alia cum quingentis nominibus proposita est.* August. 3. de Civ. 28. *Tabula illa cum magna gratulatione proposita est, quae hominum* etc. *occidendorum ac proscribendorum duo millia continebat.* Aurel. Vict. de Vir. Inl. 75. *Proscriptionis tabulas primus proposuit.* ubi simili errore plures codd. *posuit* praeferre, Cl. Arntzen. observavit. Similiter librarii peccarant apud Liv. 9, 32, 3. Mox *et universam Italiam* Norv. et edd. ante ultimam Gruteri, qui *et totam* emendavit. Nec aliter omnes nostri et ed. Camp.

Inter quos omnes Praenestinos inermes interimi jussit) Vet. lib. *concidi jussit.* Appian. lib. 1. [408.] *κατηκόντισεν ἅπαντας.* SIGON. Emenda *quas*, scilicet caedes. et ita V. L. DELR. *inter quas* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani, quod recte Gruter. recepit. Deinde *inermes occidi* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *inermes concidi* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithoei. Iterum igitur primi editores per vim substituerant amatum sibi verbum *interimere*. Vide ad Epit. 57.

Marium, senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque etc.] Intelligitur Marius Gratidianus, quem ducis ipsius fratrem vocat Flor. 3, 21. Per hunc *ducem* innui Marium juniorem, septies consulis filium, ejusque fratrem, sed patruelem, fuisse Gratidianum, a Marii junioris patruo adoptatum, multis probat Perizon. in Animadv. Histor. c. 3. De crudelitate in eum exercita vide Viros doctos ad Flor. 3, 21, 26. et ad Augustin. 3. de

chiisque fractis, auribus praesectis, et effossis oculis, necavit. C. Marius, Praeneste obsessus a Lucretio Ofella, Sullanarum partium viro, quum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu, mortem sibi conscivit. id est, in ipso cuniculo, quum senti-

Civit. Dei 28: Mox *oculis defossis* Boend. et ed. Camp. *defossis oculis* Norv. et priscae edd. reliquae. *efossis oculis* Froben. *effossis oculis* Basil. anni 1539. concinente Leid. *oculis effossis* Voss. Berg. et Lov. 2.

A Lucretio Asella] Vet. lib. *Offella*. Plut. in Sulla [pag. 471] Ὀφέλλα, itemque Appianus lib. 1, [403.] SIG. *ab Lucretio* Gronov. anno 1665. edidit. Sed omnes nostri, Exc. Pithoei, et Norv. *a Lucretio* servarunt. *Asella*, ut quaedam ante Sigonium editiones, Berg. *Asylla* Lov. 2. *Afella* Leid. Voss. Norv. et edd. principes. *Affella* Boend. *Offella* Exc. Pithoei, et ed. Camp. Sed recte Sigonius *Ofella*. Vide Viros doctos ad Vell. Pat. 2, 27.

Mortem sibi conscivit in ipso cuniculo] Haec verba arbitror inducenda, ut glossema ineptum. Repugnant certe caeteris, et orationem impediunt. SIG. Barber. et Gudiani: *conscivit. id est, in ipso cuniculo.* Sic Epit. 98. *Qui sequi nolebant, id est, legiones Valerianae*, etc. J. FR. GRON. Vir summus ad Gellium 2, 22. videtur velle, *id est* hic ita dici, ut apud Apulejum de Mundo p. 63. ed. Elm. *Japygem* (ventum) *ex Japyge sinu, id est, ex ipso Gargano, venientem.* et in Floro 4, 2, 15. *De successione Caesaris senatus, id est, Pompejus, agitabat.* Non video, quid in his simile sit, ut hic locus cum iis componi possit. Scriptores Latini fere dicunt *id est*, quum posterius re ipsa idem est, vel esse putant, quod prius. Vellej. 2, 23, 6. *Paternis, id est, Ponticis finibus contentum esse jussit.* Idem 2, 48, 4. *Pro Pompeji partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica.* Florus 2, 8, 6. *Si se consiliis ejus rex tradidisset, id est, si Asiae viribus usus fuisset miser Annibal.* Et 3, 3, 6. *Tripertito agmine per Alpes, id est, claustra Italiae, ferebantur.* Plane mihi persuadeo, hic in verbis *id est*, in quibus nullum sensum invenire possum, aliquid vitii haerere; sed simul suspicor, locum non integrum esse, et varias sententias de morte Marii relatas fuisse, ut a Vellej. 2, 27. Certe mortem sibi consciscere, cum alio concurrere, et a servo impetrare, ut se occidat, non sunt eadem genera mortis. Mortem sibi consciscunt, qui opera aliorum in ea re non utuntur. itaque qui dicit, mortem sibi conscivit, non recte mea quidem sententia dicat, *id est*, cum alio concurrit, vel impetravit a servo, ut se occideret. DUK. Vocula *sibi* deest in Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. et Boend. Tum *id est, in ipso cuniculo* Berg. *i. in ipso cuniculo* Voss. et Boend. *idem in ipso cuniculo* Leid. Voces *mortem sibi conscivit* delet Crevier. legens *septus ab exercitu in ipso cuniculo.* Paullo ante *tentaret evadere* Berg. et ed. Camp. Tum *septus exercitu* Leid. Voss. et Lov. 2. *septum exercitu* Berg. *sepius extra citu* Boend. a manu pr.

ret se evadere non posse, cum Pontio Telesino, fugae comite, stricto utrimque gladio, concurrit: quem quum occidisset, ipse saucius impetravit a servo, ut se occideret.

Se evadere minime posse] Scripti, *se evadere non posse*. Ut et Epit. sequenti, *admissus non est*. J. FR. GRON. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Vide ad Epit. 49.

Cum Pontio Telesino, fugae comite, stricto utrimque gladio, concurrit] Vox *Pontio* deest in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithoei, et Norv. additis autem notis delendam esse, tamquam perperam adscriptam, in Boend. indicabatur. *Portio* ejus loco legit ed. Camp. Eum simpliciter *Telesinum* vocant Flor. 3, 21, 23. et Oros. 5, 21. Fuisse autem minorem fratrem Pontii Telesini, qui proelio cum Sulla ad portam urbis Collinam commisso interfectus erat, indicat Vell. 2, 27. de quo loco vide Cl. Duker. ad Epit. 86. Verba *Telesino fugae comite stricto* perperam desunt in Boend. Tum *occurrit* Norv. et edd. principes; pro quo *concurrit* emendavit Frob. anno 1535. adsentientibus omnibus scriptis meis, et ed. Camp.

Saucius a servo impetravit, ut se occideret] *ipse saucius a servo* vet. lib. SIGON. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. *saucius ipse* Boend. et ed. Camp. Tum *impetravit a servo* edd. Gruteri, et recentiores; quibus adhaerent Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Pithoei. altera lectio est in Exc. Pithoei, et Norv. Dein *ne se occideret* perperam Boend. Supra Epit. 83. *Impetravitque a servo praebens cervicem, ut se occideret.* ubi vide.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LIII.

IN LOCUM LIBRI LXXXVIII. T. LIVII.

U. c. 670. A. C. 82.

I. Paullo ante, quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, a ducibus ejus, duobus Serviliis ad Clusium, Metello Pio ad Faventiam, M. Lucullo circa Fidentiam, Carbonianos magnificis proeliis victos esse, Vellejus Paterculus retulit. Sed ego, Livianam historiam vestigiis persequutus, seriem rerum, Appiani quoque testimonio fultus, aliter contexui. Igitur quibus temporibus repulsus intra Praenestina moenia Marius fuit, iisdem ad faventiam Carbo Norbanusque, per absentiam Sullae Metello imminentes, conjunctis exercitibus prope castra ejus, vix una hora diei reliqua, venerunt. Et, quamquam statim adfutura nox erat, praeterea locum pugnandi densa circum vineta arctabant, ira magis quam consilio impetum fecerunt, tamquam inopinata audacia plus formidinis illaturi. Sed iniquo loco, quum impediti vitibus milites prociderent, neque armis uti possent, magna caede victi sunt; exercitusque omnis ita dissipatus, ut morte decem millium, sex millium transfugio, ceterorum, quo cuique visum fuerat, abeuntium desertione, non ultra mille hominum servatis ordinibus Arretium sit reductum.

Carbo et Norbanus Metellum oppugnantes,

Magna strage vincuntur.

II. Alia quoque legio Lucanorum, quam P. Albinovanus, qui cum Mario sene hostis judicatus fuerat, ducebat, frustra indignante Albinovano, signa ad Metellum transtulit. ille, quum, omnibus tentatis, retinere deficientes nequivisset, ad Norbanum se recepit. Deinde fata partium, et quam frustra obniteretur, reputans, animo commutato, neque simplici scelere proditionis contentus, Norbanum et, qui una erant, du

---

Cap. I. Vell. 2, 28. Liv. Epit. Appian. Oros. 5, 20. Appian.

ces invitavit. Norbanus ipse non accessit: Flavius Fimbria ceterique, quum venissent, omnes inter ipsas epulas trucidati sunt. Albinovanus ad Sullam profugit. Harum cladium fama quum Ariminum, Albinovani proditione oppressum direptumque, deinde alia multa iis locis praesidia alienasset; Norbanus, nemini suorum, rebus suis adversis, fidem mansuram ratus, privato navigio Rhodum avectus est. U. c. 670. A. C. 82.

III. Carbo, nihil non in eo situm videns, si Praenestina solvi obsidio posset, L. Damasippum cum duabus legionibus eo proficisci jubet: sed nec ab hoc quidem, occupatis per Sullam angustiis, penetrari quitum. Metellus interea, quidquid a Ravenna ad Alpes Gallicorum populorum colit, adjunxit partibus: et ad Fidentiam in agro Placentino M. Lucullus, quum a Quinctio obsideretur, cum sexdecim cohortibus adversus quinquaginta eruptione pugnavit, caesisque millibus octodecim, castra quoque vi cepit. Alacritatem militum ante id proelium ea re mirifice auctam ferunt, quod, cunctante Lucullo, clemens ventus e vicino prato florum magnam copiam in vallum ejus compulit, qui, scutis galeisque haerentes, coronati ab hoste exercitus speciem referre visi, velut certo victoriae omine ad conandum omnes impulerunt. Inter haec etiam a M. Crasso res in Umbria gestae, et insigne iis locis municipium Tuder receptum est. *L. Damasippus, Praenesti liberaturus, ab Sulla impeditur.*

IV. Hae aliae super alias clades ita perculerunt Carbonis animum, ut de retinenda Italia desperaret. Igitur, quamvis ad Clusium adhuc triginta militum millia haberet, praeterea duas sub Damasippo legiones, alias itidem sub Carrinate et Marcio, Samnitum quoque ingentes copiae partibusque fidae superessent, turpi formidine Italiam atque exercitum consul deseruit, cum amicis in Africam profectus. *Carbo, desperata victoria, Italiam deserit.*

V. Relictus ad Clusium exercitus, cum Sullanis acie commissa, post viginti ferme millium interitum, dissolutus est; reliquis in suam quoque patriam sparsis. Decus hujus victoriae a quibusdam duobus Serviliis, ab aliis Cn. Pompejo vindicatur. Quid veri *Exercitus relictus ab Sullanis caeditur.*

Cap. II. Cic. in Verr. 1, 14. et ibi Pedian. Appian. Cap. III. Liv. Epit. Oros. Appian. Plut. Sull. c. 53. Plut. Crasso, c. 10. Cap. IV. Appian. Plin. 8, 57. Appian. Sall. apud Serv. et Incert. 9. Liv. Epit. Cap. V. Plut. Sulla. Appian. Vell. 2, 28. Appian.

U. c. 670. A. C. 82. sit, haud facile queas discernere: omnes istos duces simul adfuisse proelio, non sit absurdum existimare. Servilii certe magnam eo bello et praeclaram operam fuisse, boni auctores prodiderunt. Sed Carrinas et reliqui Carboniani duces junctis copiis ad angustias accesserunt, extremo conatu simul cum Samnitibus perrupturi. quippe Samnites inde repulsi Campaniam Etruriamque vastabant, sub invidia partium se vindicantes. Id quoque frustra fuit.

Reliquiae cum Samnitibus junctae Romam petunt.

VI. Ergo, quum neque tenere propositum possent, et, instante hinc Sulla, inde Pompejo, neque progredi facile, neque regredi tutum videretur, nocturno itinere Romam petierunt, virorum et commeatuum inopia haud difficilem captu arbitrati: et ad duodecimum, neque amplius, ab urbe lapidem castra in Albano monte posuerunt. Ibi nocte exacta haud exigua cum spe, quod tantis totque ducibus imposuissent; simul cum luce profectos ex urbe nobiles juvenes, una cum Ap. Claudio insigni viro, ceciderunt. Octoginta millia bellatorum erant: dimidium ejus numeri Samnites implebant, quos, solos omnium Italicorum arma retinentes, Pontius Telesinus civis eorum ducebat, vir domi bellique fortissimus, et magnis certaminibus inveteratus.

Eodem et Sulla accurrit.

VII. Igitur, quum res ad summum timorem spectaret, urbsque tota tumultu et clamoribus sequioris praecipue sexus personaret, primus ab imperatore Sulla cum septingentis equitibus citato cursu Balbus adfuit: qui tantum moratus, donec sudor equorum consisteret, statim iterum frenari eos jussit, et ad distinendum hostem procucurrit. Interim Sulla, raptim exercitu ducto, ad portam Collinam circa meridiem pervenit; castrisque ad Veneris fanum positis, ut quique primum advenerant, prandere milites, deinde in aciem adsistere jussit. Jam enim et hostes ad urbem castra metabantur.

Cui duces sui moram suadent.

VIII. Ibi Dolabella et Torquatus magnopere Sullam obtestati sunt, *ne, lassatis itinere militibus, patriae salutem in unius pugnae discrimen committeret. Non Marium ex adverso et Carbonem, inimicissimos homines, Romanos tamen; sed Lamponium cum Lucanis, sed cum Samnitibus Tele-*

Cap. V. Plut. Appian. Flor. 3, 21. Cap. VI. Plut. Appian. Plut. Oros. 5, 20. Vell. 2, 27. Liv. Epit. Plut. Cap. VII. Appian. Plut. Appian. Plut.

suum consistere, infestissimos Romano nomini bellicosissimosque et populos et duces. Atque illos multarum horarum quietem curandis corporibus consumpsisse: sibi suisque simul facundia omnia, eundum, prandendum, pugnandum esse. non equis, non viris solidum adesse robur, ut cibo ac quiete refectis hostibus objici debeant. U. c. 670. A. C. 82.

IX. *Esse quidem sibi militum fidem eximiam, esse virtutem, hactenus etiam Fortunae singulare obsequium adfuisse; sed neque ab illis plus, quam possint, neque ab hac plus, quam soleat, exspectari oportere. Numquam non timendam casuum humanorum vicissitudinem: et quamlibet fortes viros a deterioribus opprimi posse, si cum validis et refectis ipsi labore ac inopia debiles committantur. Non esse caussam festinandi, ubi meliorem tuam, quam hostium, conditionem factura mora videatur. Si paullulum quiescat, non modo redituras militi vires; sed hostium ex desperatione natam audaciam tempore et spatio rectius omnia aestimandi defecturam. Nunc adhuc, dum animi caleant, acre proelium facturos: ubi refrixerit impetus, et modo validissimum juxta se exercitum, nec procul inde caput rerum Romam recogitaverint, modo suarum adversarumque partium reputaverint fortunam, aut posituros arma, aut minus constanter oppositurus.* *Ad reficiendum exercitum.*

X. Nihil motus horum precibus ac monitis Sulla, *Jam in eo res est*, inquit, *ut, quod restat negotii, celeritate confici debeat. Mori praestat, quam hanc ferre ignominiam, ut, me incolumi et inspectante, Samnites Lucanique obsedisse Romam glorientur. Tecta urbis, et Capitolinam arcem, et quidquid ibi Deorum hominumque est, quoties respicerem, exprobrare mihi vel timiditatem, vel negligentiam crederem, si unum diem amicos nostros in metu, adversarios, si qui etiamnum Romae sunt, in spe versari passus essem. Neque militum lassitudinem, nec Fortunae inconstantiam objeceritis. Viverent adhuc immensa hostium agmina, neque Praenestinis moenibus Marium inclusisset necessitas, si ad Sacriportum his argumentis a pugna fuissem absterritus.* *Ille non movetur.*

XI. *Milites mei etiam fessi bene pugnare possunt: et de Fortuna quantum mihi pollicear, quibusque inductus rationibus, haud semel audivistis. Illa, illa, sicuti perpetuo consuevit, nunc quoque reperiet aut faciet nostrae victoriae viam. Nec adeo temere captum mihi consilium existimaveritis. animos exercitus magis, quam corpora, respicio. quamdiu illi vigent, non deerunt etiam fessis lacertis vires: et tamen spatium erit cibo ac modica quiete reficiendi membra. Vos ergo alacres bonaque spe pleni ad curandum vestras partes discedite: militemque, ut solitam nobis virtutem praestet, excitate. nam ego,* *Sed militi et Fortunae confisus,*

U. c. 670. A. C. 82. *quod mihi, reipublicae, et exercitui bene vertat, signum pugnae con, estim dabo.*

Statim proelium committit. XII. Ita Kalendis Novembribus post nonam diei horam summis viribus concursum: neque umquam propior victo Sulla, aut in majore periculo Roma fuit. Dextrum Sullae cornu, cui M. Crassus praeerat, egregie vicit: persequutusque fugientes Crassus certos homines misit, qui rem bene gestam nunciarent Sullae, et cibaria militi poscerent. nam delatus Antemnam usque, castra ibi posuerat. Sed nocte jam adulta, qui fuerant missi, ad Sullam pervenerunt, defunctum discrimine, cui tum gravissimo ac formidolosissimo subiverat.

Sullae periculum. XIII. Nam interim, dum oppositos sibi hostes Crassus fundit fugatque, laevum Sullae cornu valde laborarat: quamquam eo ad sistendam suorum fugam Sulla ipse se contulisset. Ferunt, albo et pernici equo insidentem, et a duobus hostium equitibus inde agnitum, hastis emissis petitum fuisse; nec animadverso periculo, sed agasone equum impellente, hactenus esse praetervectum, ut pone caudam equi hastae in terra defigerentur. Erat hoc morum Sullae, ut modicum sigillum Apollinis, quod ex templo Delphico sustulerat, in conspectu exercitus adoraret, promissamque victoriam maturari peteret. id tum etiam eduxit sinu, exosculatusque, fusis, quas praesens trepidatio suggesserat, precibus, cedentibus coepit obsistere; quosdam minis, alios precibus, nonnullos injecta quoque manu retinens. Neque tamen efficere potuit, ne, multis amicorum familiariumque cadentibus, permixtus agmini fugientium in castra sua repelleretur.

XIV. Et instabat fortunae Telesinus, totaque volitans acie, *adesse Romanis ultimum diem, eruendam delendamque urbem; numquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, ni silva, in quam refugere solerent, esset excisa*, et alia incendendo militi acclamabat. Igitur multis, qui spectatum prodierant, ad urbem refugientibus, senes, ad custodiam portarum relicti, claustra demiserunt: quibus et alii mortales, et quidam senatorum elisi sunt. tantaque formido fuit, ut propemodum solutus

Cap. XII. Vell. Oros. Plut. Appian. Plut. Crasso, et Sull. Cap. XIII. Frontin. Strat. 1, 11. Plut. Sull. Cap. XIV. Vell. Plut. Appian. Plut.

obsidione Marius fuerit, quia multi, fuga ad Lucretium delati, perditas res, oppressum Sullam, occupatam urbem nunciabant. U. c. 670. A. C. 82.

XV. Ceterum, adnitente imperatore, et quia clausis portis aliud praesidium nullum supererat, restituta acies est: demumque post primam noctis horam superior esse res Romana coepit. reliquum noctis caedibus datum, castraque hostium capta sunt. Magna ibi strages fuit, quod imperator edixerat, *ne quis Samnis vivus caperetur*. Ad quinquaginta hominum millia utrimque desiderata dicuntur. In his et Albinus interiit. Postridie Telesinus semianimis repertus est, victoris magis, quam morientis, vultu. caput abscissum cum Damasippi, Marcii, Carrinatisque capitibus, qui capti in fuga fuerant, ad Lucretium missa sunt, ut obsessis Praeneste ostenderentur. *Et post ancipitem pugnam victoria.*

XVI. Hactenus omnia Sullae praeclara, aut saltem excusanda videbantur. Recuperata respublica, parta pulcherrima victoria, patriae impendens periculum summa vi depulsum, immortalia ad gloriam facinora erant: Damasippum etiam, et alios ejusmodi, miseria publica saginatos, jugulari jussos, homines laetabantur. Sed statim haec decora omnia crudelitate, quanta in nullo alio umquam fuit, foedata sunt: eaque facta edita, et tam a superioribus viri institutis discrepantia, ut vix ab eodem homine profecta viderentur. Modestissimus ante victoriam, simul placere sibi, victis Samnitibus, coepit, (nec enim reliquias belli ullo in numero ducebat) Cinnas et Marios, quorum antea solitus erat incusare saevitiam, longo post se intervallo reliquit: sive recens talem animum indiderat fortuna, sive dissimulatum ad id temporis detexerat. *Sulla mores mutat post victoriam.* *Ejus immanis crudelitas.*

XVII. Postero, quam pugnatum est, die quum Antemnam venisset, tria hominum millia, qui se ab hostium acie abruperant, veniam petitum misere: et ille annuit, siquidem aliqua prioribus sociis illata clade poenitentiam partium approbassent. Illi cum aliis conserta manu, amissis occisisque multis, quot supererant, (cognita enim caussa caedium, ceteri quoque eadem auspicia sequuturos dixerant) ad octo millia Sullae *Etiam in deditos.*

Cap. XV. Appian. Vell. Appian. Strabo, l. 5. p. 249. Appian. Vell. Dio apud Vales. Appian. Cap. XVI. Liv. Epit. Sall. Catil. c. 51. Liv. Epit. Dio. Vell. 2, 25. Joann. Antioch. apud Vales. Dio. Plut.

U. c. 670. A. C. 82. se dediderunt. Eos, in villam publicam ingredi jussos, quasi inter suos milites descripturus, eodem tempore, quo senatum in aedem Bellonae convocari jusserat, crudelissime trucidavit: multique simul pagani, qui forte eodem venerant, etiam Sullanarum partium homines, perierunt. Corpora in Tiberim projecta sunt.

Vox ejus truculentissima.

XVIII. Dum tanta multitudo caeditur, ipse verba in senatu faciebat: Patribusque ad horribilem tumultum ac clamorem, tot quem millia indigne moritura edebant, exterritis; eodem, quo dicere coeperat, vultu vocisque tenore, *Hoc agite*, inquit, *Patres conscripti. pauci seditiosi jussu meo puniuntur.* Qua tantae acerbitatis voce vix quidquam ab ullo homine dictum puto truculentius.

XIX. Proximis deinde multis diebus passim per urbem caedes factae, tanta gladiorum licentia, ut, quem quis vellet, occideret. inimicos suos maxime tollebant; deinde quorum aut dignitas invidiam, aut res familiaris praedam luculentam ostentabat. Eadem ista, velut signo ab urbe dato, per omnem Italiam fiebant; et ubique per colonias ac municipia, quos adversatos Sullae aut satellitum ejus alicui constabat, trucidabantur. Plurimi sanguinis, alii spoliorum cupiditate caedes perpetrabant: erant et, qui periculum sibi metuebant, ni aliorum exitio studium partium significassent.

C. Metelli et Q. Catuli voces liberae.

XX. Tandem C. Metellus juvenis ausus est in senatu interrogare Sullam, *ecquem ergo suppliciorum finem statuisset. Non enim*, inquit, *hoc deprecamur, ut, quos decrevisti tollere, vivant: sed ne, quos conservatos cupis, moriantur.* Ajunt et Q. Catulum palam dixisse, *Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus?* Tum negante Sulla, *constitutum adhuc sibi esse, quibus velit parcere*; subjecit Fursidius primipilaris, Sullae turpissimus adsentator, qui mox in petitione magistratuum egregiis hominibus praelatus est: *Quin igitur edis, quos tibi punire certum est?*

Cap. XVII. Liv. Epit. Appian. Dionys. l. 5. fin. Flor. 3, 21 Strabo. Dio. Cap. XVIII. Oros. 5, 21. Plut. Senec. de Benef 5, 16. Dio. Oros. Val. Max. 9, 2. Dio. Cap. XIX. Lucan. 2 v. 196. Plut. Senec. de Clement. 1, 12. Oros. Flor. Plut Aug. de Civ. Dei, 3, 28. Dio. Cap. XX. Plut. Oros. Flor Plut. Oros. Sallust. Hist. 1. in orat. Lepidi.

XXI. Id se facturum recepit: neque multo post, re neque cum senatu, neque ullo magistratuum communicata, proscriptionis proposuit tabulam, qua nomina octoginta continebantur: inter quae consularia quatuor, Carbo, Marius, Norbanus, et Scipio; deinde Sertorius, et alii, quos Sulla prae caeteris oderat. Omnium ad inauditae antea saevitiae tyrannicique imperii exemplum indignatione commota, tantum unq. die interposito, ducentos viginti, dein postridie iterum haud pauciores adscripsit. Adjecit pro concione, *eos, quorum meminisset, proscripsisse: de ceteris decresurum, ubi in mentem venisset.* U. c. 670. A. C. 82. *Proscriptio Sulliana.*

XXII. Receptatoribus etiam proscriptorum poena mortis est proposita, non excepto, sanguine junctos, an externos servare voluissent. Et, sicut humanitati supplicium, ita crudelitati et perfidiae merces dicta est, in singula capita talenta duo. haec servo, si dominum occidisset, haec, si parentem, filio repraesentabantur. Proditoribus etiam latentium praemia constituta sunt. Denique quatuor millia septingenti, quos ea pestis sustulit, jubente Sulla, tanquam ad praeclari facinoris servandam memoriam, in tabulas publicas relati sunt. In his senatorum equitumque Romanorum duo millia fuisse traditum. *Caesorum ingens numerus.*

XXIII. Neque Romae tantum, sed per universam Italiam furialis illa tempestas desaeviit. Severae passim quaestiones habebantur, si quis sub Mario aut Carbone legatisve eorum stipendia civili bello meruisset; si partes ope, consilio juvisset; si omnino studiosus illarum fuisset. Quibusdam etiam crimini datum referunt, quod cum aliquo eorum commune iter inivissent. Ibi omnia divina humanaque violata et polluta sunt. mariti in gremiis uxorum, in sinu matrum liberi confossi, sacra hospitalia, caerimoniae et religiones Deorum, ipsaque eorum penetralia, nemini securum adversus percussores perfugium dabant. *Etiam per Italiam caedes passim editae.*

XXIV. Eratque numerus exiguus per iram aut odium victoris pereuntium, prae multitudine eorum, qui facultatum caussa necabantur. quorum etiam per nomenclatorem conquisita nomina tabulae proscriptionis tyrannus adjecit. Q. Aurelius, vir quieti animi, *Plerique facultatum caussa necati.*

Cap. XXI. Plut. Dio. Liv. Epit. Augustin. Oros. Plut. Cap. XXII. Appian. Plut. Vell. 2, 28. Plut. Val. Max. 9, 2. Flor. Cap. XXIII. Aug. de Civ. Dei, 3, 28. Liv. Epit. Appian. Plut. Cap. XXIV. Val. Max. Plut.

U. c. 670. A. C. 82. et conſcientia securus, quum tantum aliorum sibi dolendam vicem putaret, lectis proscriptorum nominibus, quum se quoque videret adscriptum; *Vae miſero mihi*, inquit: *fundus Albanus me perſequitur*. Neque longe progreſſus, a quodam, qui eum agnoverat, percuſſus eſt. idemque sive Lollii, sive cujusdam alterius fatum, sed ex merito, fuit.

Lollii cujusdam improbitas et fatum.

XXV. Is singulari pravitate ingenii inter turbam in forum ad legendam tabulam geſtiens procurrerat, et, quorum proposita nomina cognoſſet, in eos multa contumeliose dicebat, calamitate miserorum gaudens. Igitur hunc ſtatim divina corripuit ultio. namque, dum legendo carpendoque singulos pergit, suum in ima tabula adscriptum nomen videt. quare metu obmuteſcens, quum se capite adoperto subduceret, agnitus, et e veſtigio, laetantibus, qui adſtiterant, omnibus, confoſſus eſt.

Periculoſiſſima tempora.

XXVI. Inde latior in omnes pavor, nec, quid aut facerent, aut omitterent, quo tuti forent, satis sciebant. Accederes ad tabulam, pro curioſo periclitareris: non accederes, pro indignante: quaereres, quid scriptum eſſet; pro te aut tuis conscientia sollicitus videreris: adſtares tacitus; odiis latronum objicerere, tamquam triſti silentio praesentia damnans. Nam et multi, quod vel subriſerant ad talia, vel frontem contraxerant, caedebantur. neque aut amici casu ingemiſcere, aut adverſarii exitio laetari impune erat. Praeterea multis perniciosus cognominum error erat, quae percuſſores, ubi proſcriptos non noſſent, aliis adfingebant: oriebaturque saepe imponentium cognomina et rejicientium vehemens contentio. Ne mulieres quidem exemptae penitus periculo erant, quin etiam illarum nonnullae gladiis homicidarum objicerentur.

Latentium sors miserrima.

XXVII. Inter has miſerias minus videbantur miſerabiles, quos ignaros sortis suae, aut dum illam diſcunt, percuſſor occupabat. eorum, qui, praeviſo periculo, se abſcondiderant, sollicita et morte triſtior vita erat, quia neque profugere, ne deprehenderentur, audebant; neque in tanto omnium metu, quum multi ab amiciſſimis proderentur, confidere latebris poterant.

Cap. XXIV. Oros. Cap. XXV. Diod. apud Vales. Cap XXVI. Val. Max. 9, 2. Cap. XXVII. Dio.

XXVIII. Neque securiores erant, quorum nominibus crudelis ſtilus peperceraf. Nec enim modo proſcriptos jugulari, sed etiam jugulatos proscribi obtinuerat. L. Catilina, magnam poſtea famam sceleribus nactus, quum fratrem nondum proſcriptum sustuliſſet, oravit Sullam, ut tamquam superſtitis nomen in tabulam referretur, et impetravit. U. c. 670. A. C. 82. *Quidam jugulati prius, deinde proscripti.*

XXIX. Ergo, ut pro tam pulchro merito dignam referret gratiam, excarnificando M. Mario praetorio, fratre conſulis, operam praebuit: cujus cruciatibus nihil vidit illa aetas crudelius. Hunc enim, de caprili caſa extractum, prius occidi Sulla vetuit, quam exquisitiſſimis tormentis ad Lutatiorum sepulcrum, ubi conditus Q. Catulus pater erat, laceraretur: quia L. Caeſar ad Varii buſtum occiſus a Marianis fuerat. Raptus ergo per ora vulgi Marius trans Tiberim, et virgis inter eundum caeſus, oculis erutis, perfractis cruribus, amputatis manibus, exsecta lingua, membris omnibus contusis, infelicem spiritum per summos cruciatus reddidit. Ad hoc tam immane spectaculum quum forte adſtans M. Plaetorius senator linquente animo concidiſſet; illico mactatus eſt. Ibidem etiam Venulejus triumvir periit. Caput sua manu desectum Catilina per urbem eadem manu retulit ad Sullam. Erat enim spectaculis ejusmodi nihil Sullae suavius: et omnium, qui ubique erant occisi, capita ad illum relata pro Roſtris proponebantur; eademque omnia pericula creabant intuentibus, quae de proſcriptionis tabula memorata sunt. *M. Marii crudelissimum supplicium.*

XXX. Sed Catilinam, tam gnavum suae crudelitatis et induſtrium satellitem, Gallis, quorum potiſſimum miniſterio in occidendis hominibus utebatur, praefecit. a quibus M. Volumnius, L. Tantasius, aliique illuſtres equites Romani sunt trucidati: inter quos Q. Caecilium, sororis suae virum, qui aetate et ingenio quietus neutrarum partium fuerat, Catilina suis manibus occidit. *Et alia Catilinae atrocia facta.*

XXXI. Interim M. Marii caput Praeneſte miſſum Cajum conſulem ad ultimam deſperationem adegit. *Praeneste deditio, C. Ma-*

Cap. XXVIII. Oros. Plut. Sull. Cap. XXIX. Sen. de Ira, 3, 18. Flor. Oros. Val. Max. Q. Cic. de Petit. Cons. c. 3. Liv. Epit. Sall. apud Jul. Rufin. et Incert. 29. Lucan. 2, 173. Pedian. in Tog. Candid. Val. Max. Oros. Plut. Dio. Cap. XXX. Q. Cic. de Petit. Consul. c. 2. Pedian. Q. Cicero. Cap. XXXI. Oros.

U. c. 670. A. C. 82. *rius sibi consciscit necem.*

Nam, qui cum eo obsidebantur, postquam aliorum ducum audivissent interitum, aliorum ipsi vidissent praefixa hastis capita; perisse Carbonis copias, fugisse Norbanum, urbem in potestate Sullae esse cognossent, oppidum Lucretio dediderunt. Marius per cuniculum, quales Praeneste fuisse aliquot antiquitus ex Strabone discimus, conatus evadere, postquam septum hostili exercitu exitum intellexit, cum minore Telesino, ejus, qui ad portam Collinam occubuit, fratre, belli fugaeque socio, strictis pugionibus concucurrit: eoque interfecto, ipse leviter vulneratus servo suo cervicem praebuit. Sunt, qui sua manu, sunt, qui a Sullanis militibus, in id ipsum dispositis, interemptum putent. Caput ad Sullam relatum, et ab eo pro Rostris positum est, cum cavillo in aetatem consulis, quem *antea remum, quam gubernaculum, tractare debuisse*, dicebat.

Tum demum Sulla Felicis cognomen adsciscit.

XXXII. Neque tamen ille indignus tanto nomine credebatur; animoque parenti non dissimilis, fortunam iniquiorem habuisse. neque dubitari posse, quid de eo Sulla judicaverit; qui tum demum, postquam sublatus ille fuerat, cognomentum *Felicis* homo omnium miserrimus adsumpsit: statuamque equestrem auratam cum hoc cognomine poni sibi pro Rostris passus est; et, quum Metella geminos eodem partu edidisset, puerum *Faustum*, puellam *Faustam* appellari voluit.

Sulla Praeneste venit.

XXXIII. Lucretius, Praeneste recepto, senatores Romanos, quos ibi repererat, partim interfecit, alios conjecit in vincula, donec Sulla advenisset. Ille, non diu cunctatus, et illos, et quotquot legati, quaestores, praefecti, tribunique partium illarum fuerant, occidit. Ceteros, spe salutis per P. Cethegum data, in campos progredi jussit. progressis exemit admodum paucos, quorum aliquando usus opera fuerat. reliquam multitudinem tribus agminibus discerni imperavit: ut seorsim Romani, seorsim Samnites, atque Praenestini consisterent. Tum denunciavit per praeconem Romanis, *et ipsos mortem esse commeritos*, *ceterum*

Cap. XXXI. Frontin. Strat. 2, 9. Appian. Liv. Epit. Strabo l. 5. p. 239. Vell. 2, 27. Auctor de viris illustr. in Mar. filio. Val. Max. 6, 8. Oros. Diodor. l. 37. Plut. Vell. Appian. Cap. XXXII. Plut. Mar. c. 80. Vell. Val. Max. 9, 2. Plin. 7, 4. Appian. Plut. Sull. c. 67. Cap. XXXIII. Appian. Oros. Val. Max. 9, 2. Appian.

suo beneficio fore salvos. Samnites, et alias ubique omnes interficere solitus, quod compertum habere dictitabat, *neminem Romanum, incolumi Samnio, tutum aut quietum fore*, non dubitavit ad unum omnes caedere. U. c. 670. A. C. 82.

XXXIV. Praeneſtinorum primo singulos, cauſſa cognita, duci imperaverat: deinde, cognitioni se vacare poſſe negans, univerſos, quamquam plerique inſontes erant, armato milite cinctos, sagittis jaculisque configi, aut concidi gladiis praecepit. Ad duodecim hominum millia sic interierunt: quorum quinque millia Praeneſtinos fuiſſe reperio: (cetera multitudo Samnitium, opinor, fuit) uni tantum, quocum illi jus hoſpitii fuerat, incolumitate conceſſa. quam ille fortiter aſpernatus, *neque ſe ſalutem patriae ſuae publico carnifici debiturum* dicens, immiſcuit se civibus suis, et inter eos occiſus eſt. Mulieribus tantum et impuberi aetati pepercit Sulla, crudeli miſericordia, quum, quibus conceſſerat vitam, vitae uſus ademiſſet. Nam oppidum longe ditiſſimum ea tempeſtate diripuit: agrum publicavit. *Ibique ad millia duodecim deditorum interficit.*

XXXV. Jam enim desitis fere singulorum hominum poenis, municipia coloniasque et civitates integras mulctabat, aliarum arcibus moenibusve dirutis, aliis gravi exactione oppreſſis: quaedam etiam sub haſta venierunt, Florentia, Spoletium, Interamna, et, de quo multa jam diximus, Praeneſte. Sulmo quoque, Latii vetus et clarum oppidum, priusquam expugnatum eſſet, damnatum diruique juſſum, cum aliis ejusdem regionis oppidis, ab illis temporibus eſſe desiit. *Mox civitates integras mulctat punitque.*

XXXVI. Haec omnia Romani sociique, nec immerito, patiebantur, priſtinae virtutis simplicitatisque deſertores; quos, etiamsi indigna paterentur, meritos diceres vel ideo, quia pati potuerunt. Neque enim usquam ea tempeſtate generoſus ille populi Romani spiritus, et rebus omnibus antiquior libertatis amor, praeterquam in puerili Catonis animo, reſedit. Is, annum agens quartum decimum, a paedagogo frequenter salutandi Sullae cauſſa domum ejus deducebatur: quem ille honorem admiſſionis exhibere pau- *Cato, quamquam puer, de tyranno interficiendo cogitat.*

Cap. XXXIII. Strabo, l. 5. p. 249. Cap. XXXIV. Plut. Appian. Lucan. 2, 193. Liv. Epit. Val. Max. Plut. Val. Max. Plut. Sulla, et Praecept. Reip. gerendae, c. 51. Appian. Strabo, l. 5. p. 239. Cap. XXXV. Flor. Dionys. l. 5. fin. Appian. Flor. Plin. 3, 5. Flor. Cap. XXXVI. Plut. Cat. Min. c. 5. et Val. Max. 3, 1.

U. c. 670. A. C. 82. cis consueverat. Ibi quum subinde recens resecta capita videret, quae viris illustribus dempta dicebantur, magistrum interrogavit Cato, *quid ita nemo talem tyrannum occideret?* atque, illo respondente, *Metus enim odio potentior adfectus est*, sibi pugionem dari postulavit. Exterritus inde Sarpedo (id nomen erat praeceptori) numquam postea, nisi excussum, ausus est ad Sullam ducere. Tanta constantia puero, tantumque animi robur inerat, ut solus et securus tyrannidem ferre nequiret, quam tot insignes viri, gentes denique ac nationes, et caput scilicet orbis terrarum Roma, pecudum ritu taciti inultique patiebantur.

EPI-

EPITOME

LIBRI OCTOGESIMI NONI.

M. Brutus a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram adpulerat, missus nave piscatoria Lilybaeum, ut exploraret, an ibi Pompejus esset, et circumventus a navibus, quas Pompejus miserat, in se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, incubuit. Cn. Pompejus, in Siciliam cum imperio a

L. Brutus a Cn. Papirio Carbone missus] Vet. lib. *M. Brutus.* SIG. Praenomen deeſt in Boend. et ed. Camp. *M. Brutus* legunt Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. V. ad Epit. 62. Cl. Crevierius adsentitur Pighio, qui in Ann. ad A. V. ıɔcLxxi. pag. 253. *L. Brutus* servat, et praetorem ejus anni indicari putat, quem *L. Junium Brutum Damasippum* vocat. Sed vide Cl. Duker. ad Epit. 86. Tum praepositionem *a* ignorant Voſſ. Berg. et Exc. Pithoei; cognomen *Carbone* Boend. et ed. Camp.

Qui Corcyram adpulerat] Appian. lib. 1, [410.] Κοσσύραν hanc insulam vocat. Κάρβωνα δε ἐκ Λιβύης ἐς Σικελίαν καὶ ἀπ' ἀυτῆς ἐς Κοσσύραν νῆσον ὑποφεύγοντα πέμψας τινὰς ὁ Πομπήϊος ἔλαβε. Et Oros. [5, 21.] *Pompejus Carbonem, a Cossyra insula in Aegyptum fugere conantem, in Siciliam ad se retractum occidit.* Eſt autem Coſſura insula Africae. Auctor Strabo et Capitol. trjumphi. SIG. *Corcyram* conſtanter omnes noſtri cum Exc. Pithoei, et Norv. *quem Corcyram appulerat* Voſſ. *quem Corcyram appulerant* Exc. Pithoei, ut intelligamus, nautas Carbonem adpulisse Corcyram. Sed nihil muto. V. Vorſt. de Latin. mer. susp. cap. 16. p. 118.

Et circumventus navibus] Copulam omittit Leid. Deinde *circumventus ibi navibus* ed. Camp. *circumventus a navibus* Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, Norv. omnesque reliquae edd. usque ad ultimam Gruteri, quae praepositionem omisit, consentientibus Voſſ. et Berg. Eam revocavit Crevierius.

In se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, occubuit] Quatuor membranacei *incubuit.* Sic lege, et praeterea *in se mucroni verso.* J. FR. GRON. *ad transitum navis* Voſſ. Tum *incubuit* Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et edd. vett. pro quo Moguntini domum subſtituerunt *occubuit.* At *mucrone* servant omnes codd. An igitur potius excidit vocula *ei*, ac legendum eſt

senatu missus, Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sulla, dictator factus, quod nemo umquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit. Rebus novis reipublicae

pondere, ei incubuit? Illud autem *ei* facile elidi potuit partim ab ultima litera praecedentis, partim a prima sequentis vocis. V. ad 39, 6, 2. Praeterea *in se verso mucrone ei incubuit*, pro *mucroni incubuit*, dictum erit eodem modo, quo *junctis exercitibus, victi sunt ab eis* supra Epit. 68. ubi alia vide.

Cum imperio ab senatu missus) Ita Gron. anno 1665. edidit, pro *a senatu*; quod non tantum servant omnes priores excusi, sed omnes etiam codd. mei, Exc. Pithoei, et Norv. Mox *qui fere muliebriter mortem tulit* Voss.

Sulla, dictator factus, quod nemo umquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit) In hanc lectionem omnes scripti et typis inpressi consentiunt; nisi quod Norv. et edd. principes praeferant, *quod nemo quidem umquam fecerat*. Sed recte voculam *quidem* Sigon. omisit. V. ad Epit. 55. et infra hoc lib. Ceterum, dictatoribus viginti quatuor fasces et secures praelatas fuisse, uno ore testantur gravissimi scriptores, Polyb. 3, 87. Dionys. Hal. 10, 650. Plutarch. in Fab. pag. 176. App. Alex. 1. Civ. 412. et Dio Cass. 54, 521. Eorum testimonio adversatur hic locus, ex quo statuendum videtur, primum omnium Sullam dictatorem cum viginti quatuor fascibus processisse. Hinc permotus Lipsius 1. Elect. 23. existimat, verba *quod nemo quidem umquam fecerat*, tamquam a scioli cujusdam infausta et infesta manu addita, delenda esse. Ejus vestigiis insistens Dion. Vossius ad Caes. 1. B. Civ. 6. opinatur, eadem verba ab incepto homine inserta esse. Id fieri potuisse non nego; at factum esse statuere non audeo, tum propter codd. verba haec servantium consensum, tum quod similis fere periodus obcurrit Epit. 67. *Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat.* Alii igitur verba haec ita refingenda existimant: *Sulla, dictator perpetuus, quod nemo umquam fuerat, cum fascibus* etc. Utrum tamen dictator perpetuus dictus fuerit, admodum dubito. Appian. quidem auctor est, Sullam dictatorem factum esse ἐς ὅσον θέλουσι, et ἐς ἀόριστον, sed addit, eum creatum esse ἐπὶ θέσει νόμων, ὧν αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ δοκιμάσειε, καὶ καταστήσει τῆς πολιτείας. Et hinc simpliciter *dictatorem*, non *dictatorem perpetuum*, creatum memorant Vell. Pat. 2, 28. Plut. in Sull. 473. et Oros. 5, 21. Verum demus tantisper, Sullam dictatorem perpetuum dictum esse; quae tum emphasis erit in verbis proximis *cum fascibus viginti quatuor processit?* (quod etiam sententiae eorum, qui verba *quod nemo umquam fecerat* delent, opponi potest) An non idem etiam alii dictatores fecerunt, et hinc dictatorem perpetuum id facere, tanto minus mirum videri debuit? Freinsh. in Supplem. hujus lib. cap. 9. verba Epitomes ita interpretatus est, vel, ut censet Inlustr. Spanh. de Praest. et Us. Numism. Diss. 10. pag. 172. interpolavit: „Formidabilis inde et „nova species prodeuntis in pu„blicum fuit, quum, ut solitum „dictatoribus, quatuor et vigin

statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit, et omne jus legum ferendarum ademit. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim; senatum ex equestri ordine supple-

„ti fasces praecederent: quod „nemo praesentium umquam vi„derat." Videtur igitur legendum censuisse, *quod nemo*, scilicet eo tempore viventium, *umquam viderat*, pro *fecerat*.

Rebusque novis reipublicae statum constituit] In vet. lib. inducta particula *que*, alius fit principium orationis. SIG. *Rebus novis* Sigonius, quum haberetur *Rebusque*. Sed quid est *statum reipublicae confirmare rebus novis?* Immo novis rebus convellitur status reipublicae, non confirmatur. Scribe *Legibus novis statum reipublicae confirmavit*. J. FR. GRON. *Rebus novis* Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. *Regibus novis* Leid. unde Gronovii, *Legibus novis* reponentis, conjectura plurimum firmatur. Saepissime enim *reges* et *leges* in Mstis scribarum errore commutantur. V. ad Livii 4, 15, 3. 9, 9, 6. cap. 34, 12. et Cel. Burm. ad Suet. Tib. 30. quin et passim literae *R* et *L*. V. ad 28, 36, 7. Accedit, Sullam ἐπὶ Σύλᾳ ΝΟΜΩΝ, sive *LEGUM ferendarum caussa* dictatorem dictum esse, ut modo ex App. vidimus. Dein *populi Ro. statum* Lov. 2. Vide ad Livii 38, 58, 6.

Tribunorum plebis potestatem minuit, et omne jus legum ferendarum ademit] *tribunis plebis* Lovel. 2. quod ferri potest. Tum *imminuit* Berg. Deinde *et omnino jus* Leid.

Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim] Observat M. Ant. Ferratius in Select. Quaestion. de Rom. Republ. lib. 2. ep. 4. memorari sedecim pontifices, qui de domo Ciceronis judicarunt apud ipsum Cic. de Haruſp. resp. cap. 6. Septimum decimum fuisse C. Julium Caesarem pontificem maximum, qui Roma aberat, ac bellum in Gallia gerebat: octavum decimum memorari L. Pinarium Nattam, qui M. Tullii domum dedicanti Clodio adfuerat: verisimile etiam videri, alios vel morbo inpeditos, vel reipublicae caussa absentes fuisse. Hinc efficit, plures fuisse Romae pontifices post Sullam, quam quindecim, et locum hunc Epitomes censorium emendatoris stilum desiderare. Verum primum observo, omnes codd. et manu et typis descriptos, in vulgatam lectionem consentire: et deinde Ciceronem non sedecim, sed tantum tredecim pontifices memorare, qui de domo sua judicarint, et male Ferratium inter eos numerasse tres pontifices minores, quum eorum collegium a collegio pontificum diversum fuerit, ut docuit Noris. ad Cenotaph. Pis. Diss. 1. cap. 5. et latius Celeberr. Duker. ad Livii 22, 57, 3. restare igitur tantum quindecim pontifices, ex quot sacerdotibus eorum collegium constitisse hic traditur; alios autem abfuisse, disertis scriptorum testimoniis probandum, non incertis conjecturis ponendum esse. Hinc efficio, nihil caussae esse, cur locum hunc de menda suspectum habeamus.

vit: proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit, et bona eorum vendidit: ex quibus plurima primo rapuit. redactum est sestertium ter millies quingenties. Q. Lucretium Ofellam, consulatum adversus voluntatem suam petere ausum, jussit occidi

Ex quibus plurima primo rapuit] Barber. et Gud. minor: *ex quibus plurima praemia rapuit*. Quid si *praemia* interpretere praedas, manubias? Tacit. 1. Annal. [16.] *Mutatus princeps licentiam turbarum, et ex bello civili spem praemiorum ostendebat*. Idem 1. Hist. 51. *Ferox praeda gloriaque exercitus expeditionem et aciem, praemia quam stipendia malebat*. Ubi viri docti *proelia*, alii sensu quidem deprehenso *praedam* maluere. Sed *praemia* sunt praedae, quas ipsi suo arbitrio plenis manibus raperent, cum stipendia acciperent alieno, et maligne. Nec aliter Petronius [cap. 80.] *Egreditur superbus cum praemio Ascyltos*. Hinc *praemiari* Sueton. in Tito [cap. 7.] *Suspecta et rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari praemiarique solitum*. Et *praemiatores nocturnos* explicat praedones Nonius apud Laevium *Ἀγρυπνοῦσιν*. J. FR. GRON. *Praemium* pro praeda etiam habet Livius 3, 61. *Sibimet ipsis victuros, non ut decemvirorum victores praemium essent*. 9, 40. *Ditem hostem quamvis pauperis victoris praemium esse*. et 36, 17. *Neque ea tantum in praemium vestrum cessura, quae nunc in regiis castris sunt; sed illum quoque omnem apparatum, qui in dies ab Epheso exspectatur, praedae futurum*. DUK. Vulgatum servant Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Ejus autem auctor exstitit Gruterus; quum antea dederetur, *ex quibus primo multa rapuit*, concinentibus Exc. Pithoei, et Norv. V. ad Epit. 80. Gronovii codicibus adsentitur Leid. Recte autem *praemia* Gronovius exposuit praedas, manubias. Livius 31, 28. *Urbes, ne classi hostium praedae ac praemio essent, diruit*. Vide Broukhus. ad Tibull. 1, 2, 26. et Viros doctos ad Petron. c. 80. et Nason. 5. Fast. 204. Gronovii emendatio non satisfacit Crevierio; qui existimat, fortasse aliquid intercidisse, ut Sulla dictus fuerit plurima primo rapuisse, deinde cetera in publicum redegisse. In praecedentibus *petendorum bonorum* operarum errore edidit Doujatius: nec aliter tamen Clericus et Crevierius.

Redactum est sestertium ter milies quingentiesque. Lucretium Asellam] Emendo *ter millies quingenties. Q. Lucretium Ofellam*. Etenim Appianus [1. Civ. 413.] *Κόϊντον Λουκρήτιον Ὀφέλλαν* nominat. Erroris causa vulgata est. SIGON. *ter millies quingentiesque. Lucretium* (quae voces desunt in Voss.) servant Leid. Berg. et Boend. *quingenties. Q. Lucretium* Lov. 2. ut Sigonius emendavit. V. ad 22, 31, 7. Praeterea *Asellam* Leid. et Berg. *Asillam* Lov. 2. *Asellam* Berg. *Aufellam* Voss. *Offellam* ed. Camp. *Afellam* reliqua e edd. principes. V. ad Epit. praec.

Consulatum contra voluntatem suam petere ausum, jussit interimi] *adversus voluntatem*

in foro: et, quum hoc indigne ferret populus Romanus, concione advocata, se jussisse dixit. Cn. Pompejus in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam, regem Numidiae, bellum molientes, victos occidit; et, quatuor et viginti annos natus, adhuc

suam consulatum petere Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *adversus voluntatem* etiam Leid. Voss. et Boend. V. ad Epit. 57. Tum *occidi* sex iidem libri: qui omnes etiam bis infra hac Epit. *occidit* praeferunt, pro *interemit*. Vide ad Epit. 57.

Concione advocata, se jussisse dixit] *concione vocata* Exc. Pithoei, Norv. et tantum non omnes typis descripti ante Gruter. qui *advocata* emendavit, probantibus omnibus scriptis meis, et ed. Camp. Tum *sevissime*, pro *se jussisse*, Berg. Paullo ante *quum haec indigne ferret* Voss. *quum indigne ferret* Exc. Pithoei, Norv. et fere omnes edd. ante Gruterum; qui *hoc* inseruit, consentientibus reliquis scriptis meis, et ed. Camp.

In Africa Cn. Domitium proscriptum] Hunc Pompeji jussu interfectum etiam Valer. Max. 6, 2, 8. scribit; Plutarchus in Pompejo, castris ejus a Pompejo captis interfectum; et Oros. 5, 21. inter primores repugnantem occisum esse. DUK. *in Africam* Voss. Berg. et Lov. 2. Tum praenomen Domitii non adparet in Leid.

Et Hieram, regem Numidarum, bellum molientes, victos interemit] Hunc regem Eutropius [5, 9.] Iarbam nominat, itemque is, qui de Viris illustribus scripsit, [cap. 77.] Plutarch. in Pompej. [pag. 624.] ἔιλε δὲ τῶν βασιλέων Ἰάρβαν τὸν συμμαχήσοντα Δομιτίῳ, τὴν δὲ βασιλείαν Ἰάμψᾳ παρέδωκε. Hiarbae igitur regis filius fuit Hiempsal, qui regnavit consule Cicerone, ut ipse ait contra Rullum [orat. 1, 4. et 2, 22.] Hiempsalis filius fuit Juba victus a Caesare, ut ait Dio [41, 172.] ubi de bello Caesaris Africo. de quo loquitur Cic. contra Rullum [orat. 2, 22.] cum ait: *Juba regis filius*. Sic enim legendum, non *Jubae regis filius*. Hiempsalis enim regis filium intelligit. Jubae autem filius fuit Juba alter, cui Augustus regnum concessit, historiarum auctor, ut scribit Strabo lib. 17, [829.] SIG. Nequaquam verosimile est, Hiempsalem filium Hiarbae fuisse, quod hic dicit Sigonius. Plutarch. in Mario significat, Hiempsalem primum partibus Marii favere visum fuisse, sed deinde ad Sullanas inclinare coepisse. Idem in Pompejo, et Appian. 1. Civ. 399. tradunt, eum regno pulsum, (haud dubie ab Hiarba) hoc victo a Pompejo restitutum esse: quod Sallustium quoque lib. 1. Hist. memorasse, e Gellio 9, 12. et Nonio cap. 2. voc. *Metus* apparet. Ex his palam est, eum non potuisse Hiarbae filium esse. DUK. *Hieritam* Leid. Voss. et Berg. *Hieritem* Boend. *Hiertam* Exc. Pithoei. (* et ita vocat Freinsh. in Suppl. c. 21.) *Hiericam* Lov. 2. Norv. et edd. ante Ascens. qui anno 1513. *Hieram* substituit. Id vero recte Sigonius in *Hiarbam* mutavit. *Hiarbas* autem vel *Iarbas* nomen esse Afris usitatum, constat ex Iarba Libyae rege, qui Didûs nuptias ambiit, memora-

eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit. Cn. Norbanus consularis proscriptus, in urbe Rhodo quum comprehenderetur, ipse se occidit. Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad posticas aedes Bastiae uxoris quum accessisset, admissus non est, quia illum proscri-

tus Virg. 4. Aen. 36. et alibi. Vide etiam Justin. 18, 6, 1. ubi Bernecc. id melius per adspirationem scribi contendit. Passim in Mstis corruptum exstare, docet Fabric. ad Oros. 5, 21. Tum *regem Numidiae* Gronov. edidit anno 1665. nec aliter praeferunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Eos itaque, quam cum Freinsh. Doujat. et Clerico veteres edd. *Numidarum* obferentes, sequi malui. V. ad Epit. 62. Hunc Hiarbam Gaudae filium facit Sponius in Miscell. Erud. Antiq. pag. 147. Sed vellem, addidisset, quam auctoritatem secutus foret. Deinde *occidit* omnes codd. nostri, Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. supra hac Epit.

Quod quidem nemini contigerat] Vet. lib. *quod nulli contigerat*. SIG. Similiter scripti mei, Exc. Pithoei, et ed. Camp. De voce *quidem* perperam inserta jam supra hac Epit. dictum est.

Cn. Norbanus consularis] *C. Norbanus* Capit. tab. itemque reliqui omnes. SIG. Nihil mutant scripti nostri. At *C. Norbanus* Exc. Pithoei, et edd. principes. V. ad Epit. 85.

Se ipse interemit] Vet. lib. *ipse se interemit*. SIG. *ipse se occidit* Msti mei, Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. supra hac Epit.

Metellus, ex proscriptis unus] Vet. lib. *Mutilus*, quod est Papiorum cognomen. SIG. *Mutillus* Berg. et Boend. *Mutilius* Leid. *Mutilus* Voss. Lov. 2. et ed. Camp. Insuper *unus ex proscriptis*, ordine vocum mutato, edidit Gruterus. Nec aliter est in omnibus scriptis nostris, et ed. Camp.

Ad posticum aedis Bastiae uxoris] Vet. lib. *ad posticias aedes*. SIG. *posticas* solum dicit, et *aditibus* opponit Ulpian. l. 7. §. 7. D. de Usufr. *vel aditus posticasve vertere* usufructuario permittitur. ubi suppleri potest *fores, januas*, vel *portas*. Livius 23, 8. *Hortus erat posticis aedium partibus*. V. Gronov. ad Livii 40, 2. DUK. *ad posticum*, voce sequenti omissa, Boend. Prisca lectio non nisi in editis obvia fuit. Livius 45, 6. *Per posticum aedium in propinquum cubiculo hortum, atque inde ad mare pervenit. ad posticias aedes*, ut in suis invenit Sigonius, et in contextum recepit, ex meis servant Leid. et Berg. nec non Exc. Pithoei. Alibi tamen me vocem *posticius* legisse, non recordor. Ultima Gruteri *ad posticas aedes* dedit, quod superest in Voss. et Lov. 2. ac verum esse videtur. Forsitan olim scriptum fuerit more antiquo *ad posticas aedis*, et inde factum sit *ad posticum*. Servius indicare videtur ad Virg. 2. Aen. 453. *postica* genere feminino esse vocabulum augurale, *posticum* neutro genere de aedibus dici: quae observatio si vera foret, vulga-

ptum diceret, itaque se transfodit, et sanguine suo fores uxoris respersit. Sulla Nolam in Samnio recepit. quadraginta septem legiones in agros captos deduxit, et eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum, in deditionem accepit. Mitylenae quoque in Asia, quae sola urbs post

tum *ad posticum* praeferre deberet. Eam tamen distinctionem non ubique observatam esse, confiat ex illis, quae Gronov. notat ad Livii 40, 2, 2. Ceterum *Bastiae* gentis mentionem alibi non reperio. Neque codices variant, nisi quod *Hastiae* legat Leid. Verum hujus etiam gentis nullus meminit, nisi inscriptio l. 30. C. de Eviction. quae data est cuidam *Hastio*. An igitur ex unius cod. vestigiis hoc loco legendum *Hostiae uxoris*?

Admissus non est, quia illum proscriptum diceret] *admissus minime est* Norv. et omnes ferme typis descripti ante Sigonium, qui *non*, pro *minime*, emendavit: quod probant Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad Epit. 49. Deinde *dicerent* Leid.

Et sanguine suo fores respersit] Vet. lib. *uxoris fores*. SIG. Idem tamen Sigonius in contextum recepit *fores uxoris*; quod non tantum servarunt eum secuti editores, verum etiam firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Insuper *sanguine fuso* Berg. Voces has interdum in Mstis confundi, confiat ex illis, quae notantur ad 10, 28, 12.

Sulla Nolam in Samnio recepit] Non tam *in Samnio*, quam *a Samnitibus*, qui invaserant. Supra lib. 73. J. FR. GRONOV. *Sulla tam in Samnio* Exc. Pithoei. *a Samnitibus* Clericus recepit, quod in Leid. superesse videtur. *in Samnio* tuentur Voss. Lov. 2. Berg. et Boend.

Quadraginta septem legiones in agros captos deduxit] Appian. 1. Civ. 413. *viginti tres* habet, et p. 416. *centum viginti millia hominum*. Hic numerus sufficere videtur. nam vix credi potest, Sullam cum omnibus suae partis ducibus quadraginta septem legiones sub signis habuisse. DUKER. Numerum augent adhuc Boend. et ed. Camp. *LXVII. legiones* praeferentes. An in numero notis scripto librarii errarunt, ac *XXVII.* pro *XLVII.* scribendum? Praepositio *in* omittitur in Voss. et Berg.

Et eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat] Sullam agros Volaterranorum publicasse, non divisisse, neque iis civitatem eripere potuisse, scribit Cic. 1. ad Att. 9. Pro Dom. 30. et 13. Famil. 4. DUKER. Omnia haec verba omittebantur in Boend. *eos bis divisit* praefert Voss. sed librarius scribere voluit *eos his divisit*, ut legunt alii codd. Tum *Volteras* Lov. 2. *Volterras* Leid. et Voss. *Volateras* Berg.

Expugnatae dirutaeque sunt] De Mitylenaeorum facinoribus in Romanos vide ad Epit. 78. Mitylenas a M. Thermo praetore

victum Mithridatem arma retinebat, expugnatae dirutaeque sunt.

expugnatas fuisse, apud solum Sueton. Caes. cap. 2. legitur: ubi Casaubonus adnotat, praeturam Thermi nusquam alibi reperiri. Pighius ad A. V. ıɔcLXXII. conjecturas habet sine testimonio veterum. Nec recte dicit, hanc epitomen indicare, Mitylenas diu obsessas a L. Lucullo proconsule, post Volaterras in Italia captas, sequenti demum anno expugnatas ac dirutas esse. Nam Epitome, si auctor illius secutus est ordinem temporis, nihil aliud indicat, quam Mitylenas post deditionem Volaterrarum expugnatas esse. Luculli in ea nulla mentio est. DUK. *expugnatae et dirutae sunt* Leid. copula exsulat a Voss. *diruptaeque* legunt Berg. Lov. 2. et ed. Camp. Vide ad Livii 9, 45, 17.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LIV.

IN LOCUM LIBRI LXXXIX. T. LIVII.

I. Inter haec circum Italiae regiones missi post victoriam ab Sulla duces obibant municipia, suspectis praesidia imponebant: alia, quae postulabat usus, aut parendi necessitas, exsequebantur. Sed Cn. Pompejo, quem, dimissa Antistia, privignam suam Aemiliam, M. Scauro genitam, viro suo M. Glabrioni ademptam, ducere compulerat, negotium Carbonis persequendi imposuit; eadem opera Siciliam purgaturo, in quam Carbonis amici quidam, et praecipuus Perperna, qui prius in Liguria bellum cum Sullanis gesserat, vir praetorius, confugerant, quum Carbo et Cn. Domitius in Africam navigassent. Adventu Pompeji Perperna statim Sicilia cessit, civitatesque auctoritate adolescentis, et partim consilio receptae sunt. Inter quas Catana, quum suspecta Pompejo esset, et praesidium recusatura videretur, a fortissimis omnium militibus occupata est, quos Pompejus, impetrato, ut aegri sui reciperentur, sub eo habitu in oppidum miserat.

U. c. 670. A. C. 82.

Cn. Pompejus in Siciliam missus.

Perpernam fugat.

II. Dum haec geruntur, ex Africa cum multis nobilibus viris redierat Carbo, et in Cossura insula rumores de rebus Italicis captabat, in Aegytum fugam meditans, et interim L. Bruto in nave piscatoria Lilybaeum misso, ut exploraret, an in Sicilia Pompejus esset. Sed ille, circumventus a Pompejanis, quum se capi animadverteret, in se mucrone verso, ad transtrum navis, obnixus corporis pondere, occubuit.

Cap. I. Appian. Plut. Sull. c. 66. et Pomp. c. 14. Zonaras. Appian. Oros. 5, 24. Vell. 2, 30. Plut. Pomp. Frontin. Strat. 2, 11. Cap. II. Appian. Oros. 5, 21. Liv. Epit.

U. c. 670. A. C. 82.

Carbonem captum occidit.

III. Pompejus, cognito, Cossurae Carbonem esse, ad comprehendendum eum misit. Quum ita retractus in Siciliam esset, ceteros, qui judicati hostes erant, non admissos in conspectum Pompejus duci jussit: in Carbone visus est se gessisse insolentius, quum ad pedes suos sisti vinctum juberet ter consulem; et ipse, pro tribunali acerbe in eum invectus, (multum indignante corona, quae hunc acerrimum pueritiae Pompeji, ne paternis bonis spoliaretur, defensorem fuisse meminerat) post tam grave ludibrium abduci ad supplicium imperaret.

Carbonis mors deformis.

IV. Hic exitus Carbonis fuit, qui tot in urbe et per Italiam foeda cruentaque facinora fecerat; non merita magis, quam formidata, morte deformis. Ubi enim distringi gladium vidit, simulans sibi alvum purgari, locum et spatium demissa et flebili voce muliebriter petiit, miserrimaeque vitae brevem usuram rapuit, donec caput in sordido loco sedentis impatiens morae miles demeteret. Id Pompejus misit Romam, ut oculos Sullae hoc spectaculo pasceret. Per eosdem dies Q. Valerii Sorani fata reprehensionem Pompeji, et indignationem hominum habuerunt. quem adductum, quia peritissimum humanitatis et priscarum literarum noverat, comiter una deambulans de multis rebus interrogavit: mox, ubi, quae voluerat, etiam arcanum Romae nomen accepit, abripi e conspectu virum trucidarique jussit. Ceterum hoc postremum de Pompejo Q. Oppius tradidit, C. Caesaris amicus, ut aliquid odio dedisse videatur.

Pompejus in Sicilia jus dicit.

V. Nam Pompejus, uti praecipuos inimicorum Sullae et palam oblatos castigare necessum habuit, ita nec cupide requisivit latentes, et quibusdam effugiendi fecit potestatem. Deinde, quia bellum jam nullum in Sicilia supererat, versus ad res insulae componendas jusque dicendum, valde recreavit provinciam, soler idem et incorruptus publicorum privatorumque negotiorum cognitor. Quae res eo gratior Siculis fuit quod multis jam annis dictum in ea insula non me minerant. Mamertinis tamen, tribunal ejus praescri ptione juris vetusti declinantibus, paullo acerbioren

Cap. III. Appian. Plut. Pomp. Flor. 3, 21. Val. Max. 5, 3 5. et 6, 2, 8. Cap. IV. Sall. Incert. 1. Plut. Liv. Epit. Val Max. 9, 13. Appian. Flor. Plut. Plin. 3, 5. Solin. c. 1. Ma crob. Satur. 3, 9. Plut. Quaest. Rom. c. 60. Cap. V. Plu Pomp. Diod. apud Val. Zonaras. Diod. Plut.

se exhibuit, gravi etiam voce edita; *Quousque leges accusto recitabitis?* U. c. 670. A. C. 82.

VI. Longe moderatior fuit in Thermitanorum caussa, qui Himeram colebant. Hos ob ſtudium adverſarum partium quum punire decreviſſet, Sthenius civitatis princeps, *inique facturum*, exclamavit, *ſi ob culpam unius condemnaret omnes.* Et, quaerente Pompejo, *ecquem igitur unum illum eſſe diceret? Se ipſum eſſe* reſpondit, *qui propter C. Marii familiaritatem et hoſpitium cives ſuos, amicis perſuadendo, cogendo inimicos, ad eamdem causſam adduxiſſet.* Delectatus animi generosi adoleſcens tam forti et pia confeſſione, primo illum, deinde civitatem absolvit: et in eo ipſo judicio digniſſimum ſtatuit, quocum hoſpitii contraheret neceſſitudinem. Quum deinde militaris insolentia multas paſſim injurias Siculis inferre diceretur, excogitavit, ut, quoties aliquo mittendi milites eſſent, gladii, ne poſſent educi, obsignarentur; animadvertereturque in eos, quorum a gladiis revulſa cera eſſet. *Sthenii conſtantia et in patriam amor.* *A Pompejo honoratur.*

VII. Hoc rerum ubique statu, quum pacata omnia praeter Hiſpaniam viderentur, ubi Q. Sertorius bellum conflabat, Pio Metello illa expeditione commiſſa, ad rempublicam ordinandam Sulla se transtulit, poteſtate plane tyrannica, sed honeſtius aliquod nomen circumſpiciens. Igitur, licet acta ejus omnia senatus populusque Romanus rata habuiſſet, habiturusque etiam agenda videretur, paullisper ex urbe secedens monuit senatum, *ut, quoniam ſine conſulibus eſſet respublica, comitiis habendis interrex proderetur.* Proditus eſt L. Valerius Flaccus senatus princeps.

VIII. Ad hunc scripsit Sulla, *referret ad populum, videri ſibi dictatorem creandum eſſe, nec ad certum tempus, ſed donec conſtituta respublica foret.* Et in infima epiſtola subjecit, *ſi populus Romanus ſibi id onus imponere velit, ſe populi Romani causſa non recuſaturum.* Libertas comitiorum sperari nulla poterat. igitur, quod proximum erat, libertatis umbram amplexi, Sullam dictatorem perpetuum creant: quum jam propter poteſtatis ejus magnitudinem per annos centum viginti dictator nemo factus eſſet. Lex etiam ab interrege lata eſt, qua *Sulla dictator perpetuus.*

Cap. VI. Cic. in Verr. 2, 46. Plut. Pomp. et in Praecept. Reip. gerendae, c. 50. Cic. Plut. Pomp. Zonaras. Cap. VII. Appian. Oros. 5, 21. Appian. Cap. VIII. Vell. 2, 28. Plut. Sull.

U. c. 670. A. C. 82. *rerum omnium plena et libera potestas Sullae* dabatur, *ut deducere colonias, urbes condere aut evertere, regna eripere aut dare, etiam, quem vellet civium, indicta caussa impune posset occidere.* Dictator, accepto imperio, L. Valerium L. F. L. N. Flaccum, quo rogante lex lata fuerat, magistrum equitum dixit.

Leges multas fert, aut refert.

IX. Formidabilis inde et nova species procedentis in publicum fuit, quum, ut solitum dictatoribus, quatuor et viginti fasces praecederent: quod nemo praesentium umquam viderat. Mox consulta et acta longe terribiliora prodibant: quum leges alias antiquaret, alias novas ferret. *Ne quis praeturam ante quaesturam peteret; neve consulatum ante praeturam: qui aedilis fuisset, continuo praetorem fieri, et ex praetura consulem, licere. Praetores octo quotannis creari.*

X. Consulem eumdem iterum, nisi decennio interposito, creari, superiores quoque leges vetuerant. id, sequentibus temporibus abolitum, Sulla dictator ex antiquo retulit. Itemque *de Majestate: ne cui eorum, qui cum imperio essent, exire de provincia sua, exercitum educere, bellum injussu populi gerere, aut in regnum externum ingredi liceret.* Eadem lege quaestiones haberi de quolibet, nullo discrimine fortunae, jubebat. Nominantur et *de Falso* hodieque leges Corneliae, et *de Sicariis, Veneficisque*, item *de Injuriis.* quae omnes cum pluribus aliis, quas memorare nihil attinet, in dictatura latae sunt.

Tribunorum potestatem minuit.

XI. Sed ante omnia tribunorum plebis potestatem ita minuit, ut tantum non abolevisse videretur. Nam et omne jus legum ferendarum ademit, tantum auxilii ferendi quadam imagine relicta: et ne quis, nisi senator, tribunus fieret, et ne quis tribunitius alium magistratum peteret, tulit. quorum altero provisum erat, ne plebis, quam Patrum, majorem rationem tribuni ducerent: altero, ne quis insigni genere aut favore populi, aut qui rerum magnarum esset appetens, tribunatum adfectaret. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim. Senatum, per se-

Senatum supplet, ei-

Cap. VIII. Cic. contra Rull. 3, 2. Plut. Cic. de Leg. I. 15. Fasti Capit. Cap. IX. Liv. Epit. Appian. Plut. Fab. c. 5. Polyb. l. 3. c. 87. Pigh. Ann. Cap. X. Ammian. Marcell. 19, 18. Pigh. Cap. XI. Sall. Hist. 1. Orat. M. Lepidi. Liv. Epit. Cic. de Leg. 3, 9. Appian. Ascon. in Divin. et 1. Act. in Verr. Appian.

ditionum bellorumque clades infrequentem, tributis comitiis ex equestri ordine supplevit, adlectis circiter trecentis. Quaestores etiam quotannis viginti creari jussit ad supplementum senatus, cui judicia tradiderat. U. c. 670. A. C. 82. *que judicia tribuit.*

XII. Proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit: ut, quod indignissimum profecto erat, senatorum filii et onera ordinis sustinerent, et jura perderent: praesertim quum etiam bona eorum venderet, aut dilargiretur. quod quidem in tanta calamitate multo acerbissimum videbatur: quum ipse, in tribunali sedens, mulieribus formae, quam famae, melioris, histrionibusque et scurris, quibus impense delectabatur, et libertinorum pessimis, agros populis suffecturos et vectigalia civitatum concederet. Chrysogonum certe bona Sex. Roscii, quae erant sexagies, duobus millibus nummûm emisse, Ciceronis oratio testatur, quam proximis deinde consulibus sex et viginti annorum adolescens habuit. Ante diem Kalendas Junias haec auctio coepit. Quum plurima ex his antea rapuisset Sulla, ceterorum pleraque donasset, aut vilissimo pretio addixisset, redactum est ter millies quingenties. *Proscriptorum liberis jus honorum petendorum auferit.*

XIII. His ita pro arbitrio decretis factisque, ut tamen aliqua pristinae reipublicae species esset, consules creare populo permisit. Inter candidatos Q. Lucretius Ofella erat, qui Praeneste ceperat, meritis suis et Sullae gratia confisus. At hunc, quia contra legem recens latam petebat, nondum inferiores magistratus adeptus, primo monuit Sulla, desisteret: deinde, postquam, spreta dictatoris voluntate, magno faventium agmine comitatus in forum venit, a L. Bellieno in medio foro est interfectus. *Q. Lucretium occidi jubet.*

XIV. Indigne rem ferente populo, comprehensus percussor ad Sullae tribunal adducitur, qui sedens pro Castoris ex edito loco caedem spectaverat. Ille, vocata ad concionem multitudine, *Ne nesciatis*, inquit, *Sullae atrox fabula.*

Cap. XI. Liv. Epit. Appian. Tac. 11. Ann. 22. Ascon. in Divin. Cap. XII. Sall. Catil. c. 37. et Hist. 1. in Orat. M. Lep. Plut. Sull. c. 63. et Cicer. c. 15. Vell. 2, 28. Dionys. 8, 92. Plut. Sull. Nicol. Damasc. apud Athen. l. 6. c. 17. Cic. pro Sext. Rosc. c. 8. Cap. XIII. Gell. 15, 28. Cic. pro Sext. Rosc. c. 44. Liv. Epit. Appian. Liv. Epit. Plut. Ascon. in Tog. Candid. Cap. XIV. Plut. Appian.

U. c. 670. A. C. 82. *Quirites, ego jussi. dimittite hominem dictatoris imperio obsequutum.* Addidit deinde atrocissimae interpretationis fabulam: *Rusticum a pediculis morsum, quum semel iterumque interulam purgasset, tandem, ne saepius intermittere opus cogeretur, exutam cum ipsis vermiculis injecisse in ignem. Et ego*, inquit, *monitos volo victos, ne tertium insanientes opus incendio habeant.* Ita depulso, quem certissimum consulem fore omnes crediderant, M. Tullius M. F. A. N. Decula, Cn. Cornelius Dolabella creati, nomen verius, quam dignitatem, consulatus acceperunt. Nam eos dictator, viginti quatuor lictoribus et magna satellitum turba stipatus, potestate plane regia praeminebat.

U. c. 671. A. C. 81. M. Tullio, Cn. Cornelio Coss.

Triumphus de Mithridate.

Ejus Triumphi magnifica pompa.

XV. Initio ejus anni L. Cornelius Sulla dictator de Mithridate rege triumphum duxit. In quo illud laudabiliter ab eo factum, quod neque triumphare de civibus voluit, quamquam ingentibus eorum copiis prostratis; et, quum Asiae Graeciaeque multas urbes transveheret, nullum civium Romanorum oppidum in ea pompa spectari passus est. Ceterum magnificus apparatu ferculisque triumphus fuit, quum inter opulentissimi regis spolia res pretiosae visuque rarae longo ordine portarentur. Sed nullo majore ornamento illustrata pompa est, quam quod tantus nobilissimorum virorum numerus, quos a Mariana factione pulsos reduxerat, in equis currum ejus sequebantur, *servatorem et patrem* appellantes: cui acceptum referebant, *quod adspectu patriae, quod complexu carissimorum pignorum, quod denique communi illa luce fruerentur.* Biduo triumphavit, ante diem quartum et tertium Kalendas Februarias. prima die transtulit auri pondo quindecim millia, et argenti pondo centum et quindecim millia: postridie tredecim millia pondo auri, quae junior Marius ex Capitolinae aedis incendio, ceterisque delubris omnibus Praeneste detulerat, quae et sub eo titulo translata sunt, et argenti septem millia pondo. Exacto triumpho, de rebus suis pro concione disseruit, non minus diligenter enarrans, quae feliciter, quam quae fortiter fecisset: *eaque de caussa aequum videri* dixit, *ut, quod cognomentum recens adsciverat, ab omnibus Felix vocaretur.* Sed ad Graecos scribens *Epaphroditum* se appellabat: positaeque sunt illi cum hac inscriptione statuae.

Cap. XV. Plut. Val. Max. 2, 8. Plut. Fasti Capit. Plin. 33, 1. Plut. Auctor de viris illustr. in Sull. Appian. Plut.

XVI. Eodem anno et L. Murena de Mithridate rege triumphavit, de cujus rebus gestis pauca, neque magnopere laudanda, solus, quod sciam, Appianus refert: quae suis temporibus reddidimus. Post ista, missu Sullae, A. Gabinius ad Murenam venit, denunciatum, *non placere senatui, bellum eum cum rege socio et amico gerere.* Eidem Gabinio mandatum, *ut Mithridatem Ariobarzanemque reges reconciliaret.* Mithridates filium quadrimulum amicitiae et pacis obsidem Ariobarzani quum dedisset; sub ejus pignoris fiducia non modo, quae habebat per Cappadociam, praesidia retinuit, sed insuper aliorum locorum concessione auctus est. Epulum deinde celebratae luxuriae omnibus dedit. nam et praemia proposuit, certum auri pondus, ei, qui plurimum bibisset edissetve, quive dicacissimus fuisset judicatus, aut cantus aliorumve ludicrorum peritia ceteros excelluisset. Eorum praemiorum omnium solum expertem fuisse Gabinium scribunt. U. c. 671. A. C. 81. *L. Murenae triumphus de Mithridate.*

XVII. Haec omnia nihil habent triumpho dignum. Quum tamen honorem illum Sulla haud temere, nisi merito, tribuisse videatur; et *Murenam fortissimum virum, summumque imperatorem*, audiente populo Romano, M. Tullius praedicaverit, non dubito, multa eum praeclara in Cappadocia Pontoque gessisse, donec, a L. Sulla revocatus, tradita M. Minucio provincia, Romam ad triumphum decederet. Sane, quae supersunt, Pontici Memnonis reliquiae, confirmato illum Ariobarzanis regno, urbem adversus irruptionem Mithridatis condidisse, tradunt: deinde multis suadentibus Sinopen versus movisse, capite regni occupato, ceteram in promptu victoriam fore ratum. Sed Mithridatem, firmo imposito praesidio, ipsum cum exercitu occurrisse Murenae: principia prosperiora regi fuisse; deinde aequo Marte gestum bellum, detrito utrarumque partium ardore, consenuisse. Mithridatem ad Phasin fluvium, Murenam in Asiam revertisse. *Ejus gesta.*

XVIII. Dum, inter has triumphorum pompas, toties capta suorum armis Roma gentibus externis exprobrat victoriam, in Africa ductu imperioque Cn. Pompeji praeclarissime gesta respublica est; quo ille, *Cn. Pompejus res in Africa gerit.*

Cap. XVI. Fasti Capit. Cic. pro lege Manil. c. 3. et pro Murena. Appian. Mithrid. Cap. XVII. Cic. pro Lege Manil. Cic. Acad. 6, 1. Sueton. Caes. c. 2. Memnon apud Phot. Cap. XVIII. Liv. Epit. Plut. Pomp. c. 17.

U. c. 671. A. C. 81. Sullae literis et senatusconsulto acceptis, ex Sicilia transmiserat. Cn. enim Domitius Ahenobarbus proscriptus, (erat enim Cinnae gener) magna ibi manu coacta, priusquam magis confirmaretur, debellandus erat, ne pacem Italiae turbaret, quod ex eadem regione C. Marius non ita pridem, longe minoribus copiis instructus, fecerat. Pompejus, relicto, qui Siciliae praeesset, Memmio, sororis suae viro, cum navibus longis centum viginti trajecit copias, sequentibus onerariis octingentis, quibus commeatus, arma, pecuniaeque, et machinae portabantur. Parte classis Uticae portum tenente, parte Carthaginem appulsa, simul adesse Pompejum percrebuit, septem ad eum millia ab hostibus desciverunt. ipse sub signis sex legiones plenas habebat.

Exercitus Pompejani ridicula occupatio.

XIX. Sed inutilis ei per aliquot dies exercitus a ridicula caussa fuit. Forte militum quidam defossam olim in agro pecuniam repererant. ea fama per tota castra pervagante, omnem eam regionem plenam esse thesauris, quum Punica res floreret, absconditis, dictum simul vulgo creditumque est. Inde nihil videres aliud, nisi sparsa per campos agmina effodientium eruentiumque humum: neque abduci ab hac insania ulla vi aut arte poterant. complures ita dies absumpti, circumeunte Pompejo, nec tenente risum, quod tot millia hominum invertendis agris, tamquam rei seriae, incumbere cernebat. Tandem, inani labore defatigati, dixerunt Pompejo, *uti se, quo vellet, duceret: satis magnas se stultitiae suae poenas dedisse.*

Proelium Pompeji cum Domitio.

XX. Circa Uticam uterque exercitus in acie adstitit, valle tantum interposita aspera et ad transeundum difficili. Ob eam rem, et quia ventus imbrem ferens a primo mane ortus, ne provecto quidem die cessabat, Domitius, tum temporis minime pugnatum iniratus, signum receptui dedit. Hanc suam occasionem Pompejus prudenti consilio ratus, continuo transduxit suos, hostibusque incompositis et disjectis incubuit. at illi vento quoque turbabantur, qui, compulsi in ora oculosque pluvia, conspectum auditumque adimebat. Nec expers hujus incommodi Pompejanus exercitus erat: adeoque dux ipse parum absfuit, qui occi-

Cap. XVIII. Oros. 5, 24. Plut. Cap. XX. Oros. 5, 2 Plut.

occideretur a milite, cui tesseram poscenti tardius reddiderat. Victi tamen magna pugna Domitiani sunt, ut de viginti millibus hominum tria tantum superessent. Pompejus, quum ob hanc victoriam *Imperator* ab exercitu appellaretur, negavit, *hoc se nomen agnoscere, donec hostium castra starent.* Ad hunc quoque laborem promptis militum manibus usus est: et, ne iterum in simile periculum incideret, deposita galea, nudo capite pugnavit. Castra capta sunt: Domitius, dum inter primos repugnat, occubuit. Civitates, quae sequutae Carbonianas partes fuerant, sponte ad obsequium victoris occurrerunt: nonnullae vi receptae sunt. U. c. 671. A. C. 81.

XXI. Ut deinde Hiempsalem in Numidiae regnum restitueret, Hiertam bello persequutus, quia Domitio auxilium tulerat, in fugam praecipitem egit: deinde, immisso Bogude, Bocchi Maurorum regis filio, copiis omnibus spoliavit: postremo Bullae obsessum, dedito sibi oppido, interfecit. Ita regnum Numidiae ab Hierta ad Hiempsalem Pompeji beneficio rediit: quam universam finitimasque aliquot regiones cum victore exercitu mira celeritate peragravit, quadraginta non amplius diebus Africa recepta, regnorumque statu composito, annorum admodum quatuor et viginti adolescens. *Pompejus Hiempsalem in Numidiae regnum restituit.*

XXII. Postquam e Numidia reversus Uticam est, redditae sunt ei dictatoris literae, dimittere jubentis exercitum, et cum una legione exspectare successorem. Id quum ipsum occulte morderet, exercitus palam indignantissime tulit: et, petente Pompejo, ut proficiscerentur, multis in dictatorem conviciis, *tyrannum* et *Cinnam* appellantes, negarunt *se passuros, ut sine legionibus se credat homini crudeli et perfido.* Adversus haec Pompejus orando monendoque mitigare iratos conabatur: sed, illis in sententia persistentibus, in tabernaculum, relicto tribunali, lacrimabundus se recepit. Tum illi reprehensum iterum collocarunt in suggestu: magnaque diei pars hac contentione exempta est; donec, instantibus illis et clamorem tollentibus, juravit sibi manus allaturum esse, ni quiescant. Aegre destiterunt. *Revocatur a Sulla.*

Cap. XX. Liv. Epit. Oros. Plut. Val. Max. 6, 2. Plut. Cap. XXI. Sall. Hist. 1, 4. Eutrop. l. 5. Auctor de viris illustr. in Pomp. Oros. Hirt. de B. Afric. c. 22. Plut. Liv. Epit. Plut. Sull. Incert. 10. Plut.

U. c. 671. A. C. 81. *Aegyptiorum legati Romae regem petunt.*

XXIII. Inter haec Aegyptii legati venerunt Romam, Cleopatrae, quae post mortem viri Alexandri ac patris Lathuri, duorum Ptolemaeorum, regnum obtinebat, maritum ex regia stirpe petituri. Nam Alexandri filius ex alia uxore, cognominis patri, quum a Coïs, apud quos educabatur, Mithridati deditus, ab hoc ad Sullam profugisset, inter familiares ejus Romae agebat. Idcirco Sulla, tum alias honestum sibi fore ratus, Aegypto regem imposuisse, tum ex opulentissimo regno praedam forte sperans, Alexandrum ad Cleopatram mittit.

Alexander mittitur; sed malis successibus.

XXIV. Sed illi, nuptiis novercae potito, haud satis fuit consortem regni factum esse, quin, Sullae fiducia, quidlibet pro sua unius libidine faceret: eo progressus vesaniae, ut undevicesimo imperii die Cleopatram, audaciae suae succensentem, de medio tolleret. Sed mors mulieris, ipsius quoque vitae properum attulit finem: Alexandrinique, correptis armis, e regia protractum in Gymnasio interemerunt. Regnum ad Ptolemaeum, cognomento *juvenem Bacchum*, qui Ptolemaeo editus mox cognomen *Auletae* ex tibiarum studio nactus est, tamquam proximum Cleopatrae sororis haeredem, pervenit.

U. c. 672. A. C. 80. L. Cornelio II. Q. Caecilio Coss. *Pompeji reditus ex Africa.*

XXV. Anno sequente L. Sulla, quamquam dictaturam gereret, iterum creari consul voluit, adsumpto in societatem honoris Q. Caecilio Q. F. L. N. Metello Pio. Quod deinde Caesaribus exemplum placuit, ut cum summa et regia potestate consulatus titulum conjungere pulcrum et civile arbitrarentur. Hic annus jucundum, nec ante visum urbi spectaculum attulit, quum eques Romanus, idque nondum expleto quinto et vicesimo aetatis anno, triumpharet. Pompejus is fuit, non minoris paullo ante terroris hominibus, quam nunc laetitiae caussa, quia dedignantem jussa Sullae cum infesto exercitu venturum in Italiam putaverant. Unde Sullam quoque dixisse rumor erat, *fatale sibi esse cum pueris in senectute colluctari*, quod et C. Marius adolescens negotium ei exhibuerat. Igitur, quemadmodum praesentibus uteretur incertus, et ferebat de redi

Cap. XXIII. Appian. Civil. l. 1. Porphyr. apud Euseb. Gr. p. 225. Appian. Cap. XXIV. Porphyr. Appian. Porphyr. Prolog. Trog. 39. Strabo, l. 17. p. 796. Cap. XXV. Appian. Plin. 7, 26. Liv. Epit. Plut. Sall. Hist. 2, 1. Caesar. Civil. 1, 7.

tu ejus legem, et ex composito per C. Herennium tribunum plebis se sinebat prohiberi. Nam, alio ferme omni jure tribunis erepto, intercessionem liberam reliquerat. U. c. 672. A. C. 80.

XXVI. Ceterum fama Pompeji, Romam pacato agmine contendentis, metu ac sollicitudine civitatem absolvit. Incredibilis hominum multitudo, cum summa propensissimae voluntatis demonstratione, obviam fuere. Sulla quoque, quasi cum studiis civium certaturus, occurrit ei, pronoque favore acceptum, elata voce *Magnum* consalutavit, adstantesque monuit, ut hoc eum deinceps nomine compellarent. *Sulla honoris caussa occurrit Pompejo.*

XXVII. Triumphum tamen petenti restitit: nec quasi invideret. *Nec enim ignoras*, inquit, *Cn. Pompei, quanti te faciam, quantisque dignum honoribus judicem. quid enim est, quod non virtus illa tua, reique publicae et mihi praestita fidelissima atque fortissima opera, mereatur? Et ego, si verum amas, non parcior in honoranda virtute tua fui, quam tu in explicanda exstitisti. sed neque in posterum quidquam tibi negaturus sum, quod fieri possit, et institutis civitatis nostrae patiantur. Verum enimvero ita comparatum esse nosti, ut more majorum hic honor concedatur nemini, nisi qui consulari aut praetorio imperio praeditus res gesserit. Ita P. Cornelius, aliquanto amplioribus in Hispania gestis rebus, ita M. Claudius, captis Syracusis, triumpho caruerunt. Non debes indignanter pati, si Scipionibus et Marcellis aequeris adolescens nondum aetate senatoria. Plus est meruisse triumphum, quam duxisse: et, si quid in hac pompa felicitatis inesse arbitraris, non adempta tibi, sed ad maturos honores, quorum certiora pignora nemo unquam habuit, seposita est. Quid te delectat occupare cum invidia, quod paullo post ultro venturum est cum gloria?* *Sed triumphum negat.*

XXVIII. *Quamquam, si te tantummodo sermonibus hominum objectares, fortassis ego paterer; et tibi eadem aetas, quae ad commovenda judicia facit animum, etiam ad ferenda daret. Sed quia mihi nemo ignoscet, cujus ab annis et potestate publici decoris scientia simul atque custodia postulatur, ut vel mea caussa desistas, peto. Quod si tu mei rationem habere renuis, et, rem utrique invidiosam poscere perseverans, salva amicitia nostra hoc facere posse existimas, mihi quoque tantumdem juris adsumam: et, quod ambitione ac cupiditate inductus captas, auctoritate et jure prohibebo.* *Rem invidiosam et illi et sibi dictitans.*

Cap. XXVI. Plut. Cap. XXVII. Val. Max. 2, 8, 5. Cap. XXVIII. Plut.

U. c. 672.
A. C. 80.

Pompeji vox Sullam movet.

XXIX. Vera erant, quae allegabantur, sed intelligebat adolescens, frustra haec ab eo adferri, qui jura civitatis omnia prior conculcasset. Ideo, ne Lucretii quidem casu perterritus, institit tanta fiducia, ut etiam, *plures adorare solem orientem, quam occidentem*, diceret. Eam vocem quum non satis Sulla percepisset, ex vultu autem gestuque mirantium aliquid inusitati esse conjiceret; *quid enim dixisset Pompejus?* interrogavit: acceptoque, confidentia adolescentis perculsus, voce velociter repetita, *triumphet! triumphet!* exclamavit. Erat plane res livori multorum obnoxia. sed Pompejus, ut malignitatem eorum ulciscereturque, augeretque dolorem, quadrigis elephantorum invehi constituit: multas enim belluas, victo Numidiae rege, ceperat. Sed, quia porta erat angustior, quam ut juncti intrare elephanti possent, ad pristinum morem reversus est.

Pompeji severitas in seditione militum.

XXX. Dum id agitur, exercitus donativo non contentus tumultuabatur: et pecuniam, quae erat ferenda in triumpho, direpturos dicebant. Neque deerant ex illustribus, qui dividendam dicerent, ne seditio oriretur. Sed ille negabat, *se clamoribus militum commoveri. Non ideo cepisse arma, et cum principibus civitatis multa proelia fecisse, ut iis serviret, quibus imperare debeat. Mirari se hominum amentiam, si putent constantiam, quam in mediis bellorum tumultibus semper praestiterit, nunc parta pace, victis hostibus, ad urbem omissurum. Non ita se per Italiam hoc bello, Siciliamque et Africam esse cognitum, ut illi ipsi, quos animi sui testes toto eo tempore habuisset, sperent seditiosis vocibus ab instituto dimoveri posse.*

Liberalem se fore dicit suo arbitrio.

XXXI. *Facilem se et liberalem exercitibus suis imperatorem exhibuisse, quoad rectum honestumque putaverit: nunc etiam pronunciasse, quod satis esse existimet, praesertim tam brevi expeditione defunctis. Olim milites Romanos parvo contentos maluisse sudoribus et periculis suis aerarium publicum locupletari: nunc sibi studere quemque, ut, defraudata republica, in tot particulas distractae pecuniae neque privatorum cupiditatem expleant, et usibus civitatis, nimium quantum his temporibus exhaustae, subtrahantur.*

XXXII. *Audire se, jactari a quibusdam, multum etiam juris penes exercitum esse. Id quidem facilius dici, quam demonstrari, posse. Ceterum, ut maxime ita res haberet, mis-*

Cap. XXIX. Zonar. Plut. Plin. 8, 2. Plut. Cap. XXX. Frontin. Strat. 4, 5.

sum se prius triumphum facere, quam ut militibus suis adulentur. Fasces deinde laureatos objecit acriter increpitis, ab illorum direptione jubens incipere. Hac verecundia quum ad modestiam eos redegisset, in majori omnium admiratione, quam ob tot res bello gestas, fuit: Serviliusque, praecipuus antea negandi triumphi auctor, pulcherrimum ei testimonium reddidit; *nunc vero se Pompejum vere Magnum, triumphoque dignissimum agnoscere.* U. c. 672. A. C. 80.

XXXIII. Sub idem tempus C. Norbanus consularis proscriptus, quum Rhodum trajecisset, atque repetitus a Sulla comprehenderetur, Rhodiis adhuc deliberantibus, in medio foro se interemit. Neque enim adhuc proscriptionum acerbitas plane conquieverat: et Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad aedes Bastiae uxoris quum accessisset, admissus minime est, quod illum mulier proscriptum diceret: itaque se transfodit, et sanguine suo fores uxoris respersit. Tum etiam Nola, quae postrema urbium Samnitibus infestarum pertinacissime arma retinebat, proditione capta est, M. Aemilio Lepido intromisso: reque cognita obsessi, quia Samnitibus nulla spes salutis apud Sullam relicta erat, suis aut suorum gladiis occuparunt necem: quidam laqueis praefocati sunt: alii, foribus occlusis, domos seque concremarunt: eodemque tempore ventus exortus vehemens ita distulit incendium, ut, oppido conflagrante, omnis simul praeda amitteretur. *C. Norbanus se interimit.* *Nola capitur.*

XXXIV. At L. Sulla, quo urbem et Italiam suae factionis hominibus, quasi compedibus, vinctas teneret, decem millia servorum, aetate ac viribus florentissimum quemque, manumisit, qui, inter cives adscripti, de nomine patroni, uti mos erat, *Cornelii* sunt appellati. Lege deinde comitiis centuriatis lata, municipiis plerisque civitatem et agros ademit. adscripsit tamen in eamdem legem: *si quid jus non esset rogari, ejus a lege nihilum rogatum.* Ita caput de civitatis jure adempto ne vivo quidem Sulla valuit: de agris ratum fuit; et coloniae militares legiones tres et viginti deductae, iisque divisi agri sunt. Namque, non modo qui arma contra tulerant, sed quorum neutro *Municipiis civitas et agri adimuntur.*

Cap. XXXII. Plut. Zonar. Frontin. Plut. Zonar. Cap. XXXIII. Liv. Epit. Appian. Liv. Epit. Vellejus a, 18. Liv. Epit. Appian. Cap. XXXIV. Cic. pro Domo, c. 30. Cic. pro Caecin. c. 33. Cic. pro Domo. Liv. Epit. Appian.

U. c. 672. A. C. 80. inclinata ſtudia, aut etiam pro Sulla fuerant, res suas fortunasque omnes perdiderunt. nec enim tam in poenam inimicorum, quam ut firmamenta dominationi quaererentur, talia fiebant.

Reges etiam premuntur a Sulla.

XXXV. Ex eadem disciplina externae nationes regesque, non ſtipendiarii solum, sed et aequo foedere juncti, nonnulli etiam ob virtutem et merita immunitatem adepti, exactionibus et tributis atterebantur: ut etiam agri quibusdam et portus, qui ex formula foederis debebantur, adimerentur. His maxime rebus et ille annus praeteriit, et proximus, quo P. Servilius C. F. M. N. Vatia, qui poſtmodum Iſauricus appellatus eſt, et Ap. Claudius conſules fuerunt. Nam oblatum sibi adulatione populi consulatum Sulla recuſaverat.

U. c. 673. A. C. 79. P. Servilio, Ap. Claudio Coſſ.

Volaterrae deduntur.

XXXVI. Inter haec Volaterrae, quod oppidum adhuc in armis erat, publica interposita fide, sunt deditae. In Etruria Volaterrae sunt juxta litus maris, eximio ad tutelam loci situ. Nam e profunda valle tumulus undique praeceps in altitudinem prope duorum millium paſſuum erectus urbem suſtinebat, uti adſcenſu aſpero et difficili, ita plano commodoque vertice. Huc se proſcriptorum quidam contulerant, coactaque Etruſcorum manu, quum legiones quatuor effeciſſent, per biennium reſtiterunt: quamquam nonnumquam ipſe dictator in caſtris obsidentium fuiſſet. Sic exſtinctis per Italiam bellorum reliquiis, etiam in Asia, quae sola urbs poſt victum Mithridatem in rebellione perſtiterat, Mitylenae a M. Thermo expugnatae diruta eaque sunt. Eo bello C. Julius Caeſar admodum adoleſcens in contubernio praetoris egit, et ab eo, captis Mitylenis, corona civica donatus eſt.

Mitylenis expugnatis, C. Caesar civicam meretur.

Sulla privatus ex dictatore.

XXXVII. Idem annus L. Sullam ex perpetuo dictatore privatum vidit, rem inopinatam, et non una de cauſſa prorſus admirabilem. Qui enim, tamquam rabie quadam actus, nihil usquam sibique et aliis quietum, nulla jura inviolata, nihil ad summam contentionem laborum, periculorum, denique scelerum et immanitatis reliquum fecerat, ut unus omnia poſſet; is ut, interpellante nemine, summi imperii pacatam

Cap. XXXV. Memnon. Appian. Cap. XXXVI. Liv. Epit. Cic. pro Domo. Strabo, l. 5. p. 223. Cic. pro Sex. Rosc. c. 37. Liv. Epit. Sueton. Caes. c. 2. Cap. XXXVII. Oros 5, 22. Plut. Sull. Appian.

et patientia civium propemodum justam possessionem sponte deponeret, exspectari profecto non debuit: praesertim quum neque aetate etiamnum, neque corporis viribus destitueretur. An ipsum jam pigebat raptae potestatis? et, quum recordatio delictorum serae poenitentiae morsibus consciam mentem cruentaret, quantas miserias quam vile ob praemium perferret, experientia monstrante, persenserat? Nam, priusquam cupitis potiretur, in his omnem inesse et solidam animi felicitatem crediderat. adeptus deinde, quum se pejus etiam excruciari deprehenderet, odisse atque fastidire coepit, quod antea per tot bella civilia flagrantissime appetiverat. U. c. 673. A. C. 79.

XXXVIII. Haec exempla docere mortalitatem poterant, ut, priusquam sese praecipitent, unde regredi non liceat, consilio regant adfectus, iisque rebus quaerendis adhibeant, quas ubi consequuti fuerint, nullo deinceps pudore poenitentiave torqueantur. Nam, Sulla quidem quam acerbis suppliciis domitus pristini judicii errorem emendaverit, in propatulo est, quum rem antea praelatam omnibus ita festinaret abjicere, ut, ne mortis quidem metu, tot millium in se irritatis animis, retentus, hoc diserte dicere videretur, perire se malle, quam diutius dictatorem agere. Non dubito, quin plerique pravo consilio usum fuisse Sullam judicaturi sint, quemadmodum et statim C. Caesar, in depositam ab eo dictaturam ludens, *Sullam nescisse literas* dixit. Sed eventus utriusque satis ostendit, doctiorem in his negotiis Caesare Sullam fuisse. *Adfectus consilio regendi.* *Caesaris dictum in Sullam.*

XXXIX. Proximum deinde miraculum fuit, quod privato non solum salus, sed etiam dignitas constitit: quum plusquam centum millia civium Romanorum, et inter hos senatores nonaginta, consulares quindecim, equitum circiter duo millia sexcentos (computatis una exsulibus) occidisset; bona eorum vendidisset; multos projecisset inhumatos; civitates quoque plurimas arcibus, muris, agris, pecunia varie spoliasset. Ceterum illum, ne hominum manibus cita et communi plurimis morte defungeretur, ad memorabile exemplum ultio divina servaverat.

XL. Ideo quum pro concione dixisset, *rationem se actorum omnium, si quis reposcat, redditurum esse*, dimissis *Adolescens conviciatur Sullae.*

Cap. XXXVIII. Sueton. Caes. c. 77. Cap. XXXIX. Appian. Oros. Appian. Cap. XL. Plut.

U. c. 673. A. C. 79. lictoribus atque custodia, cum amicis diu in publico deambulavit, attonito populo, et haec miracula non sine horrore quodam adspiciente. Unus tantum adolescens fuit, qui auderet queri, et, quia nemo prohibebat, animo sumpto, recedentem usque ad fores domus conviciis incesseret. Atque ille, cujus iram potentissimi viri maximaeque civitates nec effugere, nec placare potuerant, unius adolescentuli contumelias patienti animo tulit; id tantum in limine jam domus effatus, *Hic adolescens efficiet, ne quis posthac tale imperium deponat.* quam praesagi animi vocem non longo post tempore dictator Caesar explevit.

XLI. Sulla, profectus in Cumanum, rusticari, piscandoque et venando tempus ducere coepit: quum prius, Herculi consecratis decimis, epulum populo sumptuosissimum praebuisset, ea adfluentia, ut quotidie (per multos enim dies ducebatur) ingens vis ciborum in amnem projiceretur. Vinum quoque dedit annis quadraginta vetustius, quod a nomine consulis, sub quo natum fuit, *Opimianum* vocabatur. nam contra suas ipse leges, leniendae aegritudinis caussa, luxum intenderat, iisdem diebus uxore amissa Metella. Ei, quum jam desperatae salutis esset, de sententia sacerdotum libellum repudii Sulla misit, spirantemque adhuc transferri in alias aedes jussit, quod scilicet religiosissimus pontifex, qui tot hominum agmina contrucidaverat, salvis religionibus adspicere morientem, aut funere pollui domum suam ferre non posset.

Metella Sullae moritur.

XLII. Non tamen sic abstinuit a republica, ut nullo eorum, quae fierent, sensu adficeretur. Igitur comitiis consularibus, quum, praeter suam sententiam designato M. Aemilio Lepido, Pompejus, cujus studiis perfecta res fuerat, laetus abiret, vocavit eum ad se Sulla, dixitque, *Te vero providum consilii, adolescens, et sapientem! qui pessimum omnium Lepidum optimo omnium Catulo priorem renunciandum curaveris. At tu fac, vigiles, qui adversarium effecisti valentiorem.* Neque fefellit eum praesagus futuri animus, et, spirante adhuc Sulla, seditiosam ad Quirites orationem Lepidus consul habuit, quae adhuc inter reliquias Historiae Sallustianae servatur.

Sullae vox ad Pompejum de Lepido.

Cap. XL. Appian. Cap. XLI. Plut. Plin. 14, 14. Plut. Senec. Consol. ad Marc. c. 15. Plut. Cap. XLII. Zonar. Appian. Plut. Sull. et Pomp. Sall. Hist. 1.

XLIII. Paullo ante hoc tempus, quum a Mithridate ad scribendum foedus legati venissent, infecta re dimissi sunt: quod Ariobarzanes, sponte sua, an aliorum instinctu, incertum, non esse sibi cum fide restitutam Cappadociam detulerat: Eam Sulla tum adhuc dictator jussit restitui. et Mithridates paruit, quamquam, ad Phasin et Caucasum rebus interea praeclare gestis, imperii fines protulerat, Bosporanis subactis, quibus filiorum unum Macharem regem dedit. Sed idem, quum in Achaeos fecisset expeditionem, insidiis et vi frigoris exercitum carpentibus, vix tertiam copiarum partem reduxerat.

U. c. 673. A. C. 79. *Mithridatis res gestae.*

Cap. XLIII. Appian. Mithrid. Memnon. Appian.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI.

Sulla decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Aemilius Lepi-

M. Lepidus, quum acta Sullae tentaret rescindere] Barberinus et minor Gudianus: *M. Aemilius Lepidus.* J. FR. GRON. Similiter Leid. et Berg. At vocem additam nesciunt Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et Norv. Tum *tractaret rescindere* Leid. Paullo ante *ab senatu* edidit Gron. anno 1665. quum priores habuissent *a senatu*, quod tuentur omnes nostri, Exc. Pithoei, et Norv.

Et a Q. Catulo collega] Prima vocula exsulat a Berg. Lov. 2. et Boend. prima et secunda a Voss. Forte legendum, *sed a Q. Catulo collega Italia pulsus, et in Sardinia frustra bellum molitus, periit.*

M. Brutus] Pater illius, qui deinde cum Cassio et aliis adversus Caesarem conspiravit. Plutarch. in vita Pompeji et Bruti. Lepidum Galliam Transalpinam, *τὴν ὑπὲρ Ἄλπεις Γαλατίαν*, id est provinciam Narbonensem, sortitum fuisse, auctor est Appian. 1. Civ. 418. De citeriore ita scribit Plutarch. Pompejum ducem belli creatum fuisse adversus Lepidum, ulteriorem Galliam per Brutum exercitu obtinentem, *τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν κατέχοντα διὰ Βρούτου στρατεύματι.* Ex eo non decerni potest, utrum Brutus praetor, an pro praetore, an legatus Lepidi, eam obtinuerit. Pighius ad A. V. ꝛɔcLxxv. et sequentem, Brutum ex praetura Galliam citeriorem provinciam habuisse prodidit; sed conjecturam hanc nulla auctoritate scriptorum veterum confirmare potuit. Neque id mirum est: nam, deperditis monumentis vetustis, in quibus, quo quoque tempore, loco, modo, et a quibus gesta essent, exponebatur, ex iis, qui sparsim quaedam de illis retulerunt, nulla satis certa notitia rerum his, superioribus et sequentibus aliquot annis gestarum, et hominum, per quos illae gestae fuerint, haberi potest. DUKERUS.

Qui Cisalpinam Galliam tenebat] Voss. et Gudiani *obtinebat.* J. FR. GRONOV. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *optinebat* Exc. Pithoei. Mox vocula *est* non adparet in Voss.

Q. Sertorius proscriptus] Barber. interponit: *Q. Sertorii viri bellicosissimi gesta referuntur.* Cui forte connectendum: *qui proscriptus.* Gudianus quoque: *Q. Sertorii viri bellacissimi gesta referuntur.* J. FR. GRON. Omnes nostri conspirant in vulgatum et verba in codd. Gronovii interposita ignorant. *Et Q. Sertorius* ed. Camp.

L. Manlius proconsul] Hum subsidio Metelli ex Gallia, cui ipsi

dus, quum acta Sullae tentaret rescindere, bellum excitavit: et a Q. Catulo collega Italia pulsus est: et in Sardinia, frustra bellum molitus, periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat, a Cn. Pompejo occisus est. Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul et M. Domitius legatus ab Herculejo

praeerat, in Hispaniam venisse scribit Orosius [5, 23.] et *Manilium* nominat; quo pacto legendum esse apud Plutarch. in Sertor. [pag. 574.] puto. Ὥστε μὲν Λόλλιον ἐκ τῆς περὶ Νάρβωνα Γαλατίας ἐλθεῖν ἀντῷ βοηθόν. est enim legendum ὥστε Μανίλιον. SIG. Ut hic, ita et in Oros. 5, 22. alia exemplaria habent *Manlius*, alia *Manilius*. In Plutarchi Sertorio, quem locum citat Sigonius, est ὥστε Λεύκιον μὲν Λόλλιον, pro quo Doctiss. Solanus legendum conjicit ὥστε Λεύκιον μὲν Μάλλιον. Sed quis hic sive *Manlius*, sive *Manilius*, quem *proconsulem Galliae* vocat Orosius, fuerit, itidem obscurum est. Pighius ad A. V. 10CLXXV. hic quoque *Manilius*, et in Plutarcho Μανίλιον legit, et praetorem cum imperio consulari eo anno Galliam provinciam habuisse putat. DUKER. *L. Manlius* uno consensu hic legunt manu et typis exarati.

M. Antonius legatus] Vet. lib. habent *M. Domitius*. et recte. Nam Antonius, cujus post mentio fit, in hoc bello cum Sertorio erat: Domitius autem cum Metello. Domitium autem ab Herculejo Sertorii duce cum exercitu oppressum scribit Orosius, Eutropius, et Plutarchus. Et Sallustius Histor. lib. 1. in quo Sertorianum bellum narrabat: *Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, a Metello arcessitum* scribit, ut ait Priscian. lib. 10, [901.] Porro autem *L. Domitius* vocandus. Sic enim et Eutropius, et Plutarchus. SIG. *Domitius*, quod recte restituit Sigonius, praenomen *M.* habere non potuit: nam, gentem Domitiam nulla praenomina, praeterquam *Cnaei* et *Lucii*, usurpasse, e Suetonio Ner. cap. 1. notum est. Nec tamen ei praenomen *L.* addit Plutarchus. Sed Sigonius pro eo, quod ibi scriptum est, Δομίτιον δὲ καὶ Λούσιον. ἀνθύπατον τῆς ἑτέρας Ἰβηρίας, forsitan legendum putavit Λούκιον δὲ Δομίτιον; quod Xylandro quoque in mentem venit. Locum illum corruptum esse certius est, quam quomodo emendandus sit: nam, non *Lusium*, sed *Domitium* proconsulem citerioris Hispaniae fuisse, fragmentum Sallustii apud Priscan. testatur. Solanus ibi Λούσιον ex eo, quod paullo ante haec verba in Plutarcho legitur Λεύκιον μὲν Λόλλιον, intrusum suspicatur. Eutropio 6, 1 *L. Domitius praetor* est: praetor cum imperio proconsulari scilicet, unde Sallustius *proconsulem* vocat. DUK. *M. Antonius* servant Boend. et Norv. *M. Domitius* Leid. Voss. Berg. et Boend. Iis, qui *L. Domitius* legendum censent, non adversor, quia ita apud Eutrop. vocatur. Videndum tamen, quum omnes codd. hic in praenomen *M.* consentiant,

quaestore proelio victi sunt. Praeterea res a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gestas continet.

an potius *Cn. Domitius* legendum sit. Praenominis enim *Cnaei* compendium *Cn.* saepe ab indoctis librariis in *M.* sive *Marcum* mutatum esse, vidimus ad 7, 12, 1. Apud Plutarch. autem in Sertor. pag. 574. pro *Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον*, Fabric. ad Oros. 5, 23. *Δομέτιον δὲ Καλουΐνον* legendum censebat, *Λούκιον*, pro *Λούσιον*, Haverkampius. Vox *legatus* deest in ed. Camp.

Ab Hirtulejo quaestore] Vet. lib. *Herculejo*. Item Eutropius [6, 1.] item Sallustius Histor. lib. 3. *Occurrere duci, et proelium accendere, adeo uti Metello in sagum, Herculeja in bracchium tela venirent.* ex Marcello in voce *Sagum*. Hunc, ut opinor, *Ἐρέννιον* nominat Plutarch. in Pompejo [pag. 628.] SIGON. *a Birtalegio* Voss. *ab Hirculegio* Lov. 2. *ab Hirculejo* Berg. et Boend. *ab Herculejo* Leid. Exc. Pithoei, et edd. ante Frob. qui anno 1535. *ab Hirtulejo* substituit. Vide viros doctos ad Flori 3, 22, 6. Front. 1, 5, 8. Oros. 5, 23. et Eutrop. 6, 1.

Praeterea res a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gestas] *Praeterea a P. Servilio proconsule adversus Cilicas res gestas* Exc. Pithoei, Norv. et edd. vett. Parum inde differunt Lov. 2. et Boend. nisi quod prior *gestas res*, posterior *aliquas*, pro *Cilicas*, praeferant. *Praeterea a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gentes gesta* Berg. Quod nunc vulgo superest, in edd. Gruteri primum inveni. Consentiunt iis Leid. et Voss. Similis varietas infra est Epit. 104. in fine.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LV.

IN LOCUM LIBRI XC. T. LIVII.

I. Res populi Romani, M. Lepido, Q. Catulo consulibus, ac deinde, militiae et domi gestas, amisso Livio, satis ex Sallustianis historiis licebat cognoscere, nisi et illas idem omnino fatum abstulisset. Idcirco, fontibus obturatis, ex rivulis aut etiam lacunis ista nobis haurienda sunt: sic interim sordida coenoque permixta, ut vix magno studio et attentione percolata liquescant. Sed nos, qua poterimus industria, coepto insistentes, a morte L. Sullae velut novum initium ordiemur. Nam ibi iterum conversio quaedam reipublicae facta est, et auctoris voluntate deposita brevis aevi dominatio morte ipsius plane exstincta. U. c. 674. A. C. 78. M. Aemilio, Q. Lutatio Coss.

II. Morbus igitur, quo Sulla periit, minime communis fati, sed singularis cujusdam foeditatis atque supplicii fuit, exuberantibus pediculis, ut, qui tot millia civium cognatique sanguinis hominum inauditis cruciatibus peremisset, ejusdem artus, velut intestino bello, ab illo, quem genuerant, animalculorum exercitu diriperentur. Est enim profecto Deus, qui numquam impune spernitur; et, licet acerbiores poenas in aliud aevum justissimus judex sepofuerit, quod includi praesentis angustiis nequeant, saepe tamen viventibus proponit spectanda noxiorum tanta supplicia, ut, si nihil deinceps timendum foret, vel his deberent a peccando deterreri. *Morbus Sullae pedicularis.* *Justum Dei judicium.*

III. Dissimulavit tamen utcumque mali sensum jam non felix Sulla, et, quo avocaret a tam tristi cogitatione animum, in quaslibet occupationes incubuit, *Sullaverum suarum commentariis immoritur.*

Cap. I. Sall. Hist. 1, 2. Liv. Epit. Appian. Civil. l. 1. Tac. Ann. 1, 1. Cap. II. Plut. Sull. c. 71. Q. Serenus, c. 6. Plin. 7, 43.

U. c. 674. A. C. 78. Quippe decimo ante exceſſum die, Puteolanorum dissensionibus compositis, leges scripsit, quibus deinceps uterentur. Rerum suarum componendis commentariis biduo, priusquam decederet, operam poſtremo dedit; alteri et vicesimo libro immortuus. In eo Chaldaeos sibi praedixiſſe narrabat, ubi gloria invidiam viciſſet, in summo flore felicitatis eſſe obiturum. itemque somnium praeterita nocte sibi oblatum, per quod filiolum suum, ante Metellam mortuum, videre viſus eſſet, appellantem se, jubentemque, curis omiſſis, ire secum ad matrem, ubi cum ea in quiete et otio degeret.

Mors Sullae. IV. Poſtridie, quum id somnium amicis enarraſſet, teſtamenti tabulas confecit obsignavitque. mox sub veſperam, nunciato, Granium quemdam, Puteolanae reipublicae debitorem, mortem ejus exspectare, ne solveret, accito homini in cubiculum a famulis intorqueri fauces, non sine vehementi clamore et corporis jactatione, juſſit. Ab hac contentione rupta vomica magnam vim effudit sanguinis: ne, qui tam sanguinarius in vita fuiſſet, incruenta ad inferos morte deſcenderet. Ita viribus defectis noctem eam inter summos cruciatus quum exegiſſet, infelicem spiritum reddidit.

Et jus exsequiae. V. Mors Sullae confeſtim conſulum, jam ante non satis concordium, contentiones excitavit. Senatus, referente Catulo, honorem ei haberi volebat, ut in campo Martio sepeliretur: Lepidus multique cum eo alii praefracte repugnabant. Ibi generoſe animo suo Pompejus imperavit, et, quamquam Sullae teſtamento, quum ille legata relinqueret, liberisque tutores daret, eſſet praeteritus, partim gratia, partim precibus, interim et minis submovit obſtantes, funusque Romam proſequutus exſequiis securitatem decusque praeſtitit.

Ordo et pompa funeris. VI. Ordo pompae hic fuit. Aureo lecto corpus defuncti per Italiam in urbem regio prorſus faſtu ferebatur. tibicinum caterva, equitesque, et gravis armatura frequentibus ordinibus sequebatur: pariterque in itinere, qui legati ejus ad exercitum fuerant, cum armis accurrentes, ut quisque advenerat, locum suum

Cap. III. Plut. Plin. Plut. Cap. IV. Appian. Plut. Cap. V. Appian. Liv. Epit. Appian. Plut. Pomp. c. 25. Plut. Lucull. c. 6. Plut. Sull. et Pomp. Cap. VI. Appian.

capiebat. alia quoque multitudo, quanta vix umquam ulla de caussa, undique confluebat. Insignia magistratus et secures, ut nuper dictatori, praeferebantur. Hoc ordine in urbem perlatum cadaver est. Sed, quum ad rogum efferretur, longe major longeque splendidior apparatus fuit: coronaeque aureae, dona civitatum, legionumve, aut amicorum, plusquam duo millia spectabantur. Corpus, quo sacrorum honor concurrentium militum licentiam frenaret, omnia sacerdotum collegia Vestalesque comitatae sunt: tum senatus universus, et cum insignibus suis magistratus. Mox equitum Romanorum agmen, et omnis, qui sub eo meruerat, exercitus (singuli enim, ut praesto forent, properaverant) cum auratis signis, et armis argentatis, quo ornatu esse deinceps etiam in pompis consueverunt. Inter hos variis locis magnus tubicinum insertus numerus lugubre quiddam concinebat. Voces deinde honorificae per ordines acclamatae sunt. incipientem senatum eques, equitem plebs excipiebat. U. c. 674. A. C. 78.

VII. Sed non idem omnibus in pari testificatione voluntatis animus erat. pars vere deflebat amissum: ceteri Sullanorum praesentes copias, et ipsum adhuc, quamquam vita orbum, metuebant. Pro rostris cadavere posito, laudatus est ab aliquo disertorum, quia Faustus filius nondum maturae aetatis erat. L. Philippum huic officio delectum crediderim, qui tum aetate et facundia ceteros anteibat. Deinde sublatus senatorum humeris lectus in campum Martium deportatus est, ubi tantummodo regum erant monumenta. *Dispar animus hominum in pari testificatione voluntatis.*

VIII. Sub nonam diei horam in campum est ventum: quia nebula matutina, ne celerius exirent, pluviae metu curatores funeris tardaverat. Tum impositus rogo est cum ingenti vi odorum, quos adeo liberali manu matronae contulerant, ut, praeter ducenta decem fercula, Sullae ipsius simulacrum justa magnitudine, simulque lictoris imago fictae fuerint ex optimo ture et cinnamomo. Haec omnia flammis consumpta. Nam cremari primus e patriciis Corneliis voluerat, quum ejus gentis mortui semper, intactis igne corporibus, terra tegerentur. Id eo factum putant, quia C. Marii reliquias, ad Anienem sitas, mortuo quoque implacabilis hostis, spargi in flumen jusserat; *Sulla cur voluerit cremari.*

Cap. VII. Sall. Hist. 1, 11. Appian. Cap. VIII. Plut. Cic. de Leg. 2, 22. Plin. 7, 54.

U. c. 674. A. C. 78. et, ne sibi accideret, quod in alterum statuisset, metuebat.

Novae contentiones post Marium et Sullam.

IX. Mortuus jam Marius, mortuus Sulla, civilium bellorum saevissimi duces, erant: sed vivebant adhuc in animis superstitum discordiae, et, velut ab ipso hujus rogo accensae, inter redeuntes ab exsequiis consules statim acerbis sermonibus exarserunt. Seditiosum Lepidi ingenium metus judiciorum stimulabat, ut, res turbari, valde sua intereffe judicaret. Nam ob exspoliatam Siciliam a duobus Metellis, Celere et Nepote, legibus interrogatus, quamvis illi, ob gratiam ejus apud populum victi, destiterant, absolutus tamen non erat, et, ne aliquando revocaretur in judicium, metuebat. Itaque turbidis concionibus, veluti classico, concitata inopi plebe, Italicos etiam populos spe restituendorum agrorum conciliabat. Sanior pars populi facile providebat, si acta Sullae rescinderentur, rempublicam, utcumque compositam, novis tumultibus bellisque arsuram. Movebantur et prodigiorum obscoenitate: quae inter, novum illud et inauditum antea, in Ariminensi agro in villa Gallerii loquutum gallum gallinaceum esse.

Prodigia.

X. Idcirco senatus utrumque consulem jurejurando adegit, *se hujus controversiae caussa arma non sumpturos.* Lepido, ne quid in urbe turbarum daret, exercitus et provincia Gallia trans Alpes decreta. Ille, tempus in Etruria ducendo, nolebat ad comitia reverti, ne bellum, quod in animo habebat, impediretur. putabat enim, jurisjurandi non ultra consulatus tempora valitura fide, postmodum nulla religione obstrictum ad servandam pacem fore.

Lepidus cum exercitu venit ad urbem.

XI. Non erat obscurum senatui, quid animi consiliique Lepido esset: praesertim quum Etruriam conjurare, proscriptos acciri, largitionem tentari pernotuisset. Igitur occurrere eum ad tempus comitiorum jubet. Et adfuit ille ex Etruria, sed cum universo exercitu, quem ad urbem adducere secum constituerat. Sed jam Milvium pontem collemque Janiculum Q. Ca-

Cap. VIII. Cic. Cap. IX. Flor. 3, 23. Appian. L. Ampel Pedian. in Divin. et in Verr. 11. Flor. Liv. Epit. Appian Flor. Plin. 10, 21. Cap. X. Appian. Sallust. Hist. 1. in Ora Philippi. Flor. Appian. Cap. XI. Sallust. Appian. Flor.

Q. Catulus consul cum Cn. Pompejo praeceperant. Relata enim lex Plautia, capitibus aliquot adjectis, contra vim malorum: et adjungens se optimatibus Pompejus Catulo, pacis quam belli artibus praestantiori, datus adjutor fuerat. U. c. 674. A. C. 78.

XII. Igitur Lepidus arma suos capere imperat. fit idem et a senatus partibus: proeliumque non procul campo Martio conseritur. Primo statim impetu pulsus Lepidus in Etruriam perfugit: Pompejus adversum Brutum est profectus, qui legatus Lepidi Galliam Cisalpinam non invalida manu obtinebat. Satis diu bellum id tractum ad Mutinam est, quum castra castris opposita essent, nec ad summam rei profectura certamina consererentur. Ea res Lepido, qui, circumacto interim anno, pro consule se gerebat, otium praebuit, ut, collectis ex qualibet hominum faece copiis magnis, ad urbem tenderet, adsidensque consulatum alterum postularet. *Sed repellitur.*

XIII. Ad famam venientis haud parva in urbe trepidatio fuit: et in senatu Q. Philippus in haec verba censuit; *Quoniam Lepidus exercitum, privato consilio paratum, cum pessimis et hostibus reipublicae contra hujus ordinis auctoritatem ad urbem ducit, uti Ap. Claudius interrex cum Q. Catulo pro consule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint, operamque dent, ne quid respublica detrimenti capiat.* *L. Philippi sententia contra Lepidum.*

XIV. Sed metum cito ademerunt adlatae a Pompejo literae, quibus confectum bellum, traditus cum exercitu Brutus, nunciabantur. Eum Pompejus quum, datis, qui prosequerentur, equitibus, Rhegium deduci jussisset, statim insequenti die poenitentia ductus Geminium misit, a quo non sine infamia perfidiae crudelitatisque Pompejanae est interfectus. Alba quoque, quam deinde *Pompeji* nomen tulisse arbitror, quod ab eo tum conservata esset, postquam obsidionem famemque ferre amplius non potuit, dedita est: ibique Scipio cum Lepido filio captus et occisus. *Pompejus id bellum conficit.*

XV. Inter haec comitiis per interregem habitis, consulatum D. Junius D. F. M. N. Brutus, Mam. Aemilius Mam. F. M. N. Lepidus Livianus inierunt. U. c. 675. A. C. 77. D. Junio, Mam. Aemilio Coss.

Cap. XI. Liv. Epit. Cic. pro Coel. c. 29. Plut. Pomp. c. 25. Cap. XII. Appian. Flor. Plut. Pomp. Cap. XIII. Sall. Hist. 1. in Orat. Phil. Cap. XIV. Plut. Oros. 5, 22. Plut. Liv. Epit. Val. Max. 6, 2. Zonaras. Plut. Brut. c. 6. Cap. XV. Cellar. Geogr. Ant. l. 2. c. 9.

U. c. 675. A. C. 77. Mamerco, homini ditissimo, ne suo anno consul fieret, praetermissio aedilitatis nocuit, quod sumptuosum muneribus magistratum amore pecuniae vitatum ab eo populus crediderat. tum quoque tulisset repulsam, ni C. Curio, ut adolescentior, et populi suffragiis integer, aetati Mamerci concessisset.

Lepidus in Sardiniam fugit.

XVI. His auditis, Lepidus, quum hostis ab senatu judicatus, iterumque victus esset, recessit Cosas, Etruriae maritimum oppidum, ubi, insequente Catulo, nova commissa pugna est. cui superveniens ex Gallia Pompejus magnam edidit caedem, et reliquos fugere in Sardiniam coëgit. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior, ut amoto nonnihil periculo, ceterum haud minus gravis et multiplex cura Patres exercebat; quia, praeter externa bella, quae sub idem tempus pluribus locis eruperant, duce partium vivo, dilatum potius, quam exstinctum, civile incendium habebatur: metusque erat, ne impedienda annonae transvectione urbem inopia urgeret.

Ibique moritur.

XVII. Sed ille bellum, per quod homo delicatus luxu sibi carendum videbat, segniter moliebatur: donec poenitentia consilii, et a C. Valerio Triario, qui provinciam pro praetore obtinebat, undique depulsus, et oppidorum expugnatione prohibitus, contrarios cogitatis eventus habuit: lentaque tabe correptum, cognitum uxoris Apulejae adulterium taedio et dolore confecit. Epistolam enim, criminis indicem, forte nactus, divortii libellum misit: deinde, simul caritate desiderioque repudiatae, simul injuriae suae acerbitate ac dolore extabuit. Extrema quoque hujus memorabili eventu adverterunt curiosos: quia corpus, flammae vi e rogo ejectum, quum reponi propter ardorem nequiret, juxta sarmentis aliis nudum crematum est.

Mortis ejus caussa.

Belli Lepidani gratia fit poenitentibus.

XVIII. Sic atrocibus belli minis inter ipsa initia compressis, victores, rara iis temporibus modestia, pace contenti fuerunt. quam ob moderationem non minus, quam ob bellum feliciter confectum, Q. Catul

Cap. XV. Oros. Fasti Capit. Cic. de Off. 2, 17. Sall. Hist. 1 11. Cap. XVI. Flor. Eusеb. Oros. Rutil. Itin. 1. v. 297. Jul Exuperant. c. 6. Flor. Appian. Sall. Hist. 1, 18. Oros. 5, 2 Jul. Exuperant. Sall. Hist. 1. in Or. Phil. Flor. Ascon. Scaur. Plut. Pomp. Plin. 7, 36. 53. Cap. XVIII. Flor. V Max. 2, 8.

magnopere celebratum nomen est. Exercitus Lepidi, carpentibus insulanis, quibus molestus esse coeperat, dissipatus est: quod roboris fuerat, Perperna ad Sertorium adduxit, qui, profectus in Hispaniam, quum se relatum in proscriptos didicisset, bellum ingens excitaverat. Igitur, ut vires ei subtraherentur, senatusconsulto et rogatione Plautia belli Lepidani gratia poenitentibus facta, reditusque decretus, maxime adnitente C. Caesare, qui concionem super ea re habuit, quod in eadem caussa L. Cinna, uxoris suae frater, esset. U. c. 675. A. C. 77.

XIX. Igitur, civilium armorum furias, quibus ipse haud leviores excitaturus erat, multum exsecratus, orare Patres coepit, *ut aliquando his malis terminus poneretur. Ira Deorum multis ab annis ita conquassatam internis seditionibus rempublicam, ut, siquidem diutius ea durare pestis debeat, necessum sit omnia ruere. Desiderare urbem ornamenta pacis bellique; desiderare consiliorum auctoritatisque principes curiam: multa praestantissimorum virorum capita per Damasippum, multo deinde plura per Sullam decisa, quae, velut in opprobrium publicae servitutis, pro rostris spectanda proponerentur. Nunc autem, remittente numinum indignatione, sublatis horum scelerum auctoribus, necessum haud esse, ut deterrimorum virorum instituta per probos et patriae amantes exerceantur.* *Suadente C. Caesare.*

XX. *Donec recens adhuc dominatio, et dictatoris terror primum, deinde memoria valuerit, facta quaedam a gementibus esse, quae recordatione temporum utcumque defendantur. Si quid eorum praeterea fieret, jam nullum colorem superesse, quin consulto facta credantur, et multi pro uno Sullae exstitisse. Ita nullum alium civilis belli finem, nisi eumdem et imperii, sperari posse. Igitur magnopere se consulere Patribus, ut, recipiendis in civitatem, abolendaque eorum noxa, qui Lepidum sequuti nuper essent, minuerent hostes patriae, darentque exemplum omnibus, nemini errorem suum fraudi, sed tantum pervicaciam fore: neque senatum alios habiturum pro hostibus, quam qui conciliari patriae nolint. Nullum validius ad stabiliendam pacem adjumentum fore. nam eadem opera Sertorio, et qui alii arma retineant, magnam virium partem decessuram; et eamdem, ad rempublicam accessuram esse.*

XXI. Ceterum, postquam ad Sertoriani belli mentionem accessimus, quod illa tempestate longe gravis- *Sertoriani belli origines.*

Cap. XVIII. Appian. Jul. Exuperant. Sueton. Caes. c. 5. Liv. Epit. Sall. Hist. 3, 14. Sueton. A. Gell. 13, 3.

U. c. 677. A. C. 75. simum fuit, rem paullo supra repeti, ad multa, quae scire lecturos refert, profuerit. Postquam primum, Scipionis deficiente exercitu, Sertorius in Hispaniam abiverat, tum admiratione virtutis et industriae, tum ambitioso ac leni imperio, provincialium simul civiumque Romanorum, qui locis illis confederant, ita conciliavit animos, ut paullo post, magno exercitu coacto, C. Annio, missu Sullae in Hispaniam eunti, sex millia armatorum, duce Livio Salinatore, opponere potuerit; qui, occupatis Pyrenaei angustiis, Sullanos aditu arcerent.

Sertorius ab Annio pulsus.

XXII. Sed obtruncatus a Calpurnio Lanario Salinator, quem fidissimum amicorum crediderat, C. Annium subito immisit necopinantibus: unde Sertorius cum tribus hominum millibus Carthaginem novam, et inde navibus in Mauritaniae litus perfugit. Sed, multis militibus inter aquandum subita barbarorum irruptione amissis, retro vela fecit: iterumque repulsus, adscitis piratarum Cilicum paronibus, praesidium Annii in Pityusa insula improvisus oppressit. Sed, Annio magnam classem cum una legione adducente, proelio navali parum prospero usus, quod naves illius leves parumque firmas ortus forte ventus disjecerat, post longum et acrem naufragii metum, paullo supra Baetis amnis ostia applicuit.

Fugam agitat ad insulas Fortunatas.

XXIII. Sub idem tempus nautae recens ex insulis Atlanticis revecti miracula narrabant: duas ibi insulas propinquas inter se, et decem millibus stadiis procul a Gadibus sitas, suopte ingenio alimenta mortalibus gignere. Igitur *Fortunatae* vocabantur: et has intellexisse Homerum etiam apud barbaros obtinebat, quum Elysios campos sedesque beatorum describeret. Earum esse, quae hodie *Canariae* vocantur, ex modo navigationis, et descriptione locorum, et quae de his apud Plinium, auctore Juba rege, narrantur, propemodum constat. His igitur intellectis traditur taedio praesentium Sertorius, et ne aut facere aut pati tam tristia necessum esset, fugam in longinqua Oceani agitavisse, apud Fortunatas illas insulas, quod reliquum esset aevi, in quiete exacturus.

Cap. XXI. Plut. Sertor. c. 9. L. Ampel. Plut. Cap. XXIII. Hieron. adversus Rufin. Sall. Incert. 26. Plut. Cellar. Geogr. Ant. l. 4. c. 7. Plin. 6, 32. Plut. Sall. Incert. 20. et 26.

XXIV Igitur aliquando, quum famam illam, apud suos late sparsam, cum admiratione vidisset excipi, ejusmodi jacere sermones coepit: *Fabulam hanc esse credidissem, nisi non spernendi auctores verum subesse persuaderent. Multi sunt, qui se vidisse confirment, et, ne dolum putem, singuli seorsim interrogati de rebus, de quibus inter se comparare, si maxime voluissent, nullo pacto potuerunt, eadem omnia miro consensu referunt. Unum subit mirari, quod tantae felicitatis loca ex cetero orbe non petuntur avidius. An non enim satius foret, contentum iis, quae in pace et otio viventibus omniparens tellus sponte sua ministraret, dimittere inanes aut atroces curas, et sibi aliisque parcentem, sine metu, sine injuria, munere Deorum oblata accipere cibaria? At nos improvidi et immites, quo scilicet aliquando beatiorem ducamus vitam, tumultu turbisque miscemus omnia; animasque nostros prodigimus, tamquam alio tempore victuri; et, ut parentus supervacua, necessariis invicem spoliamur spoliamusque. Ita multis calamitatibus malisque, cogentes coactique, et interdum scelesti magis, quam miseri, distringimur.* U. c. 675. A. C. 77. *Idque suis persuadere conatur.* *Vitam communem vituperans.*

XXV. *Sed alii sane insaniant. Quid nos facere decet, commilitones? Quin arripimus vacuam tantorum bonorum possessionem: ut, aliquando incipiamus vivere, ceterorum mortalium errores tempestatesque de tutis litoribus despecturi. Si cuiquam nostrum sperare multum ex his rebus licet, quae vulgo praecipuae habentur, ego is esse debeo, genere Romanus, ordine senator, dignitate praetorius, qui exercitibus magnis provinciisque praefui, qui res gessi nemini hujus aevi ducum poenitendas. Me tamen eo propemodum natura ducit, quam sequi optimam vitae magistram aequum est, ut spes meas omnes hoc pretio commutare nihil abnuam.*

XXVI. Non erat ea mens Cilicibus, ut pacis amore pecuniae studium abjicerent, cujus caussa pacem otiumque reliquissent, ita, Sertorio relicto, in Africam se contulerunt, ubi de regno Mauritaniae bellabatur. At Sertorius, ne, quod supererat militum, inopia deficeret, alteri se partium adplicuit; rebusque bene gestis, quum ab incolis locorum amaretur, quid postea facto opus esset, deliberabat. *Sed Cilices eum deserunt.*

XXVII. Ancipitem et impeditam consultationem legati Lusitanorum abruperunt, ad imperium gentis eum vocantes: quae, contra Romanos terrores ducis egens, laudatum ab omnibus, qui cum illo fuerant, Serto- *Sertorius a Lusitanis vocatur.*

Cap. XXIV. Flor. 3, 22. Plut. Sall. Incert. 17. Cap. XXVI. Plut.

U. c. 675. A. C. 77. rium velut divino munere oblatum rebatur. Erat enim ille animo consilioque maximus; virtutis liberalissimus aestimator, in puniendo moderatus; facundus idem et comis: et tam in confirmandis suis, quam terrendis hostibus, singularis artifex. Igitur, accepta conditione, cum duobus millibus sexcentis, quos vocabat *Romanos*, et septingentis, qui ex omni Africa se ad eum contulerant, levi praesidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, aestu secundo, furtivaque celeritate, vitare proelium in transgressu conatus est. Sed, occurrente cum navibus Cotta, juxta Mellariam in freto dimicare coactus, vi perrupit, et ad montem Balleram, quem Lusitani praeceperant, contendit.

Furfidium vincit, et alios. XXVIII. Horum copiis adsumptis, (erant autem cetratorum millia quatuor, equites septingenti) Furfidio cum legionibus adventanti se objecit. Is enim Baeticam cum imperio obtinebat. Cum hoc, difficultatibus locorum adjutus, ita certavit, ut ille, duobus millibus Romanorum amissis, cedere cogeretur. His igitur aliisque multis ducibus interfectis pulsisve, Q. Metellus a Sulla missus est, clarae veterisque famae imperator. Qui, postquam in ulteriorem provinciam venit, artibusque Sertorii fatigatus neque cogere potuit ad pugnandum, neque insequi fugientem, nisi ut omnia fugientium incommoda ipse pateretur, L. Domitium proconsulem citerioris Hispaniae cum omnibus copiis, quas paraverat, arcessivit.

L. Domitii et L. Manilii clades. XXIX. Sed ille ad Anam fluvium, qui Baeticam a Lusitania separat, ab Hirtulejo quaestore Sertorii cum exercitu oppressus est. Idemque fatum eodem loci legatum Metelli Thorium deprehendit. Deinde, quia tanto hosti resistere res Romana uno imperatore non poterat, L. Manilio Galliam Narbonensem obtinenti praecipitur, ut suppetias Metello in Hispaniam transgrediatur. Hunc quoque, cum tribus legionibus et mille quingentis equitibus advenientem, idem Hirtulejus sic excepit, ut L. Valerius Praeconinus legatus, exercitu pulso, interficeretur; L. Manilius proconsul,

---

Cap. XXVII. Oros. 5, 23. Sall. Hist. 1, 21. Plut. Sall. ibid. Cap. XXVIII. Plut. Lips. Epist. Quaest. 4, 14. Plut. Sall. ibid. Plut. Appian. Civil. l. 1. et Iber. Plut. Pomp. c. 27. Sall. Hist. 1, 19. Cap. XXIX. Plut. Pompon. Mela. Oros. Eutrop. l. 6. Liv. Epit. Plut. Sert. Flor. Plut. Oros. Liv. Epit.

impedimentis amissis, in oppidum Ilerdam pene solus confugeret. U. c. 675. A. C. 77.

XXX. Unde viribus et fama in dies augescens Sertorius, ut consilium et decus partibus adderet, senatores ex proscriptis eodem nomine locoque apud se habebat: adlectisque ex amicorum cohorte primoribus, ut trecentorum numerus fieret, hunc *Senatum* appellabat: ad eum ordinem de rebus omnibus referebat: hinc quaestores legatique quam proxime patrium morem creabantur. Nam Sertorius ea modestia et animi magnitudine agebat, ut, quamquam Hispanorum armis, pecuniisque, et urbibus, ac corporibus uteretur, nulla tamen re laedi obliterarive Romani nominis dignitatem sineret. *Sertorius sibi senatum constituit.*

XXXI. Quum haec agebantur, P. Servilius cum Cilicibus prospere ad summum, sed non sine magno labore ac periculo, dimicabat. Mithridatici belli occasione piratae, quod inter Cretam Cyrenasque et Achajam sinumque Maleum est, mare (ipsi a praedarum ubertate *aureum* vocabant) latrociniis infestum habere coeperant, Isidoro duce. Deinde, quia Mithridates Asiam pro aliena negligebat, Sullam urbanae res revocabant in Italiam, impunitate plures invitante, numero viribusque aucti, magnis jam classibus oberrabant: adeoque placebat ipsis hoc vitae genus, ut, hoc perpetuo exercere certi, in quamdam velut reipublicae formam coïrent. Igitur, licet passim haberent castella, arces, insulas desertas, sedem tamen fortunarum omnium Ciliciam, quae vocatur Aspera, consensu legerunt, importuosam, et altissimis rupibus horrentem. Unde communiter ab omnibus *Cilices* vocari coeperunt: quamvis esset mixta variarum gentium colluvies, Syri, Cyprii, Pamphylii, et quidam ex Ponto, ac propemodum omnibus Orientis regnis. multi enim, bellorum diuturnitate patrimoniis exuti, quum facere indigna et gravia, quam pati, mallent, naves pro natali solo ad ducendam vitam delegerant. *Piratici belli origo.* *Piratae cur Cilices vocati.*

XXXII. His omnes fere Ciliciae Pamphyliaeque urbes patebant dulcedine lucri, forum praedae vendendae, navibusque eorum stationem praebentes. Sidetae quidem naves etiam jis fabricabant, et captos ab

Cap. XXIX. Caes. de B. Gall. 3, 20. Oros. Cap. XXX. Plut. Appian. Plut. Cap. XXXI. Flor. 3, 6. Appian. Mithrid. Cap. XXXII. Strabo, l. 14, p. 664. et 665.

U. c. 675. A. C. 77. illis palam vendebant, quamvis liberos esse scirent et fatterentur. Diversum Lyciorum institutum, eoque dispar etiam fortuna fuit: qui, neque terrore, neque lucro victi, omnem cum Ciliciis societatem constanter recusarunt: quorum deinde excidium salvi sospitesque viderunt, nisi quod e finitimis bellis, velut ex vicino incendio, partem aliquam vapor adflavit.

A Murena paullisper repressi. XXXIII. Ceterum piratas L. Murena nuper, imperato civitatibus Asiae, ut ex pecunia vectigali populi Romani naves facerent, paullisper repressérat: sed, quia neque receptacula illorum expugnata erant, neque prohiberi poterat, quominus plures quotidie ad illorum institutum adfluerent, postquam Murena decessit ex Asia, plus terroris ac damni, quam umquam antea, passim dederunt. Jam enim et Siciliam infestabant, ut circa eam insulam nemini tuta navigatio esset: occurrentemque sibi praetorem navali proelio vicerant. nec meliore eventu ab aliis in eos pugnatum.

Mox vehementius a P. Servilio. XXXIV. Igitur missus in eos P. Servilius proconsul, primum in ipso mari congressus, quamquam adversus leves et fugaces myoparonas justae magnitudinis naves opposuerat, non incruentam victoriam retulit. Sed nec mari submovisse contentus, ad urbes illorum et praedarum receptacula eruenda convertit. Non minimi laboris id bellum fuit. fere triennio pugnatum: multaeque per Ciliciam Pamphyliamque et Lyciam urbes eversae.

Qui Phaselin, Olympum, Corycum evertit. XXXV. Phaselis, in Lyciae Pamphyliaeque confinio sita, juxta quam Alexander olim per angustias fluctibus coopertas transduxit exercitum, crebro commeantibus eo piratis, quod projecta in altum horum accessibus erat opportuna, primo commerciis, deinde et societate se conjunxerat. Sed non ante destitit Servilius, quam expugnatam dirueret. Eadem sors Olympi fuit, urbis antiquae et opulentae, quae inter sex Lycias maximas numerari solet. Hujus, quum vi capta esset, magna praeda fuit: multaque inde signa et ornamenta ab imperatore belli jure sublata sunt. Corycum quoque, urbem inclitam nemore, in quo crocum gignitur, eorumdem armorum tempestas evertit.

Cap. XXXIII. Cic. in Verr. 1, 35. Appian. Cap. XXXIV. Sex. Rufus, c. 11. Oros. 5, 23. Flor. Oros. Eutrop. Cap. XXXV. Cic. in Verr. 4, 10. Strabo, l. 14. p. 666. Cic. Oros. Eutrop. Cic. in Verr. 1, 21. Strabo, l. 14. p. 665. Cic. Sall. Hist. 1, 22. Eutrop. Oros.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI PRIMI.

Cn. Pompejus, quum adhuc eques esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus proeliis vicit. Q. Metellus

Quum adhuc quaestor esset] Vox *quaestor* mendose est: aut enim *equester*, ut in quibusdam veteribus libris est, aut *eques Ro.* est legendum. Nam sex post libris scriptum est, Cn. Pompejum consulem factum esse, *antequam quaesturam gereret, ex equite Romano.* Sic autem locutus est Epit. 89. *Cn. Pompejus, adhuc eques Romanus, ex Africa triumphavit.* ut etiam Cic. pro L. Manil. [21.] *Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus senatusconsulto triumpharet?* Triumphavit autem iterum ex Hispania. Et Dio in quadam concione lib. 36, [13.] habita de Pompejo: *καὶ ὅ ἵππεύς ἔτι ὄντι πολέμους ἐκείνους ἐνεχείρησατε.* Et Plutarchus [Pompej. 630.] *Μήπω δὲ μετέχοντι βουλῆς ἐψηφίσασθε δύο θριάμβους.* SIG. Vulgatum *quaestor*, licet mendosum, superest tamen in Leid. Lov. 2. et Norv. *equester esset* in Boend. Berg. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Nullum tamen scriptorem *equester*, pro *eques Romanus*, dixisse, mecum existimat Cl. Dukerus. De eodem etiam dubitat Crevierius. *quum adhuc eques esset* legit Voss. quod probandum puto, nisi quis mallet *eques R.* id est *Romanus.* De Pompejo ad bellum Sertorianum misso Cic. pro L. Manil. 21. *Quid tam inusitatum, quam ut, quum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur.* Tum *eum imperio proconsulari* Exc. Pithoei. Mox *Sertorii aliquot urbes* Voss.

Thracas pluribus proeliis vicit] Aliud significat Orosius, qui 5, 23. eum se magnis malorum molibus objecisse, et aegritudine animi ac morbo interiisse prodit. DUK. Omnia haec vocabula cum tribus sequentibus *Q. Metellus proconsul* desunt in Leid. neglegentia scribae; cui fraudi fuit repetitio vocis *proconsul.* V. ad 9, 11, 11.

L. Herculejum, quaestorem Sertorii, omni cum exercitu

proconsul L. Herculejum, quaestorem Sertorii, cum exercitu cecidit.

cecidit] Membrana Barber. *cecidit atque fugavit.* Voss. et Gud. minor: *quaest. Sertorii cum exercitu cecidit.* Major: *quaest. Sertorii ceciditque atque fugavit*, J. FR. GRON. *Herculejum* hic praeferunt omnes scripti, et editi, uno demto Berg. qui legit *Hirculejum.* Vide ad Epit. praec. Deinde *omnino cum exercitu* edd. principes, pro quo Frob. anno 1535. *omni cum exercitu* substituit: quum praestitisset, ut integram vocem ex contextu ejecisset. Omnes enim scripti mei, plerique Gronoviani, Exc. Pithoei, et ed. Camp. et *omnino*, et *omni* ignorant. De voce *omnino*, perperam in his Epit. adscita, vide ad Epit. 58. Praeterea *occidit* Boend. et ed. Camp. V. ad Livii 36, 36, 6.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LVI.

IN LOCUM LIBRI XCI. T. LIVII.

I. Transgressus in Hispaniam Perperna, quemadmodum superiore libro ostendimus, curam senatus duplicaverat, nihil aeque metuentis, quam ne auctus novo exercitu Sertorius in Italiam reverteretur. Metellus enim, fessa jam aetate, et stataris pugnis adsuefactus, velocissimae virtutis hosti parum resistebat. Idcirco Cn. Pompejus, qui nuper, recepta Gallia Cisalpina, quamquam jubente Catulo, copias non dimiserat, cupidus Hispaniensis belli, ut ad opem ferendam Metello mitteretur, ad urbem haerebat, semper aliqua reperta caussa, cur exercitum sub signis retineret. Neque aliud in promptu praesidium erat, neque ducum quisquam, qui Sertoriano vigori rectius opponeretur. Ergo ex sententia L. Philippi decreta illi provincia est, ut pari cum Q. Metello imperio esset. quo tempore ajunt mirantibus quaerentibusque, *anne igitur equitem Romanum pro consule mittendum censeret?* respondisse Philippum: *non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.* Tanta erat de virtute Pompeji opinio, ut, quum duo consules clarissimi fortissimique essent, duorum consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur.

U. c. 675. A. C. 77.

Cn. Pompejus contra Sertorium mittitur.

II. Igitur Pompejus, accepto imperio, diebus quadraginta suppleto exercitu, paratisque necessariis, ad Alpes movit, quarum aditus Sertoriana praesidia obtinebant. Igitur Pompejus aliud, quam Hannibal patefecerat, sibi opportunius iter juxta Rhodani Padique

---

Cap. I. Appian. Civil. l. 1. Appian. Iber. Plut. Pomp. Val. Max. 8, 15. Plut. Pomp. Cic. pro lege Manil. c. 21. Oros. 5, 23. Cicero. Cap. II. Sall. Hist. 3. in Epist. Cn. Pomp. Appian. Civil. Sallust.

U. c. 675. A. C. 77. fontes aperuit: hostibusque in Hispaniam submotis, Galliam, adjuvante non segniter, qui provinciae praeerat, M. Fontejo, recepit. deinde perrexit ad Pyrenaeum, ut ad auxilium Metello ferendum quam maturrime occurreret. Nam is in dies molestioribus rebus utebatur: quum, super alia mala, fatiscens laboribus miles, segnior, et adversus imperatorem contumacior fieret: eousque, ut, Sertorio Metellum ad singulare certamen provocante, impudens clamor oriretur, *ire* jubentium, *ducemque cum duce*, *Romanum cum Romano congredi*, non sine conviciis, ubi Metellum, imperatorii loci memorem, neque hostis insultatione, neque suorum stultitia moveri viderunt.

Sertorius Metellum ad singulare certamen provocat.

III. Igitur Metellus, ut aliquo negotio militem occuparet, celeriter ad Laccobrigas movit, urbem hosti opportunissimam non magno negotio in potestatem redacturus, quod unus tantum intra moenia puteus erat, et suburbanis aquis obsessi prohibebantur. Sed hic quoque neque solita cautio Sertorio, neque celeritas efficiendi cogitata defuit. Ex omni Hispanorum Maurorumque numero robustissimum quemque, eumdemque pernicissimum, pronunciato in singulos utres praemio, excitans, magnam aquarum copiam inferendam in oppidum curat. per eosdem inutilis turba educitur. ita in multos dies adversum sitim providetur. Enimvero Metellus, cui omnis spes in eo erat posita, ut imparatos opprimeret, tantum quinque dierum cibaria portare militem jusserat. Idcirco, deficiente commeatu, Aquinum cum sex millibus militum frumentatum misit. At Sertorius, occultatis tribus hominum millibus, cum ceteris, quos secum habebat, Aquinum ad pugnam cogit. ea dum conferitur, signo dato, procurrunt insidiae. sic Aquinus, dimidia copiarum parte, et equo armisque amissis, vix a Metello receptus, et obsidio cum magna Romanorum ignominia soluta est.

Laccobrigas obsidentem frustratur.

Et cum damno submovet.

IV. His successibus ab Hispanis Sertorius in coelum tolli; hoc imperatore sibi decus, divitias, victoriam quisque spondere. neque ille omittebat omni arte parare novorum amicorum, retinere veterum benevolentiam: comiter appellando singulos, donando ob virtutem armis, auro atque argento ornatis, sagulisque pictis, et Romana disciplina exercitum ad spe

Cap. II. Cic. pro Font. c. 2. Plut. Sertor.

ciem et robur instruendo. Sed et nobilissimos ex amicis populis pueros, ludo Oscae instituto, Graecis Latinisque literis curabat erudiendos, civitatem Romanam promittens, ubi adolevissent. Et hi quidem Sertorio usum obsidum praebebant: sed, quia nominis invidia aberat, securi vacuique suspicione parentes ultro liberali et honesta suorum educatione laetabantur. U. c. 675. A. C. 77.

V. Mos vetus Germanorum Gallorumque per Celtiberos in Hispaniam introductus fuerat, ut principibus virtute praestantes viri comites se adjungerent, indiscreta familiaritate laetorum adversorumque, atque etiam mortis, socii. nam, ne quis, amisso duce, vivus ex acie reverteretur, devotione terribili adstringebant fidem. Horum major, quam cuiquam alias, Sertorio numerus apparebat. multa enim eum in has leges millia sequebantur: feruntque aliquando, fuga ad urbem quamdam facta, portisque turbam morantibus, devotos illos, abjecta suae salutis cura, Sertorium per sua corpora ad medium quasi murum extulisse, ut deinde superadstantium manibus in summum attraheretur. *Hispanis usitata devotio comitum.* *Horum de veterum multa millia apud Sertorium.*

VI. Nec dissimili fama atque caritate apud Italicos milites celebrabatur. Nam Perpernae milites, quod ille, nobilitate et opibus potior, cedere Sertorio recusabat, indignabantur: nec ultra passi, quam donec per Pyrenaeum saltum Pompejus adventare auditus est, ut ad Sertorium duceret, postularunt; *ni duxisset, sua sponte ituros.* Idcirco Perperna, quod summum tenere locum nequibat, proximum utique non abjiciendum ratus, cum ingenti pecunia tribusque et quinquaginta cohortibus ad Sertorium venit. *Perperna ad Sertorium accedit.*

VII. Hac tanta accessione ferociores Hispani, quorum undique magna vis ad castra Sertorii concurrerat, insolentioribus quotidie vocibus pugnam flagitabant. At Sertorius, non minus cautus, quam acer, imperator, neutiquam conducere rebus suis existimabat, ut praeter rationem belli seque et exercitum non necessariis casibus objiceret. Postremo, quia nulla jam ratione cohiberi hominum impetus poterat, tur-

Cap. V. Tac. Germ. c. 14. Nicol. Damasc. l. 66. apud Athen. 6, 13. Sall. Incert. 16. Plut. Sertor. Sall. Hist. 1, 22. Cap. VI. Plut. Cap. VII. Suidas in Σερτώριος. Plut. Suidas. Plut.

U. c. 675. A. C. 77.

mae equitum, ut lacesseret hostem, permisit: deinde laboranti submisit alias: atque ita citra magnae noxae experimentum docuit, quis exitus flagitatam pugnam mansisset.

Sertorii inventum ad frangendam suorum temeritatem.

VIII. Igitur, ut quoque in posterum obsequentioribus uteretur, jussis in concionem adsistere militibus, duos equos produci imperavit, praevalidum alterum, alterum mire exilem. valido deinde parvum hominem et contemptibilem adspectu, exili magnum robustumque admovit, praecepto, ut robustior ille gracilis equi caudam universam abrumperet, valentis singulos pilos infirmus velleret. Atque, illo inter plurimum omnium risum magna vi nequidquam adhibita defatigato, quum gracilis, quod imperatum erat, confecisset, versus ad suos Sertorius, *Jam*, inquit, *quod mihi saepe monenti noluistis, oculis, opinor, vestris credetis, milites. Quanto plus perseverantia, quam impetus, valeat, sub claro exemplo didicistis. Romani exercitus hac imagine vobis ostensa natura est: quem universum qui adgredietur, nihil aget; per partes carpenti minime erit insuperabilis.*

Ejusdem oratio eodem pertinens.

IX. Per haec conversis animis suorum, et ad accipienda quaelibet apertis; *Rem se facere non nisi rarissimam et magna de caussa probabilem*, ait, *qui gerendi belli rationem exercitui reddat imperator. Sed facere semel, ut, ostenso cognitoque, a quali duce, et qualibus consiliis regantur, post haec etiam celanti animum suum laeti atque securi obediant. Neque enim sibi deesse ferociam, siquidem robore et impetu posse obtineri victoriam putaret: idque tot proeliis compertum, quibus miles, tribunus, legatus, imperator, suae alienaeque vitae juxta pepercisset. Ceterum ita se videre comparata esse praesentia, ut nulla sit, nisi qua instituerit ducere, ad salutem via.*

Utilitatem artium suarum ostendit.

X. *Laudare se quidem animos cuilibet discrimini promptos, et timori impenetrabiles. Sed eo ipso dignos arbitrari, qui nullum aut modicum ad usum temere non prodigantur. Sed neque ignaviae cuiquam auctorem esse. quin ultro indicere expeditiones, pugnas, itinerum operumque multiplicatum laborem. His enim rebus se confidere, quibus adhuc contra tot duces et magnos exercitus cum modicis copiis invictus stetisset. Olim se scire, plerosque omnes prae nimio ardore ad summae rei dimicationem animis votisque properare. sed suis artibus effectum, ut et bellum sustineretur egregie, et Perpernae daretur spatium*

Cap. VIII. Frontin. Strat. 1, 10. et 4, 7. Val. Max. 7, 3. Plut.

tantas adducendi copias: quae profecto, si ante tempus in unius certaminis aleam descensum foret, non fuissent habiturae, quocum se conjungerent. U. c. 675. A. C. 77.

XI. *Nunc vero aucti tanto exercitu, neque ipsi nos trademus inertiae, neque hosti quidquam temporis tutum aut quietum esse patiemur. Sed nec temere a priori ratione belli gerendi recedemus. Romanam aciem, si viribus ac locis aequis congrediare, sine summo tuo periculo damnoque haud sustinueris. at ego vobis ita constrictam locis, turbatam improviso metu, vigiliis laboribusque enectam dabo, ut citra noxam meorum militum concidatur.* *Rationem earum docet.*

XII. *Omnia, quae ad hunc obtinendum finem faciunt, pro nobis sunt. Locorum ingenium, quibus a pueritia adsuevistis, et perinde scientia; velocitas ingenita Hispanis; famis, sitis, aestus, laboris patientia. quibus rebus ita fatigabimus stataria hostium copias, ut quandoque se victas ante sentiant, quam, a quibus oppugnentur, cognoverint. Scio nobiscum esse, qui Viriathini belli meminerint. iis consilium meum haud difficulter approbabo. juniores satis habeant, animos promptos, arma expedita habere, ut feliciter expertum ducem, ad gloriam et opus recto itinere praeeuntem, sequantur.* Ita condocefactis barbaris, quum illorum viribus, ingenio suo uteretur, multa prospere gessit, aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. unde non minori admirationi, quam terrori, hostibus erat. *Sic obsequentes suos habet.*

XIII. Sed praecipuam ei calliditatis famam peperit Characitana expeditio, qua gentem feram, non urbes aut vicos, sed magnum et arduum collem, plurimis speluncis in Aquilonem versis, supra Tagum incolentem, subegit. Ibi dum circa inaccessum collem obequitans adversus tutos loco barbaros inanes minas jacit, et pudore recedendi multa volvit animo, Caeciam animadvertit in adversas speluncas flare: edoctusque ab accolis, id eo tempore anni solitum illis regionibus esse, milites excidere glebas ex circumjecto agro, et contra speluncas comportare in aggerem jubet: multum irridentibus montanis insanae molitionis vanitatem, quod putabant, ad oppugnandum altissimum collem id institutum pertinere. inter haec Sertorius sub noctem suos reduxit in castra. *Characitanos strategemate expugnat,*

Cap. XII. Liv. Epit. Plut.

U. c. 675. A. C. 77. *Pulvere in speluncas eorum immisso.*

XIV. Postridie, quum flare ventus coepisset, et ex congesta humo pulverem in altum efferre, militibus immissis, subruere ex imo cumulum illum jussit, terramque levem admodum et friabilem comminuere. Atque illa, labore hominum, equorumque, ultro citroque super eam discurrentium, ungulis trita, quum a vento rapta in aërem tolleretur, statim densa quaedam nebula speluncarum ostia fenestrasque obturavit: neque jam aut lucis usus supererat, aut reciprocandae animae purus suppetebat aër. nec enim aliam in partem apertae illorum habitationes, aut ulla ducendi spiritus copia dabatur. Biduo tamen sustinuerunt hoc malum obsessi: tertio die, quia perseverante vento suffocabantur, sunt dediti.

Pompejus in Hispaniam venit.

XV. Dum haec geruntur, in Hispaniam Pompejus venit, arrectique omnium animi erant, ut solet, ad novi imperatoris famam: multique populi, qui minus constanter adhaerebant Sertorio, jamjam mutaturi socios videbantur. Sed insperatus ad Lauronem casus et dubios in officio retinuit, et fidos confirmavit. Sertorius eam urbem obsidebat, quum universum exercitum suum, apud Pallantiam convenire jussum, succursurus obsessis Pompejus adduxit. Tumulus haud procul urbe visebatur, quem qui prior occupasset, magna erat ex loco commoda habiturus. Utroque duce properante, Sertorius quum praevenisset, exclusus ea spe Pompejus haud eo minus laeto animo agebat, quod inter suum exercitum et Lauronem interclusas Sertorii copias tenere rebatur. Igitur, missis ad Lauronenses nunciis, bono animo esse jubet, atque considentes in moenibus obsessi obsessoris spectaculo frui.

Sertorii artibus superatur.

XVI. Sertorius, jactantia Pompeji comperta, ridens ait, *se discipulum Sullae* (sic appellabat eum ludibrii caussa) *docturum, debere plus respicere imperatorem, quam prospicere.* Simul ostendit obsessis sex millia peditum prioribus in castris relicta, ut Pompejum, si in se movisset signa, a tergo aggrederentur. Ita Pompeji gaudium irritum cito in gravem verecundiam vertit. Nam, serius errore cognito, quum neque invadere Sertorium, ne circumveniretur, auderet, neque prae

Cap. XV. Plut. Pomp. c. 28. Plut. Sertor. Oros. 5, 23. Plut. Sertor.

prae pudore Lauronem sustineret relinquere, pereuntium sociorum spectator otiosus sedebat. U. c. 675. A. C. 77.

XVII. Dum ita vicina castris castra duo imperatores habent, Sertorius talem dolum machinatur. Duae tantummodo regiones erant, ex quibus peti pabulum posset, una in propinquo, altera longius sita. Sertorius ulteriorem ab armatis adiri vetuit: citimam subinde per levem armaturam jussit infestari. Sic ad extremum fides adversis partibus facta, tutiorem esse, quae erat remotior: magnusque eo Pompejanorum numerus pabulatum profectus est. *Sertorii vaframentum.*

XVIII. His a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus ponuntur, missis Octavio Graecino cum decem cohortibus, in morem Romanorum armatis, et totidem levis armaturae Hispanis, Tarquitioque Prisco cum duobus millibus equitum. Illi strenue imperata faciunt: explorataque locorum natura, in vicina silva praedictas copias noctu abscondunt, ita ut in prima parte leves Hispanos, gentem ad furta belli peridoneam, ponerent; paullo interius scutatos; in remotissimo equites, ne fremitu equorum destinata proderentur. quievere omnes, silentio servato in horam tertiam diei. Quum deinde Pompejani, securi gravatique pabulo, de reditu cogitarent, et hi quoque, qui in statione fuerant, quiete invitati, ad pabulum colligendum dilaberentur: emissi primum Hispani velocitate gentili in palantes effunduntur, et convulnerant confunduntque nihil tale exspectantes. Prius deinde, quam resisti his inciperet, scutati erumpunt e saltu, et redeuntes in ordinem consternant vertuntque. Fugientibus equites immissi, toto eo spatio, quo redibatur in castra, persequuti caedunt. Curatum quoque, ne quis effugeret. nam praemissi per compendia itinerum ducenti quinquaginta equites, quos in hunc usum opperiri duces jusserant, antequam ad castra Pompeji perveniretur, conversi, occurrerunt eis, qui primi fugerant. *Pompejani pabulatores excipiuntur.*

XIX. Ad cujus rei sensum Pompejo immittente legionem cum Laelio in praesidium suorum, subducti in dextrum latus specie cedentium equites, mox circumitu legionem abs tergo infestarunt, quum jam etiam a fronte Sertoriani, qui pabulatores persequuti *Itemque legio subsidio immissa.*

Cap. XVII. Frontin. Strat. 2, 5. Cap. XVIII. Sall. Hist. 3, 13. Frontin. Cap. XIX. Appian. Civil. l. 1. Frontin.

U. c. 675. A. C. 77. erant, incurfarent. Sic legio quoque inter duas acies hoftium cum legato elifa eft. ad cujus auxilium Pompejo univerfas educente copias, Sertorius quoque e collibus inftructum oftendit exercitum, effecitque, ne Pompejus progrederetur. Ita praeter duplex damnum, eadem solertia illatum, spectatorem quoque eum cladis suorum conftituit. Hoc primum proelium inter Sertorium et Pompejum fuit. decem millia hominum de Pompeji exercitu cum jumentis et calonibus amiffa sunt. Pompejus vix reliquias incolumes reduxit.

Sertorius Lauronem delet.

XX. Hic eventus etiam Lauronensium fregit animos, neque diu cunctati, concefferunt in Sertorii fidem. Is praedam militi conceffit, edicto, liberis corporibus uti parceretur. direptam deinde urbem incendit, non crudelitate, a qua vix ullus umquam dux alienior fuit; sed ut ex tanta exiftimatione Pompejo contemptus apud barbaros oriretur; quo inspectante, et tantum non flammis incenfae calefacto, urbs socia et amica deflagraffet. Lauronenfes, qui obsidioni superfuerant, in Lusitaniam Sertorius deduxit. In ea direptione miles quidam, muliere Lauronensi praeter naturam abufus, oculis mulctatus eft, quos directis in eos digitis mulier effoderat. Re ad imperatorem delata, quum facta et cauffam didiciffet, infenfus tanto militiae dedecori, integram cohortem, hoc genus flagitiis famofam, licet Romana effet, delevit. Pompejus tamen impetum Sertorii victoris, quamquam novis militibus, et multo paucioribus, suftinuit. nam adverfus sexaginta millia peditum, novem equitum, non ultra triginta peditum millia, et mille equites adduxerat. Haec ea aeftate in Hispánia gefta. Quum deinde tempus anni adverfum expeditionibus effe coepiffet, diversi imperatores in hiberna discefferunt. Cn. Pompejus et Q. Metellus circa Pyrenaeum inter saeviffimos hoftes in castris hiemarunt: Sertorius cum Perperna in Lusitaniam profectus eft.

Bella cum Thracibus in Macedonia.

XXI. Per haec tempora continuum fere cum Thracibus bellum erat, perpetuo incursantibus Macedoniam. Et, quamquam acriter a Dolabella repreffi, juftiffimusque de iis ductus triumphus erat, cum Ap

Cap. XIX. Jul. Obseq. Frontin. Appian. Cap. XX. Plu Sertor. Appian. Oros. Plut. Oros. Appian. Sall. Hift. 3. Epift. Cn. Pomp. Oros. Appian. Cic. pro Font. c. 3. Sallu Cap. XXI. Appian. Oros. Cic. in Pis. c. 19.

Claudio successore Dolabellae multis, sed levibus, proeliis concurrerunt. Quibus victis, Appius per Rhodopaeas gentes magno cum labore in Sarmatas usque pervenit. Sed inter asperrimas gentes, ubi cum Maedis varie dimicavit, curis et aegritudine fatigatus in morbum incidit, ex quo est in provincia mortuus.

U. c. 675. A. C. 77. *Appius in provincia moritur.*

XXII. Jam Romae Cn. Octavius, M. F. Cn. N. C. Scribonius Curio consulatum occeperant. Tum Reatinorum improvisa clades in prodigium versa. quippe terrae motu aedes sacrae in oppido agrisque commotae; saxa, quibus forum stratum erat, discussa; pontes interrupti; ripae labentis fluminis in aquam provolutae; fremitus inferni exauditi fuerant. paucis abinde diebus, quae concussa erant, corruerunt. saxum vivum quum provolveretur, non sine stupore visentium in praecipiti rupe immobile stetit. Aliud deinde nunciatum prodigium est, quod scintillam e stella cadere, et augeri terrae appropinquantem, ac, postquam Lunae magnitudine facta esset, illuxisse ceu nubilo diei; dein, quum in coelum se reciperet, lampadem factam L. Junius Silanus proconsul cum comitatu suo viderat.

U. c. 676. A. C. 76. Cn. Octavio, C. Scribonio Coss. *Reatinorum improvisa clades.*

XXIII. Hoc forte numquam antea visum annotatumve movit Patres, ut de Sibyllinis carminibus colligendis referri juberent, quoniam, quod eorum adservatum in Capitolio fuerat, incendio aedis illius consumptum erat. In eam legationem P. Gabinius, M. Otacilius, L. Valerius lecti. His negotium datum, ut Erythras praecipue adirent, quae patria Sibyllae dicebatur, ad describenda, quae ibi pro Sibyllinis celebrarentur. Per hos aliosque (nam et Samo quaedam allata sunt et Ilio, per Africam etiam et Siciliam, et Italicas colonias, etiam a privatis conquisita) magnus librorum numerus in urbem comportatus est: et, quia multa vana inerant, sacerdotibus mandatum, ut, quantum humana ope posset, vera a falsis discernerent. Nec in tam caeco negotio certius aliud, quam per acrostichidum, ut vocant, indicia, repertum discrimen, Terentius Varro doctissimis, sed iisdem ineptissimis, Rerum Divinarum libris prodidit.

Sibyllina carmina undique conquiruntur.

Cap. XXI. Liv. Epit. Eutrop. Sex. Ruf. Flor. 3, 4. Jul. Obseq. Oros. Eutrop. Cap. XXII. Jul. Obseq. Plin. 2, 35. Pigh. Ann. 677. Cap. XXIII. Feneft. apud Lactant. de ira Dei, c. 22. et Instit. 1, 6. Dionys. 4, 70. Strabo, l. 14. p. 645. Tac. 6. Ann. 12. Dionys.

U. c. 676. A. C. 76.

XXIV. Eodem anno, postquam primum ver apparuit, resumptum acriter in Hispania bellum est, multaque et cruenta proelia facta. Tandem apud Italicam Baeticae urbem Q. Metellus, et Sertorii quaestor L. Hirtulejus, totis viribus congressi sunt. Metellus adversus hostium celeritatem ac ferociam haud paullo minus viribus, quam consilio, tribuebat: tam diligens celandi, quae cogitaret, ut interroganti, *quid postera die facturus esset*, responderit; *Tunicam meam, si eloqui posset, comburerem.*

Metelli apophthegma.

Proelium cum Hirtulejo.

XXV. Igitur insignem, quam tunc adeptus est, victoriam non tam militum lacertis, quam ingenio suo, debuit. Oriente protinus die Hirtulejus instructam aciem vallo ejus admoverat: neque mora esset, si suos audiret, quin statim contra exiretur. Sed prudens imperator, intra castra retento exercitu, geminam utilitatem percepit: spatium nactus, quo consideraret hostium aciem, eamdemque (fervidissimum enim anni tempus erat) caloribus conficiendam relinqueret. Idcirco quum, quod roboris in hostili exercitu erat, in media acie stare comperisset, sic instruxit edocuitque suos, ut cornua longius protenta prius cum oppositis congrederentur, quam mediae acies confligerent. His ita ordinatis, sub sextam diei horam exercitum eduxit.

Et clara victoria Metelli.

XXVI. Recens Metello miles, curatis corporibus, viribus integris pugnam capessebat; Sertoriani, stando fessi, magis etiam aestu fatigabantur: et, quia Metellus mediam aciem reduxerat, fortissimae quaeque cohortes, si starent, otiosae manebant; sin procurrerent in hostem, hic quoque novus labor prioribus molestiis accedebat. Inter hanc dubitationem pulsis utrimque cornibus, ita circumveniuntur, ut neque repugnando servari, neque erumpere ad fugam possent. Ibi vehementissime dimicatum est, ita promtis avidisque ducibus, ut Metello in sagum, Hirtulejo in brachium tela venirent. Neque tam virtute, quam, quibus diximus, rebus inferiores Sertoriani exstiterunt. Ita viginti millibus militum amissis, pauci in Lusitaniam cum duce refugerunt. Neque tamen ille cladi suorum diu superstes fuit, dum, reparatis viribus, fortunam denuo tentat, cum fratre ad Segoviam interfectus. Quo

Cap. XXIV. Appian. Oros. Frontin. 1, 1. Cap. XXV. Frontin. 2, 1. Frontin. 2, 3. Frontin. 2, 1. Cap. XXVI. Frontin. 2, 3. Sall. Hist. 2, 8. Oros. Flor. 3, 22. Liv. Epit.

tempore barbarum, qui forte evaserat, nuncium cladis Sertorius, quum maxime pugnam adversus hostem ciens, e vestigio pugione trajecisse dicitur; veritus ne inter milites vulgata rei fama animos eorum alienissimo tempore infringeret. U. c. 676. A. C. 76.

XXVII. Magnum enim omnino incommodum acceperat, insigni duce, multisque fortissimorum virorum millibus deperditis. Sed nemo temere tum ad alios belli casus, tum in reparandis cladibus, Sertorio dux melior erat: quum invictus ipse legatorum culpa fortunave vulneratam caussam mirabili semper celeritate consilioque restitueret. Unde ingens viri nomen, quotidieque majus, ne quidem Europae finibus continebatur, quin Asiam quoque et Pontum implerent ejus laudibus, qui ex Occidente adventabant. Quod non ultimum incitamentum Mithridati fuit, cur tertii belli sibique ad postremum exitiosi aleam subiret, elatum regis animum aliis etiam stimulantibus caussis. *Sertorius magnus dux in reparandis cladibus.*

XXVIII. Quippe, post remissam a Sulla legationem, Cappadociam Ariobarzani, uti jussus erat, restituerat. quum alios oratores scribendi foederis caussa Romam ablegasset, iterum spe sua frustratus est, quia, mortuo jam Sulla, magistratus, civilibus turbis impediti, de eo negotio non retulerunt. Igitur Mithridates, ultionis cupidus, et sibi adhuc diffisus, Tigranem subornat: facilius conjicientibus rem Romanis, quam ad prohibendum paratis. Ille Cappadociam velut indagine cinctam evacuavit, abactis hominum ferme trecentis millibus, et urbibus Graecanicis duodecim evastatis. Hos in Mesopotamiam, agris juxta Tigranocertam ad incolendum attributis, transtulit, majoremque partem urbis ex eo genere frequentavit. Curae enim habebat rex longe superbissimus, ut urbs, ubi sibi diadema Armeniae imposuerat, quamque de suo nomine voluerat appellari, magnificentissimo murorum ambitu, maximaque hominum et aedificiorum multitudine ornaretur. Haec dissimulare Romanos non externa tantum bella, sed etiam urbani motus, coëgerunt. *Tigranes Cappadociam vastat, ad implendam Tigranocertam.*

XXIX. De tribunatu, cujus omnem fere potestatem Sulla exstinxerat, certabatur. Nam, illo mortuo, plerorumque erecti animi fuerant, restitutum iri jus po- *Romae certatur de jure tribunorum restituendo.*

Cap. XXVI. Frontin. 2, 7. Cap. XXVII. Plut. Sertor. Appian. Mithrid. Cap. XXVIII. Strabo, l. 11. p. 532. et l. 12. p. 539. Appian.

U. c. 676. A. C. 76. puli sperantium, nisi Q. Catulus acta Sullae constanter defendisset. Proximis deinde consulibus, agente L. Sicinio tribuno plebis, tumultuatum: isque statim, quum D. Bruto et Aemilio Mamerco impar fuisset, cum acriore viro, Curione, malo suo fato, commissus est.

Curionis oratio in L. Sicinium tribunum.

XXX. Vehementer eum accusabat Curio, ut erat ei sermo splendidus et copiosus, quod *reipublicae, vix e tantis cladibus respiranti, denuo civilium bellorum metum intestinae seditionis fax et auctor admoveret. Quasi enim parum molesti Perperna ac Sertorius forent; quasi nesciretur, quae Mithridatis, quae Tigranis essent consilia; quasi, Macedoniam et Achajam a Thracibus lacerari, nihil ad rempublicam pertineret: ita novos subinde in ipsa urbe exoriri Cinnas atque Marios, qui saevius, quam ulli hostes, civitatem vexent premanque. Scilicet hunc Sicinium, apud levem et seditiosam turbam ipso nomine favorabilem, haud minus turbarum daturum credi, quam antiquis temporibus, educta in Sacrum montem plebe, nescio quis Sicinius dederit. Nisi tamen hic tanto est deterior, quod non contentus jure tribunitio, quatenus tolerabile civitati, et populo salutare est, quale majores vestri unice desiderarunt, licentiam sibi miscendi omnia, et rempublicam arbitratu suo agendi ferendi postulat.*

Omnes seditiones a tribunis concitatas adseverat.

XXXI. *Annon satis modo poenarum dedimus, quod hominibus turbulentis, ambitiosis, audacibus, stultis adolescentibus, populum, quo vellent, agitandi concessa potestas est? Unde enim Gracchanae Apulejanaeque seditiones; unde mox Marianus Cinnanusque furor, nisi ex tribunitiis rogationibus? Hoc igitur audes dicere, Sicini? talem mihi potestatem deposco, qualem Sempronii Saturninique habuerunt: ego rempublicam constituam scilicet; ego leges, quibus obediatis, feram. Infelix scurra, tu isto tuo impudenti ore flagitium tale proferre ausis? Tua ista insignis et prodigiosa stultitia, tua improbitas, tuae illae sordes in hac se republica jactabunt? At nos merito nostro miseros, si nunc Sicinium feremus regem, qui nuper Aemilium non tulimus. Scilicet apparebat, quam efficax ad subruendam rempublicam cuniculus effoderetur, si, quod ille sub honesta specie petebat, leges Sullae, quibus, tamquam firmissimo vinculo, concordia statusque civitatis hujus continetur, abrogarentur.*

Sicinii dicacitas et mors.

XXXII. Haec atque talia dictitantem non tam oratione Sicinius, quam clamoribus et improba dicacitate

Cap. XXIX. Sall. Hist. 3. in Orat. Macri trib. pl. Ascon. in Divin. Cap. XXX. Cic. Bruto, c. 60. c. 59. Liv. 2, 32. Cap. XXXII. Cic. Bruto, c. 60.

tate, refellebat. Erat enim homo perquam ridiculus; et, scurriliter facetus, omnes civitatis principes ac magistratus exagitare consueverat. memoraturque a solo M. Crasso petulantiam abstinuisse; interrogantibus, cur soli omnium huic parceret? respondere solitus, *foenum in cornu habere.* Sed a Curione minime temperabat, quin et de republica cum eo contenderet acriter; et inconcinnum consulis in dicendo motum dictis procacibus irrideret; et corpore ac lingua percitum et inquietum, nomine histrionis vix sani *Burbulejum* appellaret. Igitur quum in magistratu esset occisus, penes Curionem invidia necati fuit: tribunatusque desiderium, paullisper repressum eo facinore apud plebem Romanam, non multo post vehementiore nisu erupit. U. c. 676. A. C. 76.

Cap. XXXII. Plut. Crasso, c. 13. Cic. et Quintil. 11, 3. Plin. 7, 12. et Val. Max. 9, 14. et Sall. Hist. 2, 6. Sall. Hist. 3. in Orat. Macri.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI SECUNDI.

Cn. Pompejus dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Metellus Sertorium et Perpernam cum duobus

Ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint] Potest ferri. Forte tamen: *ita ut sinistra*. Quemadmodum Epit. 124. *Ita ut utriusque dextra cornua vincerent*. J. FR. GRON. Satis certa est conjectura sagacissimi Gronovii. Nam Plutarch. in Sertorio scribit, in pugna ad Sucronem dextrum cornu Sertorii a sinistro cornu Romanorum, et dextrum Romanorum a sinistro Sertorii pulsum esse. DUK. Ridicule Voss. *ita ut sine gloria ex utraque parte cortina vicerit*. Reliqui nihil mutant. Paullo ante *adhuc dubio eventu* Norv. et edd. ante Gruter. qui vocem *adhuc*, in nullo apud me codice obviam, recte delevit.

Q. Sertorius Metellum et Perpernam c. etc.] Legendum *Q. Metellus Sertorium et Perpernam*. Neque enim Sertorius Perpernam, qui a se stabat, fundere potuit. SIG. Vitium priscae lectionis deprehendit jam Glareanus ad Valer. Max. 3, 4, 5. quomodo tamen emendari debeat, adsecutus non est; sed demum recte invenit Sigonius. Ejus emendationem firmant omnes codd. nostri, Exc. Pithoei, et ed. Camp. Ceterum codd. nostri, et edd. vett. hic et alibi perperam scribunt *Perpennam*. Vide ad Livii 44, 27, 11.

Victoriae partem cupiens auferre] Vet. lib. *ferre*. SIG. Similiter scripti mei, Exc. Pithoei, et ed. Camp. *Ferre partem victoriae*, ut *ferre praemium, munus*. V. ad Livii 26, 2, 4. Ex ejus interpretatione natum est *auferre*.

Obsessus deinde Calagurii Sertorius] Sic finxerunt, opinor, ex epitoma sequenti, quum non assequerentur veterem scripturam. Nam Barber. *clime*. Gud. *climiae*. Alter, *Clume*. Voss. *cluviae*. Unde faciendum: *Obsessus deinde Cluniae Sertorius*. Sueton. Galb. [9.] *Sacerdos Jovis Cluniae*. conventus *Cluniensis* pars Tarraconensis provinciae apud Plinium 3, 3. *Πολιορκούντι δ' ἀντῷ Κλουνίαν* (Metello scilicet Nepoti) est apud Dionem l. 39, [115.] J. FR. GRON. *diune* Lov. 2. *Cliniae* Berg. *Cluviae* Boend. Sed *Cluniae*, ut recte Gronovius emendat, superest in Leid. et Exc. Pithoei. V. Cellarii Geogr. Ant. 2, 1, 76.

Non leviora damna obsidentibus tulit] Vet. lib. *intulit*. SIGON. Similiter quinque scri-

exercitibus proelio fudit: cujus victoriae partem cupiens ferre Pompejus parum prospere pugnavit. Obsessus deinde Cluniae Sertorius, assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus intulit. Praeterea ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos, et Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet; qui plurimos ex amicis et secum proscriptis, crimine proditionis insimulatos, occidit.

pti mei, ed. Camp. et, ut Hearnius testatur, Exc. Pithoei, ac Norv. Praeterea quatuor priora vocabula exsulant a Voss.

Ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos] *a P. Curiosone* Exc. Pithoei. *a P. Cursore* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et edd. ante Prob. qui anno 1535. *a Curione* substituit. Sane praenomen *P.* servari nequit, quia Curio dictus est *C. Scribonius Curio.* V. Pighium in Ann. ad A. V. DCCLXXVII. pag. 292. et DCCLXXVIII. pag. 302. *C. Curio* etiam infra vocatur Epit. 95. Quum tamen omnes libri constanter illud praenomen tueantur, eorum vestigia docent, recte Gronovium anno 1665. edidisse *ab Curione.* Deinde *in Thracia gesta* Leid. et Berg. *in Traciam res gestas* Boend. Tum *Dardanios* perperam Leid. Voss. Boend. et ed. Camp. Mox *atque Sertorii* pro *et Q. Sertorii* Lov. 2. Denique voces *in suos* desunt in Voss.

Plurimos amicorum et secum proscriptorum, crimine proditionis insimulatos, interemit] Vet. lib. *plurimos ex amicis et secum proscriptis.* SIGON. Pariter Msti mei, Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad Epit. 79. Tum vox *insimulatos* abest a Leid. neglegentia scribae. Livius 44, 16, 6. *Quum suspectum se esse cerneret, et proditionis interdum crimine insimulari.* Hinc *occidit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LVII.

IN LOCUM LIBRI XCII. T. LIVII.

U. c. 676. A. C. 76.

Sertorius et Pompejus ambiguo Marte dimicant.

I. Eadem aestate, qua victus et occisus a Metello L. Hirtulejus erat, Sertorius et Pompejus, collatis apud Sucronem oppidum signis, ambiguo Marte dimicarunt. Ab ambobus erat properatum, ut adventum Metelli occuparent: dum Sertorius auxiliatorem hostis praevenire studet; Pompejus consortem gloriae. Animosus enim rebus prospere gestis, quod Segidam, nobilem Celtiberiae urbem, ceperat, et secundo ad flumen Durium proelio ducem hostium C. Herennium cum decem amplius hominum millibus, et urbe Valentia, deleverat, solus cum Sertorio decertare cupiebat: ne saeva quidem tempestate territus, quum sereno repente coelo crebra cum ingenti fragore fulmina micarent. Dilata tamen in vesperam pugna est Sertorii astu, qui hostibus, locorum ignorantia, noctem neque ad fugiendum, neque ad persequendum, qualiscumque sors proelii fuisset, utilem fore praevidebat.

Pompeji duplex periculum.

II. Forte sic evenerat, ut Sertorius contra Afranium in acie consisteret, Pompejusque cum Perperna congressus impelleret illum, caederetque. Quare Sertorius propere, commisso aliis ducibus dextro cornu, succurrit laborantibus, et alios circumspectantes fugam, alios jam palantes colligit, Pompejique, victoriam gnaviter urgentis, impetum sistit. Ibi vir vasta corporis magnitudine in Pompejum equitem pedes se intulit: consertisque ensibus dextram alterius alter pe-

---

Cap. I. Flor. 3, 22. Liv. Epit. Plut. Sert. c. 30. et Pomp. c. 9. Oros. 5, 23. Sall. Hist. 3. in Epist. Pomp. Plut. Pomp. Appian. Civil. l. 1. Plut. Sertor. Cap. II. Appian. Plut. Sertor. Plut. Pomp.

tiit. sed aequior Pompejo sors fuit: et, accepto vulnere, manum hostis amputavit. At, multis in eum se incitantibus, quum etiam hasta in femore graviter laesus a suis fugientibus desereretur, praeter spem evasit. Equus, auro phalerisque eximiis adornatus, dum captus ab Afris divitis praedae objectu altercantes inter se barbaros a persequendo retinet, effugium domino dedit. U. c. 676. A. C. 76.

III. Dum hoc cornu, in quo Pompejus curaverat, vincitur, vicissim hi, a quibus Sertorius discesserat, ab Afranio vertuntur in fugam: adeo perculsis mentibus, ut ne castra quidem defenderent, quominus ab Afranianis, eodem impetu victoriae perrumpentibus, diriperentur: frustra vetante legato, quia, Pompeji fortuna qualis fuisset, ignorabatur; quia tenebrae jam oborientes obtentui delinquentibus erant. Sed acerbam eis praedam Sertorius effecit, qui, reversus a persequendo, statim adortus est Afranii turbatas incompositasque cohortes, et magna cum caede ex castris suis ejecit. *Varia fortuna proelii.*

IV. Quum ita discessum esset, ut, fusis utrimque singulis cornibus, damno quoque non valde inaequali, (decem millia Pompejus, haud multo pauciores Sertorius, desideraverant) de victoria neutri concederent; postridie, simul illuxit, iterum educti sunt exercitus, proeliumque sperabatur. Sed, propinquante Metello, Sertorius dixisse fertur: *Nisi anus ista supervenisset, ego hunc puerum verberibus castigatum Romam dimisissem.* Idcirco, cum duobus congredi nolens, dimisit suos, admonitos, quem in locum convenire vellet. Eos enim ita dudum adsuefecerat, ut ad ducis imperium diffluerent, aut colligerentur: et ipse, nunc solus per loca, quae vagando venandoque de industria pererrare consueverat, palaretur; nunc centum quinquaginta millibus armatorum stipatus incederet. *Sertorii vox de Metello et Pompejo.*

V. At Pompejus, Metello venienti honoris caussa obviam pergens, ubi in conspectu fuit, submitti fasces a lictoribus suis, ut dignitate superiori, jussit. Metellus neque id passus est fieri, neque ulla in re quidquam usurpavit praecipui, nisi quod, quoties una tendebant, universo exercitui signum ab uno Metello da-

Cap. II. Appian. Plut. Sertor. Cap. III. Sallust. Plut. Sertor. Cap. IV. Liv. Epit. Oros. Plut. Pomp. et Sertor. Frontin. Strat. 2, 13. Plut. Pomp.

U. c. 676. A. C. 76.

Metellus pugnare non vult cum desperatis.

batur. Consilio tamen senis plerumque Pompejus adquiescebat, digno inter cetera, quod narretur, documento. Junctis uterque copiis saepe diuque Sertorium provocaverant, contra duos pugnare recusantem: donec, animadverso, milites Sertorianos, incredibili ardore instinctos, humeris exsertis, lanceisque vibratis, pugnam deposcere, Metellus recepit exercitum, et Pompejo idem faciundi auctor fuit.

Sertorii cerva.

VI. Sed inter superioris pugnae trepidationem amissa cerva candida macerabat Sertorium, ita ut compluribus diebus, non sine irrisu hostium, a rebus gerendis abstineret. Nam ad inclinandos, quo vellet, barbarorum animos illo animali, quasi machina quadam, utebatur. Erat enim insigni forma, colore candido, et sic adsueta Sertorio, ut audiret vocantem, euntemque sequeretur. Hanc ille Dianae donum esse fingebat, et superstitiosae genti quidlibet persuadebat ab hac per quietem edoceri. sive hostes aliqua irrupturos compererat, ab hac se dicebat admonitum: sive res a suis bene gestae erant, occultatis, qui retulerant, cervam producebat ob faustum nuncium coronatam, jubebatque honorem habere Diis cito laetum aliquid gratumque audituros. Sertorius igitur non cervam, sed, quam illa conciliabat, utilitatem, perisse moleste ferebat.

Et assus Sertorii circa eam.

VII. Idcirco, quum nocte quidam errantes ex colore agnitam comprehendissent, scirentque, magnam se ab imperatore gratiam hoc facto inituros, diligenter nunciarunt. Ille, grandi promissa pecunia, si rem tegerent, et, si vulgassent, supplicium interminatus, praecepit, ut eam postero die repente in eum locum, ubi jus reddere erat solitus, immitterent. Ipse, vultu hilariore in publicum progressus, principibus Hispanorum, qui tum aderant, dixit, *in quiete sibi visum esse, cervam, quae perierat, ad se reverti; et pristino more, quid facto esset opus, praedicere.* Inter haec dimissa ex composito cerva, ubi Sertorium conspexit, laetis saltibus ad tribunal fertur, et, genibus ejus capite imposito, dextram sedentis (nam frequenter ei gratum aliquem cibum clam obtulerat) ore contingit. Clamor inde factus, et orta admiratio est, tantumque ea persuasio,

Cap. V. Frontin. 2, 1. Cap. VI. Plut. Sertor. Appian. Frontin. 1, 11. Plut. A. Gell. 15, 22. Plut. Cap. VII. A. Gell. Plut. A. Gell.

Diis carum hunc ducem esse, in animis mobilissimorum alias hominum valuit, ut ex iis nationibus neminem umquam ab eo defecisse, quum esset multis proeliis superatus, memoriae proditum sit. U. c. 676. A. C. 76.

VIII. Sed tum maximo hominum concursu, laetus successu fabulae Sertorius, et animos sponte in superstitionem praecipites magis impulsurus, vultu ac voce in speciem religione incensi composita, *Sunt*, inquit, *Dii: nec sunt modo, sed etiam nobis favent! Mittat sane Roma Pompejos suos, mittat Metellos. Utinam et regum ille domitor, terror omnium gentium, Romanae libertatis oppressor Sulla revivisceret, ut majora nomina vinceremus. Nam, ut hae quidem res eunt, favorem Deorum in tam manifestis indiciis non agnoscere, insanum; non aestimare, impium foret. Quid minus dare, quam victoriam, possunt, quibus tanta victoriae non praesagia tantum, sed adjumenta, miserunt? Quantum enim in eo esse putemus, quod toties monitu Dianae clandestina hostium consilia sacrum hoc animal indicavit; loca, tempora, agenda omittendaque docuit; rerum bene gestarum nuncium, bene gerendarum praenuncium fuit? Neque haec a me fingi, sicut existimari hostes vellent, ipsi praeclare intelligitis, bonorum istorum saepe socii, participes, testes.* *De quo ea re concio.*

IX. *Cur autem, o milites sociique, ad vetera provocamus? en vobis praesens et grande documentum! Quid enim, o quid mihi nuncias, amica?* Simul cum his verbis permulcens cervae caput, quod iterum dextrae ejus admoverat, nominansque locum, ubi partem hostium castra nuper posuisse per exploratores didicerat, *Imus*, exclamat, *imus, quo tua nos monita vocant, nemorum arcusque potens Virgo. Tu nobis tela intorquentibus aderis; tu venationem efficies uberem et secundam. Sed neque parum grati aut memores meritorum erimus. Tibi non jam ursorum cervorumque arma, sed victis hostibus detracta spolia suspendemus. Tibi pro feris silvestribus cohortes legionesque procumbent.* *In qua denuo fingit, sibi aliquid a cerva nunciari.*

X. Hoc velut furoris oestro percussas militum mentes Sertorius videns, optimaeque spei plenas, continuo duxit in hostem, levibusque proeliis tempore ducto, donec sui convenirent, eum inter Segontiam et Tuttiam urbes in ultimas angustias redegit. Tandem Romani, magnis copiis pabulatum profecti, necessitatem imposuerunt Sertorio, ni reverti illos cum praeda vellet, proelio dimicandi. Igitur, equo adduci jusso, commisit pugnam: certatumque est summis utrim- *Suosque sic animatos statim educit in hostem.*

Cap. X. Appian. Plut. Appian.

U. c. 676. A. C. 76. que viribus a sexta diei hora, donec stellae coelo fulserunt. In eo certamine C. Memmius quaestor Pompeji, vir militiae peritissimus, occubuit; et sex millia Pompejanorum sunt interfecta: de Sertorianis ad millia tria ceciderunt. Interim Metellus de Perpernae exercitu ad millia quinque concidit.

Metelli periculum. XI. Igitur, illatis in eam partem signis, Sertorius ad ipsum usque imperatorem, pulsis obstantibus, penetravit. Ille, quamquam senio gravaretur, fortiter restitit, animosque suorum, prope deploratis rebus, voce, manu, exemplo denique confirmavit. Sed immane quantum animi exarsere, postquam vulneratum ictu tragulae viderunt. tum enim pudore, ne deseruisse imperatorem dicerentur, et ea aetate virum, periculorum prae ira obliti, repulerunt hostes, et Metellum, scutis objectis protegentes, extulerunt ex acie.

Sertorius includit se Calaguri. XII. Sertorius, amissam e manibus prope certam victoriam dolens, vespera sequentis diei, quum magna ad eum auxilia Hispanorum venissent, castra Metelli subito oppugnare adortus est. sed, superveniente Pompejo, Calaguri montano et munito oppido, quod paucis inde millibus aberat, se inclusit, ut, in se avocatis Romanis ducibus, tutum suis abitum praestaret. Romani, quum neque persequi palantes, nec expugnare resistentes possent, gravibus ab eo damnis per continuas eruptiones adfecti, jam tempore anni invitante, relictis ad obsidionem Calaguritanam idoneis copiis, in hiberna discesserunt. Haec ita apud alios auctores reperio. Livius a Metello Sertorium et Perpernam cum duobus exercitibus fusos fugatosque scripserat; Pompejum, partem victoriae ferre cupientem, parum prospere pugnavisse.

Metelli intemperans gloriatio. XIII. Certe Metellus Imperatorem se ob fusum acie Sertorium appellari, adeoque omnibus humanis honoribus coli passus est, ut ne quidem a divinis temperaret. In ulteriorem Hispaniam regressus, magna gloria concurrentium undique virorum feminarumque, vias ac tecta visendi caussa replentium, spectabatur.

Cap. X. Oros. Plut. Appian. Cap. XI. Plut. Sall. Hist. 2 10. et 9. Plut. Cap. XII. Appian. Liv. Epit. Plut. Ptolem. Plut. Appian. Liv. Epit. Cap. XIII. Plut. Sall. Hist. 2, 7 et 8.

XIV. Sed praecipuae infamiae coena fuit, qua eum quaestor C. Urbinius, et, postquam hoc ille gratum habebat, alii deinceps exceperunt. Aedes aulaeis signisque exornatae, scenae ad histrionum ostentationem, sparsa croco humus, et alia in modum celeberrimi templi vrtebantur. praeterea sedenti transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruorum coronam capiti imponebat. triumphalis plerumque habitus erat accumbenti: epulae quaesitissimae, non per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauritania petita volucrum et ferarum incognita ante genera, inter puerorum virginumque choros, apponebantur, hymnos accinentium, quibus ejus victoriae celebrarentur. Nam adeo laudibus suis delectabatur, ut etiam Cordubensibus poëtis, pingue quiddam atque peregrinum sonantibus, aures suas dederet.

U. c. 676. A. C. 76. *Fastusque et luxus.*

XV. Et haec faciebat, quia Sertorium propemodum voluntate cedentem repulerat: quum eum sermonibus contemneret, *Sullae fugitivum, et Carbonianorum exsulum reliquias* appellando. Sed idem in caput ejus quater et vicies pronunciari jusserat, si a cive Romano interficeretur; si ab exsule, reditum in patriam.

In Sertorii caput pecunia pronunciata.

XVI. Inter haec L. Octavius Cn. F. Cn. N. C. Aurelius Cotta consulatum inierant. Quo anno C. Scribonius Curio, Macedoniae proconsul, qui Appio successerat, omissis, quas ille irritaverat, gentibus, in Dardania asperum bellum felici eventu gessit; et, aliquot subactis populis, mulctaque imperata, quam certo tempore penderent, in hiberna regressus est. Ea tam formidolosa militibus expeditio fuit, ut de quinque legionibus una circa Dyrrhachium obsequium detrectaret, sequuturam se temerarium ducem in asperam et insidiosam militiam negans. Sed dux acerrimus, quum reliquas legiones in armis adsistere jussisset, seditiosam legionem inermem procedere, et in conspectu armati exercitus discinctam stramenta secare, postero etiam die similiter fossam discinctos milites facere coëgit. Atque ita domiti quum infimis precibus obtestarentur, ne signa legionis submitteret, nomenque aboleret, nequitum est impetrari: signis

U. c. 677. A. C. 75. L. Octavio, C. Aurelio Coss. *Curionis gesta in Dardania.*

Cap. XIV. Plut. Cic. pro Arch. c. 10. Cap. XV. Plut. Cap. XVI. Eutrop. l. 6. Oros. Liv. Epit Sall. Hist. 2, 2. Frontin. Strat. 4, 1. 43. Marcellin. 29, 26. Frontin.

U. c. 677. A. C. 75. ademptis soluta legio, militesque in ceterarum supplementum distributi sunt.

Sertorius mutatur ad crudelitatem.

XVII. In Hispania Q. Metellus et Cn. Pompejus imperatores iterum a Pyrenaeis montibus ad flumen Iberum castra moverunt. Hoc tempore quum multi subinde ad Metellum transfugerent, mutare priorem mansuetudinem Sertorius praecipiti ad poenas iracundia coepit, plurimis amicorum et secum proscriptorum crimine proditionis interemptis. Unde paullatim odio esse exercitui, et vicissim illum suspectare: neque animi priores militibus, neque duci consilium esse.

Plus credit barbaris, quam Romanis.

XVIII. Maxime molestum Romanis erat, quod plus barbaris Sertorius crederet; hos haberet custodes corporis, popularium fide damnata: quamquam illius gratia contra patriam arma ferrent, nec transfugarum, si qui essent, crimen in sacramento manentibus aliis recte imputaretur. Sed nihil erat acerbius, quam quod Hispani, favore ducis elati, tamquam in perjuros infidosque petulantia dicta jaciebant. In hac aegritudine animorum tamen non omnino Sertorium deserebant, necessarium sibi ductum ejus judicantes, etiam quum amare amarique desiissent.

Sertorii magnae virtutes.

XIX. Erat enim vir bellicarum artium peritissimus, et ad struendas insidias artifex: eoque ab Hispanis Hannibal vocabatur, quo nullum iis locis versutiorem acrioremque imperatorem fuisse meminerant. Et ipse sic appellari gaudebat, cominus faciem ostentans, aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo deformem, quo ille dehonestamento corporis maxime laetabatur, quod is quoque casus et Poeno duci, et Philippo Antigonoque regibus se adsimilaret: quos ille omnes, quum alium aliis virtutibus vinceret, animi magnitudine, prudentiaque et velocitate consiliorum aequabat.

XX. Tum quoque praeter alias caussas erat exercitus solito segnior, quod scuta equitum parte exteriore, jaculaque et pectora equorum cruenta subito prodigio apparuerant. Sed ille formidinem suorum in audaciam vertit, sibi portendi victoriam interpretatus, quoniam illae partes solerent hostili sanguine maculari. Confirmatis igitur copiis, continua ei proelia cum

Cap. XVII. Appian. Plut. Liv. Epit. Appian. Cap. XIX. Sall. Incert. 2. Plut. Sertor. init. Cap. XX. Jul. Obseq. et Frontin. 1, 12.

cum succeſſu fuerunt. Inter quae Pompejum a Pallantia submovit, adeo rebus obseſſorum extremis, ut suffoſſa moenia trabibusque suffulta, incensis illis, Pompejani subruerent. Sertorius, inſtaurato, quod ceciderat, rebusque neceſſariis urbe munita, Calagurim profectus, subito in caſtra obsidentium impetu ad tria hominum millia delevit. Pompejus ad Metellum se receperat, qui, frequentibus incursionibus socias Sertorii civitates vexando, excisis caſtellis atque oppidis, incolas in Romanae ditionis loca deportabat.

U. c. 677. A. C. 75. *Pompejum a Pallantia submovet.*

XXI. Dum ita inter Romanos duces, illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, alienae discordiae poenas misera dat Hispania, ne urbanae quidem res dissensione ac tumultibus caruerunt: annonae praesertim inopia furorem plebis usque ad summi imperii contemptum consulisque periculum exſtimulante. Quod quia non aliunde, quam ex oratione C. Cottae, cognosci poteſt, operae pretium putavimus, quibus eam verbis Salluſtius tertio Hiſtoriarum libro poſuerat, huc transcribi.

Seditiones in urbe propter inopiam annonae.

XXII. *Multa mihi pericula domi, militiae multa adverſa fuere, Quirites. quorum alia toleravi, partim repuli Deorum auxiliis, et virtute mea: in quîs omnibus neque animus negotio defuit, neque decretis labos. malae ſecundaeque res opes, non ingenium, mihi mutabant. At contra in his miſeriis cuncta me cum fortuna deſeruere. praeterea senectus per ſe gravis curam duplicat: cui miſerò, acta jam aetate, ne mortem quidem boneſtam ſperare licet.*

C. Cottae consulis oratio ad Quirites.

XXIII. *Nam, ſi parricida veſtri ſum, et his genitus hic Deos Penates meos, patriamque, et ſummum imperium vilia habeo; quis mihi vivo cruciatus ſatis eſt? aut quae poena mortuo? quum omnia memorata apud inferos ſupplicia ſcelere meo vici. A prima adoleſcentia in ore veſtro, privatus et in magiſtratibus, egi: qui lingua, qui conſilio meo, qui pecunia voluere, uſi ſunt: neque eo callidam ſacundiam, neque ingenium ad maleſaciendum exercui: avidiſſimus privatae gratiae, maximas inimicitias pro republica ſuſcepi. queis victus cum illa ſimul quum egens alienae opis plura mala exſpectarem, vos, Quirites, rurſus mihi patriam, Deos Penates cum ingenti dignitate dediſtis. Pro quibus beneficiis vix ſatis gratus vi-*

Beneficia populi praedicat.

Cap. XX. Appian. Cap. XXI. Flor. 3, 22. Cap. XXII. Sall. Incert.

U. c. 677. A. C. 75. *dear, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. nam vita et mors jura naturae sunt: uti sine dedecore cum civibus fama et fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur.*

Consulatus sui dura tempora ostendit.

XXIV. *Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissima republica. Namque imperatores Hispaniae stipendium, milites, arma, frumentum poscunt: et id res cogit, quoniam, post defectionem sociorum, et Sertorii per montes fugam, neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostium est: nec minus Italiae maritima, et provinciarum. Quum interim vectigalia parva, et bellis incerta, vix partem sumptuum sustinent. Ita classe, qua commeatus vehatur, minore, quam antea, navigamus.*

Nec in se culpam esse eorum.

XXV. *Haec si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, et, uti lubet, ita supplicium sumite: sin communis fortuna asperior est, quare indigna vobis nobisque et republica incipitis? Atque ego, cujus aetati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur: neque mors ingenuo corpori honestius, quam pro vestra salute, finem vitae fecerit.*

Tamen offert animam suam pro Rep.

XXVI. *Adsum en C. Cotta consul; facio, quod saepe majores asperis bellis fecere; voveo dedoque me pro republica: quam deinde cui mandetis, circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunae, et pacis, et belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus aut avaritiam caesum, sed volentem pro maximis beneficiis animam dono dedisse. Per vos igitur, Quirites, et gloriam majorum, tolerate adversa, et consulite reipublicae. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores: quos nequidquam abnuitis, et pacis opulentiam quaeritis, quum omnes provinciae, regna, maria terraeque, aspera aut fessa bellis sint.*

Tribunis plebis aditus ad honores redditur.

XXVII. Haec tum pro concione dicta memorantur. Quo deinde magis hominum animi lenirentur, ejusdem consulis lege jura quaedam tribunis plebis restituta sunt; ita tamen, ut non tam potestas eorum, quam dignitas, augeretur: legis Corneliae, ceteris manentibus, abrogato capite, quod tribunitiis aditum ad majores honores praecluserat. Ea quoque res con-

Cap. XXVII. Sall. Hist. 3. in Orat. Macri. Cic. pro C. Corn. et ibi Asc.

tentione non caruit: sed, repugnante nobilitate, summo populi ſtudio perfecta eſt. U. c. 677. A. C. 75.

XXVIII. Igitur et Q. Opimius, qui tum tribunus legem Aureliam suasit, quod contra Q. Catuli voluntatem dixerat, anno sequente ad C. Verrem praetorem in judicium adductus, mulctaque ab eo petita eſt, *quod, quum eſſet tribunus plebis, contra legem Corneliam intercesſisſet.* Sub hoc obtentu potentes et iniqui homines, sceleſtiſſimi praetoris abusi miniſterio, hominem innocentem bonis atque fortunis omnibus exuerunt. *Q. Opimius per eam caussam evertitur.*

Cap. XXVIII. Cic. in Verr. 1, 60. et ibi Ascon.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI TERTII.

P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, et aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes, Bithyniae rex, moriens populum Romanum fecit hae-

In Cilicia Isauros domuit] Indomitos antea. Cl. Claudianus [1. in Eutrop. 217.]

Indomitos curru Servilius egit Isauros.

Nihil itaque mutandum. DELR. *in Sicilia* Lov. 2. et Boend. librariorum errore, quos etiam alibi similiter lapsos esse, vidimus ad Epit. 68. Dein *Sauros* Voss. *Insauros* Boend. Quum autem tota Isauria tunc et diu etiam post id tempus domicilium et receptaculum latronum fuerit, *Isauros* hoc loco potius pro piratis dici, quam Ciliciam et Isauriam confundi, existimat Clariss. Dukerus ad Flori 3, 6, 5. Mox *aliquas urbes* Berg. sollemni aberratione scribarum. V. ad 30, 19, 5. et 32, 10, 12. Praeterea *moriens* exsulat a Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithoei, Norv. et ed. Camp.

Foedere cum Sertorio icto] *inito* Voss. quod ex glossa, quae, olim margini adscripta, deinde in contextum inrepsit, natum est. V. ad Livii 22, 34, 7.

Ad Chalcedonem proelio ab rege victus est] *ad Chalcedonam* Leid. et Voss. *ad Calcedonam* Lov. 2. *ad Calcedoniam*, vel *ad Chalcedoniam* Boend. Norv. et edd. principes. *ad Calcedonem* Berg. Sed recte *ad Chalcedonem* Frob. anno 1535. restituit. Deinde *a rege* omnes nostri cum Exc. Pithoei, Norv. et edd. Gronovio prioribus: nam is demum *ab rege* anno 1665. recepit. *Τὸ est* non adparet in Lov. 2.

Rexque a Pompejo et Metello victus, et ut contra Sertorium egerunt] Vitiosus sine dubio locus ex vestigiis veterum librorum a me ita emendatur: *resque a Pompejo et Metello contra Sertorium gestas continet; qui omnibus bellis.* Sic enim in veteribus libris est: praeterquam quod duae voces *gestas continet* interciderunt. Sic Epitoma seq. *Res a Cn. Pompejo in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.* SIGON. *resque a Pompejo et Metello* (*et a Metello* Berg. et Voss.) *adversum* (*adversus* Berg.) *Sertorium, omnibus* Leid. Voss. et Berg. *resque a Pompejo et Metello adversus Sertorium, qui omnibus* Lov. 2. et Boend. neque aliter ed. Camp. nisi quod legat *adversus Sertorium gestas, qui omnibus.* Exc. Pithoei consentire vet. lib. Sigonii, eo excepto, quod etiam *τὸ qui* omittat,

redem, regnumque ejus in provinciae formam redactum est. Mithridates, foedere cum Sertorio icto, bellum populo Romano intulit. Adparatus deinde regiarum copiarum pedestrium navaliumque: et, occupata Bithynia, M. Aurelius Cotta consul ad Chalcedonem proelio a rege victus est. resque a Pompejo et Metello adversus Sertorium gestas continet; qui omnibus belli militiaeque artibus par fuit. quos etiam, ab obsidione Calagurris oppidi depulsos, coëgit

Hearnius auctor est. Forte legendum et distinguendum est: *Adparatus deinde regiarum copiarum terrestrium navaliumque, et, occupata Bithynia, M. Aurelius Cotta consul ad Chalcedonem proelio a rege victus, resque a Pompejo et a Metello adversus Sertorium: qui omnibus* etc. ut intelligatur verbum *referuntur, narrantur*, vel simile. Ita infra Epit. 100. *Legem tulit, ut Pompejo Mithridaticum bellum mandaretur. Concio ejus bona. Q. Metellus* etc. V. Gronov. ad Epit. 49. In constituendo hoc loco enumeratas codicum lectiones per omnia secutus sum. *Res* et *rex* in Mstis saepe commutari, vidimus ad Livii 36, 9, 6. Repetita praepositio in locutione *a Pompejo et a Metello* auctori adhaesit ex lectione Livii. V. ad Epit. 46. Primi editores denique *contra*, pro *adversus*, substituerant; quod eos passim fecisse, vidimus ad Epit. 57.

Belli militiaeque artibus] Displicet illud *belli militiaeque*, praesertim in auctore, qui passim brevitati studet. *belli, militiae*, omissa copula, Boend. Forte legendum *qui omnibus bellis militiae artibus par fuit.* ut innuat auctor, Sertorium in omnibus bellis, quae cum Pompejo et Metello gessit, peritia rei militaris iis parem fuisse.

Quos etiam ab obsidione Calagurii oppidi depulsos coëgit diversas regiones petere] Varie scribitur, *Calaguris, Calagurris, Calagorris, Calagorra, Calagurra.* V. ad Flor. 3, 22, 9. *Calagurium* nusquam alibi inveni. *Calaguriis* in margine exemplaris Pithoei pro *Calagurris* scriptum fuisse puto DUK. *quod et ab obsidione* Lov. 2. et Boend. *quod et obsidione* Leid. *et ab obsidione* Berg. *et obsidione* Voss. *ab obsidione* Exc. Pithoei. Deinde *Calaguriae oppidi depulsos* ed. Camp. *Calaguriis oppidi depulsos* Exc. Pithoei. *Calagurris oppidi depulsos* Lov. 2. et Boend. *Calaguris oppidi depulsos* Berg. *Calagurris depulsos* Leid. Hinc legendum puto *par fuit, et obsidione Calagurris* (vel *Calaguris*) *depulsos coëgit* etc. *Depulsos obsidione*, omissa praepositione, ex auctoritate codd. ut *depellere sententia, spe, muris.* Liv. 23, 8, 3. *Nec eum aut inclinata in partem alteram civitas, aut patria majestas sententia depulerat.* 31, 25, 11. *Philippus magna spe depul-*

diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompejum Galliam.

sus. 42, 54, 4. *Depulsi muris ad portam tuendam concurrunt.* Recepi deinde *Calagurris*; quia urbem hanc alibi *Calagurium* dictam non memini. Ita tamen vocabatur in cod. Mog. supra apud Liv. 39, 21, 8. ubi vide, quae notantur. Vocabulum *oppidi* non magis hic requiro, quam supra Epit. praec. *Obsessus deinde Cluniae Sertorius:* praesertim quum Calagurris longe notior fuerit, quam Clunia.

Coëgit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompejum Galliam] Contra Plutarch. [in Sertorio p. 579.] ὥστε ἠναγκάσθησαν οἱ στρατηγοὶ διαλυθέντες, ὁ μὲν ἐς Γαλατίαν ἀπελθεῖν, Πομπήϊος δὲ περὶ Βακκαίους διαχειμάσαι. SIG. *coëgerit* Leid. et Berg.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LVIII.

IN LOCUM LIBRI XCIII. T. LIVII.

I. Iisdem consulibus P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, et aliquot urbes piratarum expugnavit. Per Tauri quoque montis in Ciliciam vergentia latera, quo nullus adhuc Romanus exercitus penetraverat, in Isauros itum, Lycaoniae partem: et Isaura, unde genti nomen, obsidione circumdata sunt. His expugnatis, P. Servilius *Isaurici* cognomen accepit, non ex nobilitate locorum, sed magnitudine laboris, victoriam aestimans. Nam omnia circum piratae tenebant: durumque armis genus situs asperitate propemodum erat inexpugnabile: donec imperator, averso flumine, ex quo hostes aquabantur, oppidum ad deditionem siti coëgit. Hic ei limes itinerum eo bello et expeditionum fuit.

U. c. 677. A. C. 75. *P. Servilius Isauros domat.*

II. P. Servilius, Isaura demolitus, Ciliciae Isauriaeque vectigal imposuit, confectaque provincia, multis ubique piratarum, quas ad mare habuerunt, excisis munitionibus, magna gloria decessit. Praecipuum, quacumque incedebat, hominibus gaudium fuerunt spectati in vinculis praedonum duces, quorum unus ille plures, quam omnes ante eum Romani ceperant: fruebaturque vulgus tam avide miseria eorum, quos timuerat, ut non modo ex his oppidis, per quae ducebantur, sed etiam ex finitimis, visendi caussa concurreret. Exercitum tamen in Cilicia retineri placuit, ob suspectam Mithridatis potentiam, et haud dubii

Ciliciaeque vectigal imponit.

Cap. I. Liv. Epit. Oros. 5, 23. Eutrop. l. 6. Strabo, l. 12. p. 568. Flor. 3, 6. Val. Max. 8, 5. Strabo. Frontin. Strat. 3, 7. Oros. Cap. II. Flor. Marcellin. 14, 25. Strabo, ubi supra, et l. 14. p. 671. Cic. in Verr. 5, 14. Sall. Incert. in Orat. Cottae.

U. c. 677. A. C. 75. jam belli apparatus. eum P. Servilius L. Octavio proconsuli quum tradidisset, Romam ad triumphum decessit. Isque haud dubitanter decretus, et magno spectantium studio celebratus est; quod eum P. Servilius captorum oppidorum spoliis, et divite piratarum praeda satis magnifice instruxerat.

Bithyniae rex haeredem populo Romano moritur.

III. Inter haec Bithyniae rex Nicomedes moriens, quamquam ex Nusa sorore Mithridatis prolem susceperat, sive gratiae referendae caussa, sive ut graviorem inimico regi adversarium relinqueret, populum Romanum fecit haeredem. Idcirco praetori Asiae M. Junio Silano (quod is provincias obtinentium Bithyniae proximus erat) negotium datum, ut regnum Nicomedis in provinciam redigeret.

Itemque Libyae rex Apio.

IV. Sub idem tempus Libyci quoque regni pars, quae sub Apione Ptolemaeo fuerat, ejusdem testamento Romanis provinciis accessit. Cyrenaïcam alterius Apionis judicium dudum ad Romanum populum transtulerat: tum altera pars Libyae, quam vocabant aridam, Paraetonio, Chaereclaque, et Neapoli urbibus Romanam ditionem auxit. Id Aegyptii, quorum ad regnum haud dubie illa pertinebant, dissimulare coacti sunt ob intestinas discordias metumque, ne Syriacis regibus ab senatu Romano Aegyptus adjudicaretur. Erant enim Romae adolescentuli duo, quos ex Selene, Ptolemaei filia, Grypus Antiochus sustulerat: qui ad se et matrem suam regnum Aegypti pertinere dicerent. Atque illi quidem, obtentu temporum populi Romani, per senatum agere nihil potuerunt: Libya inter Romanas provincias mansit.

Mithridates bellum sumit.

V. Sed Mithridates, hoc maxime ad nudanda consilia tempus opportunum judicans, quo transiens ad aliud imperium Bithynia, destituta priore domino, nondum fida aut firma novis, nutaret, bellum aperte sumpsit. Et, quia Sertorii celebres fama opes erant, ad societatem cum eo jungendam hortantibus aures praebuit.

Cap. II. Plut. Lucull. c. 11. Eutrop. Val. Max. Claudian. in Eutrop. 1, 217. Cap. III. Sex. Rufus. Cic. in Verr. 1, 21. Arrian. Bithyn. apud Phot. Cap. IV. Sall. Hist. 4. in Epist. Mithrid. Appian. Civil. l. 1. Plut. Caes. c. 3. Liv. Epit. Appian. Eutrop. 6, 9. Marcellin. 22, 43. Sex. Rufus. Cic. in Verr. 4, 27. Cap. V. Liv. Epit. Appian. Mithrid.

VI. Duo enim Lucii, Magius et Fannius, Fimbrianae seditionis reliquiae, qui, sedibus Myndi fixis, apud regem per obsequelam orationis, et maxime odium Sullae, auctoritate et gratia valebant, Asiam vicinosque populos haud dubium auxilii Sertorii ferendi praemium fore dicentes, impulerunt, ut de foedere ineundo legatos in Hispaniam mitteret. Eos Fannius et Magius empta dudum a C. Verre navi Milesia per Italiam ad Sertorium deduxerunt. Senatus, re audita, hostes illos judicavit, inquirendosque mandavit. Sed illi jam in Hispaniam pervenerant.

U. c. 677. A. C. 75. *Legatos ad Sertorium mittit.*

VII. Sertorius, introductis in senatum suum legatis, magnifice de rebus suis locutus, quod jam ab oriente simul et ab occidente facessere negotium adversariis posset, exponere mandata jussit. Illi hanc in sententiam coeperunt: *Rex Mithridates, multas gravesque injurias olim et nuper perpessus a Romanis, qui in urbe sunt, iterum ad arma cogitur. Quae illum caussae moveant, non modo praeclare scitis, nec enim leves aut obscurae sunt, sed, ab iisdem hominibus similia aut atrociora passi, quam nihil ab his aequi, nihil saltem tolerabile possit impetrari, compertum habetis.*

Eorum oratio.

VIII. *Sane cum senatu populoque Romano foedus icit Mithridates: sed multoties id ruptum a Sullanis est, ut et ipsi discedere inde citra perjurii notam liceat. Ceterum inviolabile, sicut hactenus, ita porro quoque, et sanctum servare cupit; sed vobiscum, Q. Sertori, vosque Patres conscripti, quem ille veriorem dignioremque antiqua populi Romani fama senatum judicat, quam qui urbi incubat, non externorum modo regum nationumque, sed suae quoque patriae, tyrannus et hostis.*

Sertorianum senatum pro Romano agnoscunt.

IX. *Sed non magno negotio commune periculum ab utrorumque cervicibus depelli potest, si hinc Sertorius, inde Mithridates totis viribus insurgant. Rex noster, ex quo contra pacem Sullanam est a L. Murena appetitus, superior armis fuit. Eadem audivit de his Romanis, qui Hispanias obtineant: multaque iis locis fama tu, Q. Sertori, vosque, reliqui duces, estis. Igitur mittendam ad vos legationem censuit, ut, qui similibus caussis concitentur, similique virtute et fortuna agant, communi foedere communem salutem tueantur. Utrisque prosperiora erunt omnia, si, juncti consiliis armisque, invicem, ubi*

Et cum hoc foedus servare cupiunt.

Cap. VI. Oros. 6, 2. Cic. in Verr. 1, 34. Sall. Hist. 2, 6. Appian. Plut. Sert. c. 38. Cic. pro Lege Manil. c. 4. et pro Mur. c. 15. et in Verr. 1, 34. Cap. VII. Ascon. in Verr. 1, 34. Appian. Cap. IX. Plut. Sertor.

U. c. 677. A. C. 75. *utilitas desideret, juvamus, et juvamur, quam si diversi divisique sua quisque negotia seorsim curent.*

X. Postquam e Curia dimissi legati sunt, inter praesentes diu de tantis rebus consultatum est. Plerique minime dubitandum censebant, quin oblata, quibus quum maxime esset opus, acciperentur; nihil e contra, nisi quod alioquin alienum esset, tradituri. Quippe legati, navium et pecuniarum magnam vim polliciti, Asiam et vicina regna Mithridati concedi postulaverant.

Sertorii sententia.

XI. At Sertorius, insigni documento maximi spiritus, *Siquidem Bithyniam et Cappadociam, parere regibus adsuetas, Mithridates subegisset, facile passurum* dixit: *sed Asiam, justissimo titulo possessam Romanis, postea receptam a C. Fimbria, tum pace Sullana dimissam ab rege, non esse concessurum. Se enim Romanos esse, nec cum patria, sed, a quibus oppressa sit, tyrannis, bellum gerere. omnia ergo consilia ad augendam magis ornandamque rempublicam, quam ad vexandam, esse referenda. Optandam plane viro forti victoriam, si honestis parari rationibus possit; sed cum turpitudine ne salutem quidem expetendam.*

Ad augmentum reipub. dirigentis omnia.

Sed et privatim sic melius consuli docentis.

XII. *Praeterea ne utilem quidem eam sententiam fore. Infinitos enim per Italiam et in urbe cives Romanos agere, qui bis partibus occulte faveant, ad omnem Fortunae nutum animos et consilia monstraturi. Sed optimum quemque non aliis caussis moveri, quam quod bonos egregiosque viros, et reipublicae studiosos, per vim et injuriam ab adversa factione pulsos arbitrentur. Minime igitur dubitandum, quin, si ne odii quidem inimicorum, et tantis commodis suis, ad pactionem populo Romano indignam adduci potuisse intellexerint, major apud omnes existimatio sua sit futura, favorque in partes proniores. Sed nec eo animo aut successu bellum geri, ut desperandum sit, quin, sive victis adversariis, sive ad aequas conditiones adactis, patriam cum pristina dignitate sint recepturi. Aequum igitur esse, ut, quem locum spe et virtute repetant, eo eius dignos animos et habeant, et habere demonstrent.*

XIII. Haec renunciata Mithridatem miraculo perculerunt: ajuntque velut attonitum dixisse ad amicos; *Quid igitur sedens in Romana curia Sertorius imperat, qui nunc exsul, et ad angulum Europae submotus, fines regno meo ponit, et Asiam tentantibus arma minatur?* Accetamen, quod dabatur, et foedus jurejurando sancitum in has leges: *Cappadociam et Bithyniam, quibus finibus*

Leges foederis inter Sertorium et

Cap. XIII. Flor. 3, 22. Plut.

riobarzanes et Nicomedes habuissent, Mithridates rex haberet: Sertorius regi ducem cum certo militum numero; Sertorio talentum tria millia et naves quadraginta rex mitteret. Nam apud Dianium, quae Massiliensium colonia inter Carthaginem et Sucronem a Dianae templo nomen traxerat, stationem navium arcemque maritimarum expeditionum Sertorius habebat: quia locus munitus excelsusque, ad longissima spatia patente prospectu, multo commodissimus ad excursiones et latrociniis similiores conatus erat. Utrimque fides pactorum intemerata stetit; et, quae convenerat, in tempore missa. U. c. 677. A. C. 75. *Mithridatem.*

XIV. His ita perfectis, Mithridates, Romanarum virium haud rudis, nec ullam postea veniam sperans, quamquam simulatione Bosporani belli maximas classes copiasque dudum confecerat, totus in apparatibus esse: reliquum ejus aestatis et hiemem omnem caedenda materia, fabricandisque navibus et armis, ad Romanum maxime morem, impendere: denique nihil ad instruendum immane bellum consilii, laboris, industriae praetermittere. *Mithridatis apparatus.*

XV. Hac cura bis millena millia medimnorum frumenti per maritima horrea distributa sunt: auxilia, praeter veterem exercitum, ex Chalybum, Armeniorum, Scytharum, Taurorumque gentibus, et fortissimis omnium Bastarnis, atque Thracibus, centum quadraginta millia peditum, sedecim equitum, coacta. Hos magnus praeterea calonum lixarumque numerus, et ad vias muniendas agrestium, sequebatur. Triremes quadringentae aderant, praeter minora navigia: omnia non ad vanam speciem, ut prius, sed ad firmitudinem usumque, fabrefacta. currus falcati centum et viginti, rerumque ceterarum respondens tantis conatibus apparatio. *Gentes variae inter auxilia Mithridatis.*

XVI. Haec quia clam esse non poterant, senatus ambos consules (L. Licinius L. F. L. N. Lucullus, M. Aurelius Cotta jam inierant) ad id bellum mittendos censuit: ita ut alter Mithridatem persequeretur, alteri Asia daretur ad tuendam Bithyniam. Bellum Lucullo evenit, Cottae Bithynia: quamquam a principio U. c. 678. A. C. 74. L. Licinio, M. Aurelio Coss. *Ambo consules ad bellum Mithridati.*

Cap. XIII. Cic. pro Lege Man. c. 8. Plut. Strabo, l. 3. p. 159. Cap. XIV. Appian. Mithrid. Cic. pro Lege Manil. Memnon. apud Phot. Appian. Plut. Lucull. c. 14. Cap. Appian. Memnon. Plut. Memnon. Cap. XVI. Cic. pro . c. 15. Plut. Lucull. c. 9.

U. c. 678. A. C. 74. *cum mittuntur.*

anni aliae consulibus decretae provinciae fuerant. Sed Lucullus, haud magnam in Cisalpina Gallia materiam gloriae sperans, cupiditate Mithridatici belli flagrabat. Igitur, audita morte L. Octavii, qui Ciliciae praefuerat, cum P. Cethego, cujus tum ob maximas in senatu opes patrocinium a plerisque expetebatur, ex acerrimis simultatibus subito in gratiam rediit, ut provinciam Ciliciam adipisceretur. quam ubi nactus est, nemo dubitabat, quin illi committendum bellum Mithridaticum foret. Decretae sunt illi legiones, quae jam erant in Asia, quatuor: quintam ut in Italia conscriberet, permissum.

M. Antonio totius orae maritimae imperium datur.

XVII. Contra piratarum audaciam M. Antonio praetori, M. Cotta consule et patris M. Antonii memoria suffragante, qui bellum in Cilicia feliciter administraverat, P. Cethegi factio totius orae maritimae, qua Romani populi jus esset, curationem cum infinito imperio dedit: quale postea piratico bello Cn. Pompejus adeptus est.

XVIII. Jam Mithridates primo vere Jovi Bellipotenti patrio more fecerat: deinde, quo tempore primum nova classis in mare deducta est, Neptuno quadrigas albas immolaverat, corporibus profundo mersis. His religionibus coepto bello, Diophantus purpuratus cum exercitu in Cappadociam erat praemissus, praesidiis firmaturus urbes, et obviam iturus Lucullo, si ad Pontum accederet. Ceteras copias, centum et quinquaginta millia peditum, equitum duodecim, rex ipse per Timonitidem (Paphlagoniae ea regio est) Galatiamque nono die in Bithyniam duxit.

Heraclea Mithridatici juris facta.

XIX. Sub id tempus Heraclea his de caussis Mithridatici juris facta est. Classis regia praeternavigans quum urbe non reciperetur, forum rerum venalium praeberi postulavit. Ea re impetrata, quum, ut fit, ubi nullus hostilis animi metus est, Heracleotae mult ad naves venissent, praefectus classis Archelaus Sile num atque Satyrum e primoribus civitatis comprehen dit: neque antea dimisit, quam ad redimendos eo naves quinque traderentur. Is eventus quum talis es set, ut potius ex compacto, quam casu, res gesta vi

Cap. XVI. Appian. Cap. XVII. Cic. in Verr. 2, 4. et il Ascon. Supra, 68, 1. Sall. Incert. 29. Cap. XVIII. Vell. 31. Appian. Sidon. Carm. 22, v. 158. Memnon. Ptolem. 5, Plut. Memnon.

deretur; Romani, publicanis Heracleam missis, vectigal, ut ex aliis circa urbibus, exigere coeperunt. Id vulgus, et si qui alii propensioribus in regem animis erant, principium servitutis interpretati, quum legatos iis de rebus ad senatum mitti praestitisset, audacissimi cujusdam hominis oratione accensi, publicanos ita privarunt luce, ut ne genus quidem mortis, quo perierunt, sit cognitum. U. c. 678. A. C. 74.

Publicani ab Heracleotis luce privantur.

XX. Sed illud odium Romani nominis, praeter licentiam praesidiarii militis, et foeneratorum improbitas, et eorum, qui publicum exercebant, injuriae, ita vulgaverant, ut passim venienti Mithridati portae panderentur. Praesertim quia M. Varius, senator ex proscriptis, missus a Q. Sertorio, cum L. Magio et L. Fannio, consilii caussa additis, ex Hispania ad regem venerat. Vario, quod proconsulari potestate ab Sertoriano senatu erat ornatus, fasces securesque praeferebantur: eique primas concedente Mithridate, a quibus recipiebantur urbibus, aliis libertatem, aliis immunitatem Sertorii nomine concedebat. Quo tempore C. Caesar tanti mox futuri viri specimen memoria dignum edidit. cujus de adolescentia, quando pleramque hujus historiae partem paullo post facturus est, quaedam cognosci pretium operae fuerit.

M. Varius a Sertorio pro consule ad Mithridatem mittitur.

XXI. Igitur C. Julius C. F. C. N. Caesar, annos fere duodeviginti natus, quum in matrimonio haberet Cinnae quater consulis filiam, nullo modo compelli a dictatore Sulla potuit, ut eam dimitteret: quum M. Piso consularis Anniam, quod Cinnae uxor fuerat, in gratiam victoris repudiaret. Igitur et sacerdotio, et uxoris dote, et gentilitiis haereditatibus mulctatus, ad necem quaerebatur: ut, dissimulato habitu nocte elapsus urbe, profectusque in Sabinos, singulas prope noctes, quamquam morbo quartanae aggravante, latebras mutare cogeretur. Sic quoque deprehensus a Cornelio Phagita, Sullae liberto, vix, praemio dato, evasit. Postremo per virgines Vestales, et Mam. Aemilium, et Aurelium Cottam, propinquos et adfines suos, veniam impetravit: diu quidem repugnante Sulla, et, ut erat sagacissimus ingeniorum conjector, *multos ei puero inesse Marios* testante.

C. Caesaris adolescentia.

Sullae judicium de Caesare.

Cap. XX. Plut. Lucull. Appian. Oros. Cic. in Verr. 1, 34. Plut. Sertor. Cap. XXI. Vell. 2, 41. Sueton. Caes. c. 1. Plut. Caes. Vell. Sueton. Sueton. et Plut. Sueton. Caes. c. 74. Idem ibid. c. 1. Plut. Sueton.

U. c. 678. A. C. 74.

XXII. Post merita deinde sub Thermo et Isaurico stipendia, quum Romam esset reversus, Cornelium Dolabellam consularem, qui ex Macedonia paullo ante triumphaverat, summo favore populi, tertio et vicesimo aetatis anno postulavit, magnamque ingenii et facundiae laudem adeptus est; quamquam Dolabella reus, Q. Hortensio, C. Cotta defendentibus, absolveretur: querente Caesare, *extorqueri sibi caussam optimam C. Cottae patrocinio.* Nam haerebat criminibus repetundarum Dolabella, frequentesque civitates Graeciae testimonium in eum dixerant.

Caesar a piratis captus.

XXIII. Ergo, declinandae invidiae caussa, simul ut clarissimo dicendi magistro daret operam, Rhodum ad Apollonium Mollonis profecturus, apud Pharmacusam insulam (hodie *Parmojam* vocant) a piratis captus est. Inter hos, cum uno medico et cubiculariis duobus, per dies ferme quadraginta (reliquos enim comites servosque ad pecunias, quibus redimeretur, expediendas dimiserat) heri magis, quam captivi, animo ac dignatione versatur. Ne suspicionem ullam praedonibus daret, si quid ex solito mutasset, calceatus cinctusque noctes ac dies permansit. Viginti talenta piratae postulaverant: ille deridens ut ignaros, quem tenerent, quinquaginta spopondit daturum.

Vicissim illos capit.

XXIV. Quae summa postquam ex publica civitatum pecunia confecta est, expositus in litore, obsidibus, quos civitatibus piratae dederant, redditis, Miletum, quae proxime aberat, properavit, ibique contracta classe tumultuaria, privatus, post paucas horas, quam erat liberatus, stantes adhuc ad eamdem insulam praedones noctu adortus, aliquot naves, mersis aliis et fugata reliqua classe, cepit. Deinde festinans ad proconsulem Asiae Junium, qui tum erat in Bithynia, rem gestam exposuit, utque ille auctor supplicii de captivis sumendi fieret, postulavit. Atque, illo venditurum captivos respondente, Pergamum, ubi piratas in custodiam dederat, incredibili celeritate revectus, priusquam ullae supervenire proconsulis epistolae possent, adfecit eo supplicio, quod saepe minatus per jocum fuerat. Sed, ne a lenitate naturae suae desciscere

Cap. XXII. Cic. in Pis. c. 19. Vell. 2, 43. Auct. de caussis corr. Eloq. c. 34. Pigh. Ann. 676. Cic. Brut. c. 92. Val. Max. 8, 9. 3. Cap. XXIII. Plut. Sueton. Plut. Val. Max. 6, 9. Vell. 2, 41. Sueton. Vell. Polyaen. Strat. l. 8. Plut. Cap. XXIV. Vell. et Plut. Sueton. Caes. c. 74.

ret, et tamen impleret dictorum fidem, jugulari prius, deinde crucibus suffigi jussit. U. c. 678. A. C. 74.

XXV. Hic igitur Caesar, quum, Mithridate provincias Romanas vastante, res ad defectionem spectaret, ab Rhodo, quo pertenderat, in Asiam profectus est: contractisque sociorum auxiliis, et praefecto regis provincia expulso, dubios ac deliberantes civitatum animos in fide continuit. Idem pari studio, auctoritate majore Lucullus consul faciebat, qui, rebus urbanis utcumque compositis, interea in provinciam venerat. Nam ob delectum erat moratus et tribunitia jurgia, quum L. Quinctio, quotidie seditiosas conciones habenti, summa vi resisteret: donec, insolentia hominis mitibus remediis, docendo mulcendoque, cohibita, cum una legione pervenit in Asiam: adjunctisque legionibus quatuor, peditum Romanorum triginta millia, equites bis mille quingentos ducens, jam in Phrygiam usque processerat: quum, adventu ejus cognito, M. Cotta, ne cum collega debellati regis laudem communicaret, ad Chalcedonem cum Mithridate confligere maturavit. *L. Lucullus consul in Asiam venit.*

XXVI. Neque tamen ipse, ut erat bellicorum certaminum rudis, prodire ausus, Nudum praefectum classis cum parte exercitus emisit. Qui, licet munitissimam campi partem occupasset, a Mithridate pulsus, per multa transcensu difficilia septa Chalcedonem aegre refugit: multis in ipsa porta, dum conferti perrumpunt, telis barbarorum cadentibus. Metu deinde clausis portis, Nudus et alii ducum funibus subducti sunt: reliquum vulgus, quum hinc ad suos, inde ad hostem supplices manus tenderet, nec apud illos auxilio, nec apud hunc misericordia inventa, trucidatum est. Millia quinque trecentos, et in his L. Manlium senatorem, ea clades absumpsit. de victoribus, Bastarnarum, quorum singularis eo proelio virtus fuit, triginta; ceterorum ad septingentos ceciderunt. *Mithridates Cottam vincit pedestri proelio.*

XXVII. Mithridates, utendum fortuna, donec propitia esset, ratus, eodem die classem ad portum Chalcedonis adduxit: perruptaque catena ferrea, quam consul praetendi jusserat, proelium navale commisit, *Atque iterum maritimo.*

Cap. XXV. Sueton. Caes. c. 4. Plut. Lucull. c. 13. Sall. Hist. 3. in Orat. Macri. Cic. pro Cluent. c. 49. Appian. Mithrid. Plut. Cap. XXVI. Appian. Memnon. Appian. Memnon. Cap. XXVII. Appian.

U. c. 678. A. C. 74. eo successu, ut, hostium octo fere millibus interemtis, quatuor naves injecto igne consumeret; reliquas sexaginta, cum virorum quatuor millibus quingentis captas, remulco traheret ad sua praesidia: neque Nudo ultra, neque Cotta obsistentibus, qui muris oppidi se inclusserant. Haec duplex terra marique victoria vehementer et opes Mithridatis, et nomen auxit.

Lucullus, contra aliorum sententiam, Mithridatem quaerit.

XXVIII. Eo tempore circa Sangarium amnem castra Lucullus habebat. Is igitur, cognita collegae calamitate, perculsum exercitum cohortatus, protinus versus Chalcedonem castra movit. Erat apud eum Archelaus, qui nuper ad Murenam a Mithridate transfugerat, monebatque, ut, omisso rege, protinus in Pontum irrumperet: *ad conspectum ejus omnia defectura.* In hanc sententiam proni milites erant, *non auctori tantum perniciosam fuisse Cottae temeritatem* frementes, *sed sibi quoque detrimento fore, si, omissa, quam Fortuna patefecisset, tantarum rerum occasione, ad illum obsidione liberandum eatur.* Igitur, pro concione praefatus, *unum se servare civem malle, quam omnibus hostium fortunis potiri;* negavit, *se timidiorem venatoribus esse, ut, feris omissis, ad earum vacua lustra pergat.* His dictis, pronunciari iter in posterum diem jussit.

Sertorius Metellum et Pompejum macerat.

XXIX. Hoc rerum ad orientem statu, Q. Metellus, Cn. Pompejus in Hispania, ubi majoris firmamenti roborisque partes erant, civitates aliquot in potestatem redegerunt. Magna tamen pugna nulla pugnata est, Sertorio vitante, et mora miseriisque omnibus atterente hostem. nam et commeatum praecidebat ei, litora piraticis navigiis, agros populationibus infestando: et ad omnia quantumlibet distantia promptus ac velox, curis, inopia, periculo adversarios macerabat: donec obsidione Calaguritana depulsos, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompejum Galliam, diversos petere coëgit, ne conjuncti rerum necessariarum penuria premerentur.

Pompeji epistola ad senatum.

XXX. Magnum ea res terrorem Romae concivit vulgoque jam venturus in Italiam cum exercitu Sertorius

Cap. XXVII. Memnon. Appian. Sall. Hist. 4. in Ep. Mithrid. Cap. XXVIII. Cic. pro Mur. c. 15. Plut. Liv. Epit. Memnon. Plut. Cap. XXIX. Liv. Epit. Cic. pro Lege Manil. c. 4. Appian. Civil. l. 1. Plut. Sertor. et Pomp. Liv. Epit. Cic. pro Font. c. 3. Plut. Pomp. et Sertor.

rius putabatur, maxime postquam Cn. Pompeji adlatae literae sunt, in hanc sententiam scriptae: *Si adversus vos, patriamque, et Deos Penates, totiens labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi, et vobis salus quaesita est: nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, Patres conscripti; quem contra aetatem projectum ad bellum saevissimum, cum exercitu optime meriso, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte, confecistis. Hac enim spe populus Romanus liberos suos ad bellum misit? haec sunt praemia pro vulneribus, et totiens ob rempublicam fuso sanguine? Fessus scribundo, mittundoque legatos, omnes opes et spes privatas meas consumpsi: quum interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. Per Deos immortales! utrum censetis me vicem aerarii praestare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse?* U. c. 678. A. C. 74.

XXXI. *Equidem fateor, me ad hoc bellum majore studio, quam consilio, profectum; quippe qui, nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi; hostesque, in cervicibus jam Italiae agentes, ab Alpibus in Hispaniam submovi: per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefeci: recepi Galliam, Pyrenaeum, Lacetaniam, Ilergetes: et primum impetum Sertorii victoris, novis quidem militibus, et multo paucioribus, sustinui: hiemenque in castris inter saevissimos hostes, non per oppida, neque ex ambitione mea, egi. Quid dein proelia, aut expeditiones hibernas, oppida exscisa aut recepta enumerem? quando res plus valent, quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta, et proelium apud flumen Durium, et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti, satis clara vobis sunt. Pro quis, o grati Patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par conditio est. namque stipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire potest.* Sua gesta exprobrat.

XXXII. *Quod ego vos moneo quaesoque, ut animadvertatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus: praeter maritimas civitates, quae ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit: et nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem, consumpsi. Reliqui vos estis: qui nisi subvenitis, invito et praedicente me, exercitus hic,*

Cap. XXX. Sall. Hist. 3.

U. c. 678. A. C. 74. *et cum eo omne bellum Hispaniae, in Italiam transgrediatur.* Haec epistola pervenerat Romam, quum adhuc in urbe Lucullus consul ageret. Idcirco, negotio propere ad senatum relato, quum et res cogeret, et Lucullus, metu ne Pompejus ad urbem veniens Mithridaticum sibi bellum praeriperet, summo studio adniteretur, stipendium ei missum est.

Lucullo adnitente, stipendium accipit.

Cap. XXXII. Plut. Lucull. et Pomp.

EPITOME
LIBRI NONAGESIMI QUARTI.

L. Licinius Lucullus consul adversus Mithridatem equestribus proeliis feliciter pugnavit, et expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit. Dejotarus, Gallograeciae tetrarches, praefectos Mithridatis, bellum in Phrygia moventes, cecidit. Praeterea res a Cn. Pompejo in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

Lucullus consul adversus Mithridatem] Voss. *P. Licinius consul.* Gud. *A. Licinius Lucullus consul.* Min. *Publius Lucius Lucullus consul.* Lege: *L. Licinius Lucullus consul.* Mox omnes tres: *res a Cn. Pompejo.* J. FR. GRON. *Lucullus consul* primus dedit Dan. Heinsius; quum priores fere omnes cum Lov. 2. Exc. Pithoei, et Norv. *L. Lucullus consul* exhibuissent. *C. Lucullus consul* praefert ed. Rom. princeps. *Publius Lucullus* Boend. *P. Lucius Lucullus consul* ed. Camp. *P. Licinius Lucullus consul* Leid. et Berg. Pro quo recte Gronov. *L. Licinius Lucullus* emendat. Mox *expeditiones aliquot* Leid. Voss. Exc. Pithoei, Norv. et edd. vett. pro quo Gronov. anno 1665. edidit *aliquot expeditiones*, probantibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Insuper *pugnas* Boend.

Dejotarus, Gallograciae tetrarches, praefectus Mithridatis] Vel adversantibus veteribus libris lego *praefectos Mithridatis.* Nam Dejotarus stetit pro Romanis, non pro Mithridate. Id autem aperte Appianus in Mithrid. [p. 222] Τῷ δ' ἀντῷ χρόνῳ Φρυγίαν Εὔμαχος Μιθριδάτου στρατηγὸς ἐπιτρέχων ἔκτεινε Ῥωμαίων πολλοὺς μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν, Πασίδας τε καὶ Ἰσαύρους ὑπήγετο, καὶ Κιλικίαν, μέχρι τῶν τις Γαλατικῶν τετραρχῶν Δηϊόταρος ἐπιπολάζοντα ἀυτὸν συνεδίωξε, καὶ πολλοὺς διέφθειρε. SIGON. *thethrarcha*, Latina terminatione, Boend. *tetrarcha* ed. Camp. Sed *tetrarcas* Leid. *tetrarches* reliqui scripti; qua forma etiam extulit auctor B. Alex. c. 67. Antiquitus Gallograeci constabant ex tribus diversis populis, quorum quisque divisus erat in quatuor tetrarchias, ita ut universae genti praefuerint duodecim tetrarchae, qui deinde ad tres, postea ad duos redacti sunt, donec tandem unus Dejotarus iis praeesse inceperit. Vide Strab. 12, 566. *praefectus* in sola tantum ed. Basil. anni 1554. sed, ut videtur, errore operarum, inveni, quod idem etiam Exc. Pithoei servare Hearnius auctor est. *praefectos* praeferunt non tantum reliqui typis descripti, sed etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Norv. Mox *occidit* Leid. Boend. et ed. Camp. V. ad 36, 35, 6.

Praeterea res a Cn. Pompejo in Hispania] Praenomen Pompeji, quod in omnibus prioribus edd. deerat, fide trium codd. addidit Gronov. supra ad initium hujus Epitomes; quibus consentiunt Leid. Berg. et Lov. 2. Insuper male *in Hispaniam* Berg. et Norv.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LIX.

IN LOCUM LIBRI XCIV. T. LIVII.

U. c. 678. A. C. 74.

Proelium inter Lucullum et Mithridaticos prodigio diremtum.

I. Interea L. Lucullus consul, quum ad hostem pervenisset, eumque succinctum tantis copiis videret, proelio congredi minime tutum ratus, intra munimenta se tenebat. Sed, lacessente apud Otryas (Phrygiae locus est) M. Vario, qui missis ab Sertorio copiis praeerat, eduxit suos, aciemque ordinavit. Quum in eo essent, ut concurreretur, coelum, absque ullo, qui animadverti potuerit, conatu diruptum, inter duas acies ingentem flammae molem immisit, colore argenti, forma dolii similem. Sic eo die, territis prodigio utrisque, a pugnando temperatum; Lucullusque ad priora consilia ducendi belli rediit.

Lucullus Mithridatem fame consumere statuit.

II. Quum enim, tot hominum millia in conspectu hostis alere, non in longum facile fore Mithridati crederet; quo certius exploraret, quantum ei copiarum esset, captivos aliquot, seorsim unumquemque, jussit adduci. Ex quibus percunctatus, quot quisque contubernales in castris, cum quanto cibariorum modo, reliquisset, ita rationem iniit, ut intra triduum aut quatriduum fame laboraturos existimaret. Idcirco, abundantem annonae copiam in sua castra convehens, satis habebat, si hostem annona prohiberet. Per hanc occasionem quum equestria proelia frequentia fierent, iisque superior Romanus esset; milites avidi pugnae, nihilque suae virtuti invium jactantes, in hostem uti ducerentur, postulabant. Recusante Lucullo, atque suam occasionem jubente exspectari, prope seditionem ventum, vel injussu imperatoris pugnaturos clamantibus: donec accommodata tempori oratione mitigati quieverunt. Neque multo post imperatorii consilii salubritas apparuit, quum penuria commeatuum

Cap. I. Plut. Lucull. Cap. II. Liv. Epit.

movere castra Mithridates cogeretur. Nam ille, quo Lucullum falleret, coenatos milites statim abduxit, noctem obscuram atque nimbosam nactus, et oriente sole in Adrastiae monte, qui Cyzico urbi est oppositus, consedit. U. c. 678. A. C. 74. *Mithridates ad Cyzicum ponit castra.*

III. Lucullus, composito agmine ita insequutus, ut ne pugnandi necessitas imponi invito posset, circa Thraciam, quam vocant, Comen castra communivit. Cognito deinde ex captivis, regi circiter trecenta hominum millia non ante paratis copiis, sed ex quotidiana subvectione maritima et frumentationibus, ali, futura animo prospiciens, non continuit laetitiam; sed, opere castrorum perfecto, advocavit concionem, atque apud circumfusos ita orsus est.

IV. *Omnium gentium atque populorum institutis, qui usique consensus a recta ratione numquam discedit, ita videmus observari, ut in re bellica multis hominum millibus unus plerumque imperator praesit. multas enim manus, sed unum consilium, res militaris desiderat. quemadmodum et in animantium corporibus compluria membra capitis unius imperio reguntur. Atque hoc non ideo tantum est utile, ne, si plurium sit arbitrium, pestilentissima rebus gerundis dissensio nascatur; sed ut, quod deliberatum est, donec agendi tempus advenerit, occultius sit et tectius. Atque haec illa res est, quae plurimam in imperatore patientiam poscit; ut constanter maneat in recte consultis, neque hostium ludibriis, neque suorum sermonibus inde se patiatur dimoveri.* *Luculli concio ad milites.*

V. *Nec enim latere me potuit, quae nuper ex civilibus bellis prava consuetudo plurimorum etiam ex vobis corruperit mentes, ut, quum milites imperatori operam navare debeant, imperatores ipsi esse velint, et, quid de summa rerum judicandum sit, decernere. Sed hos ego partes meas mihi relinquere, suas curare jubeo. simul autem omnibus lubens laetusque nuncio, nunc venisse tempus intelligendi, quo consilio pugnare volentium sit a me cohibitus impetus. Meis enim consiliis eo adactus hostis est, ut hunc in locum se demiserit, ubi necessum est, eum paullo post rerum necessariarum penuria copias omnes amittere.* *Suis consiliis paratam ostendit adesse victoriam.*

VI. *Dispicite igitur, quanto plus ego, quam vos omnes, providerim: quantoque melius consuluerim communibus rebus. Vobis congredi cum hoste collatis signis placuit. quod si esset factum, aut fusi essemus; aut magno cum sudore aequis pu-*

Cap. II. Plut. Lucull. Strabo, l. 12. p. 575. Cap. III. Plut. Appian. Mithrid. Plut.

U. c. 678. A. C. 74.

gnassemus viribus; aut, si faventissimi Dii fuissent, multo emptam sanguine obtinuissemus victoriam. At nunc prorsus incruentam reportabimus: idque fide mea spondeo: vos estote promissi memores.

Locum opportunum occupat.

VII. Quum deinde, montem magnum supra regis castra opportunum ad omnia conspicatus, occupare locum conaretur; neque, repellente praesidio, quod hortatu Taxilis aliorumque amicorum Mithridates imposuerat, potiri posset; inopinato Fortunae munere, quod viribus obtinere nequiverat, est consequutus. L. Magius, Sertorianis rebus diffisus, maxime quod occisum ab amicis ducem acceperat, clam missis ad Lucullum nunciis, reditum orabat: *si ejus rei fides data esset, non sibi defore rationem, qua regi noceret.* Annuente Lucullo, regi persuadet, *nihil referre, quo loco castra hostis metetur. Fimbrianas legiones, quae essent apud Lucullum, propediem ad se transituras. ita sine proeliis et sanguine victoriam penes regem fore.* Grata erant, quae dicebantur, nec veri specie carebant, nota Fimbriani militis perfidia, et crebris adversum duces seditionibus. Idcirco, negligente custodiam locorum Mithridate, Romani, angustiis sine incommodo superatis, castra in monte posuerunt.

Prodente Mithridatem L. Magio.

Inde fiunt Mithridatis res perquam impeditae.

VIII. Magna ea et multiplex utilitas Lucullo fuit. ipsi commeatus sine metu subvehebantur; rex toto propemodum agro, fluminibusque omnibus, et lacu Dascylite exclusus, perquam angusta frumentatione utebatur. Neque discessuro satis patens exitus erat, fossas multis locis objiciente Lucullo: neque Lucullum ob locorum opportunitatem vi poterat depellere: et, jam inclinante tempore anni, reliquam annonae spem interclusum tempestatibus mare sollicitabat. Idcirco duobus imperatoribus varii animorum habitus erant: Lucullus admonebat amicos, *tempus adesse praestandi, quae promiserant;* Mithridates, errore, postquam corrigi jam nequibat, intellecto, multa et diversa secum agitabat.

Quas expedire conatur oppugnatione Cyzici.

IX. Tandem, licet cum tanta militum multitudine vel per medios hostes erumpi posse videretur, oppugnandae urbis consilium sedit. Fimbrianorum transitionem, cujus facta spes, subito discessu impedire in-

Cap. VI. Appian. Cap. VII. Ascon. in Verr. 1, 34. Appian. Plut. Lucull. c. 13. Appian. Cap. VIII. Plut. Appian. Oros. 6, 2. Appian.

consultum putabat. Et, quia Chalcedonensi pugna Cyziceni decem naves cum tribus hominum millibus amiserant, tanto facilior erat futura urbis expugnatio. pretium autem operae, si Cyzicus capta esset, ingens ostendebatur: et, hac velut janua Asiae perfracta, futurum erat, ut victori tota provincia pateret. Accedebat, quod ita omnia ad urbem clausa itinera erant, ut oppidani, licet in conspectu haberent Luculli castra, tamen, ubi esset, ignorarent. U. c. 678. A. C. 74.

X. Quippe Cyziceni in cognomine insula ad Propontidem colebant; et Mithridates, milite abundans, decem a terra castris oppidum adsidebat: et ad fretum, quo a continenti dirimitur, utroque latere naves quadringentas admoverat: et barbari, Romana castra digito monstrantes, obsessos horribili mendacio terrebant, Armeniorum Medorumque missas a Tigrane copias ibi consedisse dictitantes. Non tamen desponderunt animum, quamquam summa contentione omnibusque viribus oppugnarentur. Etenim Mithridates, capto suburbio, navalia duplici muro obsepserat: et, reliqua urbe circumvallata, magnos excitabat aggeres, aliaque opera multa studiose faciebat; turres et testudines, et insignem ante alias machinam, centum cubitorum helepolin, e qua turris alia tollebatur, catapultis instructa, quae telorum et lapidum quaquaversum velut imbrem spargerent, Niconidae Thessali opus. Ad portus porro duae quinqueremes, inter se firmiter devinctae, aliam turrim sustinebant, ita fabricatam, ut, ubi muro admota esset, pons ex ea demitti subito in moenia posset. *Cyziceni terra marique clausi.*

XI. His omnibus paratis, antequam vim tentaret, captivos Cyzicenorum omnes in conspectum suorum adduxit, sperans illorum caritate lacrimisque moveri ad deditionem oppidanos posse. Sed illos, multa nequidquam obtestantes, Pisistratus, Cyzicenorum praetor, *abstinere nihil profuturis precibus* jussit; *et, postquam semel in potestatem hostium venissent, fortiter ferre calamitatem.* *Mithridatis strategema.*

XII. Sic exploso commento regis, ad seriam dimicationem ventum: quia progressa in navibus turris, ponte moenibus injecto, quatuor armatos muris im- *Cyziceni strenue se defendunt.*

Cap. IX. Plut. Lucull. c. 10. Cic. pro Mur. c. 15. Plut. Cap. X. Strabo. Plut. Strabo. Plut. Strabo. Appian. Plut. Appian. Cap. XI. Frontin. Strat. 4, 5. 21. Appian.

U. c. 678. A. C. 74. posuerat. Id spectaculum ita perterrefecit obsessos, ut, si continuo sequuti plures fuissent, in magno periculo res Cyzicena fuerit. Sed, dum etiam in turri trepidatur, propugnatores, resumptis animis, quatuor illos detrudunt: navesque pice perfusas, et igni appetitas, inhibere retro cogunt, et se discrimini subducere. Sic maritima oppugnatio in irritum cessit. Sed a terra triplex eadem die conatus factus, machinaeque admotae, gnaviter ad defensionem concurrentibus oppidanis, uti quoque loco necessitas postulabat. Arietes aut libramentis saxorum injectis praefringebantur, aut laqueis eorum avertebantur ictus, aut objectis e vimine cratibus lana repletis eludebantur. Contra ignita tela aceti et aquarum copia praesto erat. cetera missilia, vestibus centonibusque oppansis impetu fracto, cadebant irrita. nihil denique, quod humana suggerere aut exsequi industria possit, a Cyzicenis omittebatur. Neque tamen prohiberi potuit, ne pars moenium succensa sub vesperam concideret. Sed hostis, ne per ruinas irrumperet, ardore incendii vetabatur. idcirco sequenti nocte obsessi, alio munimento excitato, clauserunt locum.

Proserpina adjuvat Cyzicenos.

XIII. Mithridates, vanae oppugnationis dolore aeger, varie se torquebat, non solum virtute obsessorum, sed etiam casibus territus, quos plerique ad faventia Cyzicenis numina referebant. Aristagoras enim, qui in summo magistratu populi agebat, Proserpinam adstitisse sibi in somniis adserebat, dicentem, *adversus Ponticos tubicines Africum se tibicinem comparasse.* Mirantibus hanc vocem Cyzicenis, sub primam lucem intumescere mare, ventisque sibilantibus machinae stridere coeperunt. mox incredibili vehementia coortus Auster turres hostium, inter quas et illam insignem centum cubitorum altitudine, momento disjecit; et machinas reliquas ita laceravit, ut inutiles redderentur. Iliensium quoque multis apparuisse per quietem Minervae speciem ferunt, multo sudore manantis, ostensaque pepli parte disrupta, dicentis, *modo se ab ope Cyzicenis ferenda reverti.*

Et Minerva.

XIV. Aliud deinde miraculum captas superstitione mentes, pro diversarum partium studiis, spe aut metu replevit. Cyziceni praecipua religione Proserpi-

Cap. XIII. Jul. Obseq. Plut. Appian. Plut. Cap. XIV. Appian.

nam venerabantur; cui et ab Jove dotis nomine datam insulam adferebant. Ei quotannis vacca nigra faciebant: et dies solennis sacrificii aderat, nec destinata Deae hostia suppetebat; sed cum cetero Cyzicenorum armento trans fretum in pascuis, et in potestate hostium erat. U. c. 678. A. C. 74.

XV. Idcirco, ut humanis ingeniis proclive est, cultus divini magisterium sibi sumere, Messeniorum atque Lacedaemoniorum exemplo, qui, centum tripodas statuere jussi, e ligno aut luto fecerant, pastam e farina formarunt in bovis figuram. jamque admovebant aris, quum per mediam urbem cursu fertur vera victima; quae, relicto armento, sola per hostium classem de montibus adnataverat, ne claustris quidem, quae ad angustias portus exstructa erant, morantibus, et sub aquis emensо, quod illa obtinebant, spatio. *Victima Proserpinae sponte accurrit ad aram.*

XVI. Sacrificio summa Cyzicenorum laetitia ob praesentem, ut interpretabantur, numinis favorem peracto; regem amici, ne cum Diis pugnare pergeret, hortabantur. Ille nihil territus, a cervice, qua Dindymo monti urbs connectitur, aggere ducto, turres imposuit, tutiores a venti impetu futuras; cuniculos quoque egit: alacriter occurrentibus ad omnia obsessis, qui, vicissim et ipsi suffodientes humum, aliquando ab ipso rege in cuniculis suis opprimendo haud multum absfuerunt. Inter haec etiam comperta Luculli praesentia magis erecti sunt animi: postquam missus ab Archelao Demonax primus id nuncium in urbem intulit; dubitantibusque puer, qui captivitatem hostium fuga evaserat, interrogatus ubi castra Romana essent, digito commonstravit. *Mithridates alibi struit opera.*

XVII. Neque praetereunda est via, qua nuncius Luculli obsessam in urbem penetravit. Namque duos maximos utres levi tabulae subjecerat: utribus insutae literae Luculli erant, quo adversus humorem tegerentur. ab inferiori parte duae regulae distantes invicem utres continebant. huic machinae impositus, per trajectum, septem millia passuum habentem, pedibus iter adgubernans, inter molem Mithridatis atque insulam, vitabundus hostium classem, ad urbem pervenit: nam procul visentibus non homo, sed ma- *Miro modo Luculli nuncius in urbem penetrat.*

Cap. XIV. Plut. Cap. XV. Pausan. l. 4. Plut. Appian. Cap. XVI. Strabo. Appian. Strabo. Plut. Cap. XVII. Sall. Hist. 3, 6. Sidon. Carm. 22. v. 168. Frontin. 3, 13. Oros. 6, 2.

U. c. 678. A. C. 74. rina piſtrix eſſe creditus, nemine curante, evaſerat. Tandem et praesidii immittendi Lucullo reperta eſt ratio. In Dascylite lacu acatia satis magna commeabant. eorum quod erat capaciſſimum, plauſtris deduxit ad mare, militibusque replevit. hi, noctu transmiſſo freto, incolumes pervenerunt in urbem; quorum auxilio confirmati Cyziceni crebris eruptionibus fatigarunt hoſtem, machinasque ejus incenderunt.

Mithridates partem copiarum e caſtris dimittit.

XVIII. Tolerabat tamen obſirmatus animo Mithridates, quamdiu, celantibus rem ducibus, famem exercitus ignorabat. Poſtquam superveniens hiems maritimos commeatus praeclusit, et confecti inedia milites ne cadaveribus quidem humanis abstinebant, et e cibis insalubribus morbos mortesque contagio vulgabat; ut se parte copiarum exoneraret, observato tempore, quo profectus ad arcis cujusdam oppugnationem Lucullus aberat e caſtris, peditatus inutilem turbam, et omnem ferme equitatum, cum grege jumentorum inopia pabuli languido, et detritis ungulis claudicante, aversis ab hoſte itineribus in Bithyniam misit.

Sed Lucullus eam delet.

XIX. Ea res quum propere nunciata Lucullo eſſet, noctu rediit ad ſtativa; et poſtridie, dubia adhuc luce, nec hiberna tempeſtate deterritus, cum decem cohortibus delectis et equitatu inſequutus eſt. Nivoſa dies erat, et incommoda multa properantibus objiciebantur. Itaque, parte militum ob frigoris aſperitatem deficiente, cum reliquis ad Rhyndacum adeptus eſt barbaros, dum in transitu fluminis neceſſariam moram trahunt. Multa ibi regiorum caedes facta. vivi quindecim millia capti; cum sex equorum millibus, et jumentorum propemodum incredibili multitudine: tantis copiis ita deletis, ut etiam ex Apollonia feminae procurrerent in campos, diriperentque sarcinas, et interfectorum cadavera spoliarent.

Alia Mithridaticorum clades.

XX. Adverſa Propontidis et Bythiniae sub idem tempus aggravavit aliarum Mithridatis copiarum clades. Fannius enim et Metrophanes, regius praetor a Mamerco victi, cum duobus millibus equitum in Mysiam profugerunt: atque inde in Maeoniam digres

Cap. XVII. Salluſt. Frontin. Flor. 3, 5. Strabo. Plut. Appian. Cap. XVIII. Plut. Sall. Hiſt. 4. in Epiſt. Mithr. Appian. Plut. Sidon. Carm. 2. v. 513. et 22, 165. Appian. Strabo. Memnon. Sall. Iucert. 17. Cap. XIX. Oros. Plut. Appian. Plut. Appian. Memnon. Plut. Cap. XX. Oros.

si, quum hostem evasisse putassent, ipsius soli, cui se crediderant, plusquam hostiles insidias sunt experti, fecerantque vulgatae fabulae fidem, Arimos ibi et fulminati a Jove gigantis cubile ponenti. Delati certe in loca, caeco subter terram incendio infamia, saxis quoque et humo quasi fuligine quadam occultum ignem prodentibus, magna cum sollicitudine oberrarunt; donec, tandem via reperta, in castra regia reversi sunt. Eodem tempore praefectus regis Eumachus, post egregios successus, necatamque cum uxoribus et liberis civium Romanorum magnam multitudinem, Pisidia Isaurisque subactis, Cilicia tentata, quum in Phrygia bellum movisset; Dejotarus Gallograeciae tetrarcha, vagantem adsequutus, magna clade adfecit. U. c. 678. A. C. 74.

XXI. Hoc etiam anno Cn. Pompejus in Hispania prospere bellavit cum Q. Sertorio: qui, jam curis et laboribus fessus, et quia se peti videbat eorum insidiis, qui, se remoto, salvi esse non poterant, ad obeunda ducis munia segnior, in luxum et libidines declinabat. Unde, quum frequentius succumberet, quotidie ad iram pronior, multis ob suspicionem doli crudeliter interfectis, ceteros ad maturandam conjurationem acrioribus stimulis incitavit. *Sertorius declinat.*

XXII. Erant illi jam antea, simul ex ingenti metu per virtutem atque felicitatem Sertorii animos ad spem transtulerant, livore et aemulatione potentiae infensi: et crebris Perpernae sermonibus incendebantur, qui sibi deberi summam imperii propter nobilitatem generis existimabat. idcirco, clandestinis opprobriis Sertorium apud credulos onerando, sortem suam ceterorumque invidiose deflebat. *Quis enim*, inquit, *malus genius eo calamitatis nos compulit, ut, Sullae, terrarum omnium marisque dominium obtinenti, parere dedignati, ubi licuisset domi manentibus, salva dignitate, salvis facultatibus, in otio degere, Sertorium sequamur; et, voluntariam sub inani libertatis specie servitutem amplexi, dicto exsulis geramus morem? egregio scilicet praemio, quod ridicula omnibus appellatione* Senatus *vocamur; sub decoro nomine non minus laborum contumeliarumque, ac si Celtiberi aut Lusitani essemus, perferentes!* *Eum clam odiosum suis reddit Perperna.*

Cap. XX. Strabo, l. 13. p. 627. Oros. Appian. Liv. Epit. Oros. Cap. XXI. Liv. Epit. Appian. Civil. l. 1. Cap. XXII. Plut. Sertor. c. 41.

U. c. 678. A. C. 74.

Suam et Romae manentium fortunam comparans.

XXIII. *At, qui Romae remanserunt, cum amplissimis emolumentis sacerdotia et magistratus capiunt; provincias sortiuntur; triumphos ducunt: et, uno pridem remoto domino, ipsi rerum omnium moderatores sunt et arbitri. At nos contemptum et vile vulgus obscuri hominis imperio premimur: perpetuumque et ipsi dictatorem, sed deteriore conditione nostra, patimur, quam illi Sullam habuerunt. Sulla enim, armis sane potentior, ab invitis forsitan, sed tamen jus istud habentibus, dictaturae novi generis imperium obtinuit, sed paullo post sponte sua positurus. hic neque bello nos vicit, ut vel hoc jure plus pollere debeat; neque nostris suffragiis adeptus potentiam tenet stringitque, non temporum limites ullos, non rerum aut negotiorum circumdari patiens. Ad haec Sulla hic crudelior non inimicos suos tantum, ut ille, proscribit; sed socios omnis fortunae amicosque trucidat, vitam his eripiens, sine quorum ope vivere ipse non potuisset. Neque licet, aut vacat de aliorum interitu queri. jam ubi hos sermones aliquo indicio resciverit, haec libertas nobis ultimo cruciatu luetur.*

Hinc multa incommoda Sertorio.

XXIV. Atqui his querelis occupatae hominum mentes imperia Sertorii contemnebant: aut, si qui suscepissent, contra utilitatem et consilium ejus bene cogitata in exitium, omittendo praecepta, faciendo vetita, convertebant. destitutusque ministerio Sertorius, quum multa praeclare provideret, non alium consiliorum fructum, quam taedium irriti laboris, et durae indignaeque sortis gravem atque inanem conquestionem, capiebat.

U. c. 679. A. C. 73. M. Terentio, C. Cassio Coss.

Tumultus Romae propter annonam.

XXV. Anno sequenti M. Terentius M. F. Varro Lucullus, C. Cassius Varus, consules facti, legem Terentiam et Cassiam frumentariam tulerunt, ut annonae urbis consuleretur. Piratis enim maria diu infestantibus, sublato generis humani commercio, non modo negotiatores navigare prohibebantur, sed ne classibus quidem Romanis tutus cursus erat. Igitur plebs penuria commeatuum saepe tumultuabatur; curamque Patrum intendebat, ut omnia expediundae annonae remedia tentarent. Igitur L. Octavio, C. Cottae consulibus permisit senatus, ut vini et olei decumas, et frugum minutarum, quas quaestores in Sicilia vendere consuevissent, Romae venderent: et

Cap. XXV. Pigh. Ann. 680. Cic. in Verr. 3. c. 70. Flor. 3, 6. Cic. pro Lege Manil. c. 12. Sall. Incert. in Or. Cottae.

mox Q. Hortensius, in aedilitate sesquimodiis in capita divisis, magnam a populo Romano gratiam inivit; quia caritas annonae faciebat, ut, quod re parvum erat, tempore magnum videretur. Deinde M. Tullius Cicero quaestor frumenti maximum numerum ex Sicilia misit. U. c. 679. A. C. 73.

XXVI. Quae omnia quum tanta populi multitudo facile absorbuisset, nec ideo difficultas annonae cessaret, consules ex senatusconsulto tulerunt, ut frumentum a Siciliae civitatibus emeretur. ad hanc frumenti emptionem ex inopi atque exhausto aerario per triennium prope centies et vicies erogatum est. At haec modica in praesens auxilia solabantur potius, quam tollebant, penuriam: neque antea reddita urbi solita copia commeatuum est, quam Cn. Pompeji virtute piratae toto mari arcerentur. *Frumentum ex Sicilia emitur.*

Cap. XXV. Cic. in Verr. 3. c. 7. Id. ibid. c. 92. Cic. pro Planc. c. 26. Plut. Cic. c. 8. Cap. XXVI. Cic. in Verr. 3. c. 70.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI QUINTI.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor et septuaginta gladiatores Capuae ex ludo

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit] Hinc Sallustius Hiſtor. lib. 2. Nonio auctore: *Eodem anno in Macedonia C. Curio principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit, pecunias coëgit.* SIG. *Cicero proconsul* Boend. *Curio proconsul* Berg. *L. Curio proconsul* Norv. Praenomen antiquissimae edd. partim omittunt, partim legunt *P.* partim *M.* partim *G.* partim *Cajo.* V. ad Epit. 62.

Quatuor et septuaginta gladiatores] *CCCCLXX gladiatores* Berg. *quadringenti septuaginta* Leid. Quamvis autem de numero gladiatorum, qui, effracto ludo Lentuli, belli gladiatorii concitores fuerunt, inter hiſtoricos non conveniat, nemo tamen majorem, quam hic proditur, memoravit; nisi quod apud Plutarch. in Craſſ. pag. 548. octo et septuaginta fuiſſe dicantur. V. Freinshem. ad Flori 3, 20, 3.

Congregata servorum et ergastulorum multitudine] Claudius Puteanus affirmat, se in MSS. legiſſe: *congregata servorum ex ergastulis multitudine.* SIG. Egregie codices Barberinus et Gudiani ambo: *servitiorum.* Reſtituimus et Livio. J. FR. GRON. In vulgata scriptura hic sensus esse poteſt, eos congregaſſe multitudinem cum aliorum servorum, tum servorum de ergaſtulo, qui etiam *ergastula* dicuntur. Plinius 18. H. N. 6. *Coli rura ab ergastulis pessimum est.* Et Florus 4, 8. *Quum insuper ergastula armasset.* Nec tamen displicet *servorum ex ergastulo.* Livius 24, 15. *Mancipia Romana et ex ergastulo militem.* Juſtin. 1, 6. *Obvium habuit servum de ergastulo.* DUK. Pleraeque edd. *servorum ergastulorum.* Campanus *servorum ergastulorumque;* quod Gruterus recepit, et firmant codd. Leid. Voſſ. ac Boend. *servorum ex ergastulis* editio Sigonii anni 1592. quod non spernendum judicat Crevierius. *servulorum ergastulorumque* Berg. *servitiorum ergastulorum*, sine copula, Lov. 2. De ea locutione vide ad 35, 32, 4. *servitiorum ergastulorumque* Exc. Pithoei. *Servitia* pro servis, *ergastula* pro illis servis, qui compediti in ergaſtulis cuſtodiebantur, poni, vidimus ad 3, 15, 9. De servis compeditis et ergaſtulis vide Briſſon. 2. Select. Antiq. 9. Mox *Crexo* Voſſ. *Criso* Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. *Crisso* Exc. Pithoei. *Chryso* Norv. et reliquae edd. principes, nisi quod *Chrysso* ex prima Rom. laudet Hearnius. *Crixo* ed. Sigonii anni 1572. quod etiam supereſt in Berg. V. Salmas. ad Flori 3, 20, 3. Crixum et Oeno-

Lentuli profugerunt: et, congregata servitiorum ergastulorumque multitudine, Crixo et Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum et P. Varenum praetorem proelio vicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit; pulsumque Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coëgit in Pontum profugere.

maum Gallos, ac Spartacum Thracem memorant Oros. 5, 24. ubi vide Fabric. et Freculph. Chron. part. 1. lib. 6, 16.

Claudium Pulchrum legatum] *Clodius praetor* vocatur Oros. 5, 24. Κλώδιος στρατηγὸς Plut. in Craff. pag. 547. *Clodius Glaber* Floro 3, 20, 4. Sed *Glaber* non Claudiorum, sed Variniorum, cognomen fuit. V. Sigon. ad verba seq.

P. Vorenum praetorem] Hunc praetorem Plutarchus in Crasso [pag. 548.] vocat Πόπλιον Βαρίνον, *Varinium* Frontinus lib. 1. cap. 5. [ex. 22.] Appianus autem lib. 1. [424.] Βαρίνιον Γλάβρον. ut appareat, hunc *P. Varinium Glabrum* appellatum fuiffe: meminit etiam *P. Varini* praetoris. Cicero pro Flacco [cap. 19.] ubi forte *Varinii* legendum eft, ut gentis nomen, non familiae, sit. SIGON. In Cicerone pro Flacco cap. 19. Pighius quoque ad A. V. ɔɔcɪxxɪ. legit *a P. Varinio*. Vide, quae viri docti ad Frontinum 1. Strateg. 5, 22. adnotarunt. *Varenus* tamen etiam nomen Romanum eft. Cicero orationem pro *L. Vareno* habuit, cujus particulae quaedam in Quintiliano et aliis supersunt. DUK. Sigonius anno 1555. *P. Varinium* in contextum recepit; pro quo sequentes ejus editiones operarum menda *P. Vatinium* dederunt; quem errorem proximi editores servarunt, et hinc fraudi fuerunt Petavio ad Themift. orat. 7. p. 425. Gruterus deinde *P. Varenum* subftituit, quod firmant Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et edit. Campani, ac recentiores retinuerunt, excepto Clerico, qui Sigonii lectionem *Varinium* adoptavit. *P. Varcenum* legit Voff. *P. Vorenum*, ut eft in edd. ante Sigonium, Norvic. Vox *praetorem* exsulat a Berg.

Pulsumque Bithynia regem] *a Bithynia* Exc. Pithoei, Norv. et edd. fere omnes ante Gruterum; qui praepositionem expunxit, consentientibus Leid. Voff. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. V. ad Epit. 46. Mox *belli et naufragiorum* Boend. *belli naufragiorumque* Voff. Deinde *in portum profugere* Voff. Berg. et ed. Camp. *in portutum profugere* Exc. Pithoei.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LX.

IN LOCUM LIBRI XCV. T. LIVII.

U. c. 679. A. C. 73. *Curio Dardanos vincit.*

I. Hoc anno C. Scribonius Curio, Dardanis in Thracia victis, bello finem imposuit, acribus supplicii domita inquietarum gentium ferocia, quum rebellium primores amputatione manuum, ceterorum plerosque morte mulctavisset. Eadem expeditione Moesi quoque subacti: et ad Danubii Daciaeque terminos ventum. Ne ulterius procederetur, insidiosa loca densique saltus impedimento fuerunt.

Spartacii belli initia.

II. Novum inter haec bellum contemptis initiis (adeo nullius imperii tuta vel domi potentia est) in maximas Italiae calamitates evaluit. Quatuor et septuaginta gladiatores Capuae ex ludo Cn. Lentuli profugerunt, Galli plerique, pertaesi pessimae sortis, ad quam eos non suum aliquod scelus, sed iniquitas domini, coëgerat. Hi quum, verubus atque coquinariis cultris e popina correptis, oppido erupissent, in plaustra quaedam inciderunt, quibus arma gladiatoria portabantur. Atque illi, velut munere Deûm oblatis armis alacres, in munito quodam colle constiterunt, ducibus tribus creatis, inter quos Spartacus eminebat, Thrax gente, et ab ineunte aetate pastor; sed animo et viribus ingens, nonnulla quoque belli peritia, quod inter stipendiarios militaverat, ferociam originis institutique prudentia et moderatione temperabat. Uxor ei oriunda indidem aderat; quae, Bacchici numinis plenam se ferens, quo primum tempore Romam venalis est dedu-

Cap. I. Liv. Epit. Eutrop. l. 6. Marcellin. 29, 26. Sext. Ruf. c. 8. Flor. 3, 4. Cap. II. Pacat. Panegyr. c. 23. Liv. Epit. Vellejus, 2, 30. Eutrop. l. 6. Oros. 5, 24. Appian. Civil. l. 1. Plut. Crasso. Flor. 3, 20. Appian. Plut.

deductus, conspecto dracone circa dormientis caput instar coronae convoluto, magnam viro potentiam praedixerat. Cognito hominum consilio, statim ex oppido venerunt armati, qui eos ex fuga reprehenderent. His fusis fugatisque, quum multa arma militaria cepissent, abjectis gladiatoriis, quae oderant, illa laeti gratulabundique sumpserunt. U. c. 679. A. C. 73.

III. Inter haec Claudius Pulcher legatus cum tribus millibus armatorum ex urbe accurrit; et ad Vesuvium montem, quo illi se receperant, castris positis, aditum, qui unicus ea parte, atque is difficile tamen et impeditum iter praebebat, obsedit. Illi nullas circa stationes, qua inaccessus videbatur, conspicati, per abrupta cavasque fauces catenis ex vite silvestri confectis se demiserunt, uno relicto, qui, dejectis armis, postremo ipse quoque descendit. Spartacus postquam incolumes omnes recepit, solerti cum audacia statim ad castra Romanorum duxit, et improvisi periculi consternatione ita terruit Claudium, ut, turpi fuga castris desertis, aliquot cohortes quatuor et septuaginta gladiatoribus cederent. *Claudius Pulcher male rem gerit adversus fugitivos.*

IV. Res prosperae, ut adsolet, statim invenerunt socios, multique pastores, durum et pernix genus, accesserunt ad partes: quorum robustissimum quemque armavit Spartacus, reliquos antecursorum et velitum numero habuit. Servitiis deinde ergastulisque concitatis, quum celeriter ad hominum millia decem coïvissent, quod armorum erat inopia, scuta ex vimine dedit. eratque is facilis labor solitis, vasa agrestia ex viminibus nectere; et, unoquoque se ad eam artem in formam equestris parmae armante, celeriter confecta res est. mox mactatis pecoribus, parmas cooperiebant, quum coria recens detracta quasi glutino adhaerescerent. ferro dein ergastulorum recocto, gladios ac tela fabricabant. *Spartacus auget copias.*

V. His rebus festinare coactus P. Varinius praetor, cui senatus negotium extra ordinem dederat, cum justo exercitu, sed tumultuarie conscripto, advenit. Sed legatum ejus Furium, cum duobus millibus militum praemissum a praetore, acie congressi fugitivi fu- *Successus et saevitia fugitivorum.*

Cap. III. Liv. Epit. Plut. Vell. Flor. Plut. Frontin. 1, 5, 21. Flor. Plut. Oros. Frontin. Cap. IV. Plut. Liv. Epit. Flor. Sall. Hist. 4. Frontin. 1, 7. Flor. Sallust. Flor. Cap. V. Liv. Epit. Appian. Plut.

U. c. 679. A. C. 73. derunt. Qua victoria usi saevius etiam infestiusque totam Campaniam pervagati sunt. nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Coram, Nuceriam, et, quae Romanis exercitibus tot per annos restiterat, Nolam, crudeliter populabantur. nactique nonnullos, quibus maxime infensi erant, eorum morti nefandum in modum illudebant, lacera corpora, sed adhuc spirantia, ne cito dolore defungerentur, omittentes. Alii in tecta jaciebant ignes: multique ex locis, quae occupata erant, servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis, aut ipsos trahebant ex occulto. neque sanctum aut nefandum quidquam fuit irae barbarorum, et servili ingenio; nequeunte prohibere Spartaco, quamquam multis precibus oraret.

Cossinius a Spartaco interficitur.

VI. Igitur, ut alio consilio eos ab hac immanitate abduceret, simulque adventus sui celeritate praeverteret nuncios; raptim in Lucaniam ductis copiis, Cossinium, qui datus praetori adjutor fuerat, cum magna militum manu apud Salinas agentem, ita improviso impetu oppressit, ut nihil propius sit factum, quam ut lavantem comprehenderet. Impedimenta certe ejus omnia diripuit, vestigiisque fugientium haerens multos occidit, et castra eorum cepit, ipso ibi Cossinio interfecto. Hinc Lucaniae magnam partem, Thurinum maxime Metapontinumque agrum, in potestate fugitivi habuerunt, ipsis quoque urbibus eodem bello potiti.

VII. At Varinius, dum haec aguntur a fugitivis, aegra parte militum autumni gravitate, neque ex postrema fuga, quum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus, et, qui reliqui erant, per summa flagitia detrectantibus militiam; quaestorem suum C. Thoranium, ex quo praesente vera facillime noscerentur, in urbem miserat: et tamen interim cum volentibus in expeditionem prodiit. Auxiliis deinde contractis, quum quaedam non improspere gessisset, contra morem fiducia augeri Romanis et promi lingua coepit. quo Varinius contra spectatam rem incaute motus, novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu; silentes jam, neque tam magnifice sumentes proelium, quam postulaverant.

Cap. V. Flor. Sall. Fragm. ex Biblioth. Reg. Cap. VI. Plut. Flor. Cap. VII. Sallust. Fragm.

VIII. At fugitivi certamine consilii inter se juxta seditionem erant, Crixo et gentis ejusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus. Contra Spartaco dimittere, quae haberent e loco, commoda, et, quam integro exercitu sperarent, cum periculo victoriam quaerere, non placebat. Quo deinde ordine ac loco res unaquaeque gesta sit, amissis, quae de hoc bello erant prodita, non habeo dicere. Illud certum utique habetur, multis proeliis victum a Spartaco Varinium esse, et adeo aegre elapsum, ut equum illius lictoresque cum fascibus et insignibus magistratus ad Spartacum fugitivi detulerint, quibus etiam postea usus est. U. c. 679. A. C. 73. *Fugitivi inter se discordes.*

IX. Eodem tempore quum forte praeclusus a P. Varinio Spartacus fuisset, insigni astu elapsus est. Quum enim operibus hostium in arctum coacti essent fugitivi, consumptis jam alimentis, nec suppeditantibus ex propinquo, secunda vigilia cuncti egrediuntur, relicto buccinatore in castris, et ad vigiliarum speciem procul visenti cadaveribus, quae erexerant fulta palis, per modica intervalla ante portam fixis. Ea veste atque armis adornata quum per tenebras, aut dubia adhuc luce, satis tegerent fraudem, et per tota castra ignes collucerent, facile deceptus hostis est, ut eodem adhuc loco fugitivos esse crederet. Multa demum lux aperuit, quid actum esset, missique sunt equites, qui vestigia Spartaci scrutarentur, et, quantum possent damni ac morae, facerent. At ille, visis equitibus, priusquam cum reliquo exercitu adesset Varinius, propere nanctus idoneos ex callibus duces, Picentinis, deinde Eburinis jugis occultus ad Nares Lucanas, atque inde prima luce pervenit ad Popili Forum, ignaris cultoribus. *Spartacus insigni astu elabitur.* *Varinius Spartacum insequitur.*

X. Ac statim fugitivi contra praeceptum ducis rapere ad stuprum virgines, matres, et aliis sceleribus operam dare; multum obtestante Spartaco, cui, praeter humilitatem sortis, nihil ad eximii imperatoris tuendum nomen deerat. Neque sapientiae egebat, qua futura prospiceret: victoque Varinio, quum majorem esse Romanam potentiam intelligeret, quam ut sperare interitum ejus posset, auctor ad Alpes eundi suis erat, ut, iis superatis, diversi Thraces Gallique *Spartacus eximius imperator.*

Cap. VIII. Plut. Appian. Flor. Cap. IX. Frontin. Strat. 1, 5. 22. Cap. X. Sall. Hist. 3, 22. Plut.

U. c. 679. A. C. 73. suam quisque patriam repeterent. Sed illi, multitudine confisi, et elati successu, spernebant salubre consilium, et devastanda Italia suae libidini avaritiaeque indulgebant. Jam enim circa Consentiam et Metapontum delectibus agendis ita creverant, ut tum quidem Spartacus triginta millia, Crixus decem sub signis habuisse tradatur. nam tertius ducum Oenomaus superiore bello perierat.

Mithridates desperat de expugnatione Cyzici.

XI. Interea, dum Romana arma domi a servis contemnuntur, in remotis provinciis contra potentissimum regem, imperatore Lucullo, magna cum gloria fulgebant. Omnem jam non commeatum modo Mithridates, sed etiam opes, copias, spem denique expugnandae Cyzici consumpserat. Igitur, Hermaeo Varioque traditis peditibus, quorum numerus adhuc triginta millia superabat, ipse maritimo itinere in regnum cogitabat reverti.

Noctu abnavigat.

XII. Noctu, quo falleret obsessos, conscendi navigia jussit. Sed ea majoris trepidationis caussa fuit. dum, inter tenebras metu reverentiam imperii vincente, certatim et promiscue ad naves ruitur, quaedam cum his, qui inscenderant, submersae sunt; aliae turbatae atque circumactae plus adhuc morae consternationisque fecerunt. Hoc modo aegre solutis ancoris Parium rex pervenit. Quod ubi postridie a Cyzicenis est cognitum, excurrentes in Pontica castra, reliquam adhuc aegrotam multitudinem conciderunt, ablatis, quae verti in praedam poterant.

Lucullus peditatum regium assequutus caedit.

XIII. Sub idem tempus Archelaus, classis regiae praefectus (*Aristonicum* Plutarchus appellat) in potestatem Luculli pervenit. Miserat eum Mithridates, ut negotium facesseret hosti, ne recedentem a Cyzico sequi posset; dederatque decem millia aureorum ad Fimbrianas corrumpendas legiones. Sed ille, fidem a perfidis inepte sperare ausus, quum tamquam ad accipiendas copias destinato tempore venisset, occisis, quos secum adduxerat, comprehenditur. Lucullus, audito, pedestres Mithridatis copias Lampsacum petere, continuo insequutus, ad Aesepum amnem deprehendit, qui tum anni tempore pluvioso plurimum creverat. Ibi Granicus et Aesepus amnes cruentarunt

Cap. X. Oros. 5, 24. Cap. XI. Liv. Epit. Memnon. Cap. XII. Plut. Lucull. Memnon. Appian. Mithrid. Memnon. Cap. XIII. Plut. Memnon. Appian. Flor. 3, 5.

undas; regiorumque, partim aquis hausta, partim hostilibus concisa armis, ad millia viginti perierunt, magnus praeterea captus est numerus: plusquam undecim millia Varianorum militum in proelio ceciderunt. Ceteros, quum se munimentis oppidi clausissent, Lucullus obsedit: donec a Mithridate missa classis, et illis et Lampsacenis omnibus exportatis, vacuam urbem victori reliquit. U. c. 679. A. C. 73.

Clades Mithridatis ad Cyzicum.

XIV. Hic eventus obsidionis Cyzicenae fuit: qua periisse de regiis militum lixarumque ad trecenta millia putantur. Cyziceni, sua et Luculli virtute incolumes, quo grati erga benemeritum essent, ludos victoriae solennes instituerunt, Lucullea vocantes: ipsumque, quum ingressus urbem esset, exquisitis honoribus acceperunt. Mithridates interea, quum quinquaginta naves, in quibus decem millia delectorum virorum imposuerat, L. Vario, et Alexandro Paphlagoni, et Dionysio eunucho tradidisset, cum aliquanto ampliore numero Perinthum navigavit: frustraque tentata oppidi capiundi spe, Nicomediam Bithyniae petiit, postquam apud Parium ex utraque classe multas naves tempestate perdidisset.

Lucullus decretam ab senatu pecuniam remittit.

XV. Neque Lucullo tempus per otium transigebatur, quin, ex omni Asia navibus ad Hellespontum contractis, classem compararet: tanta fiducia, ut senatui, tria millia talentorum ad eos usus decernenti, rescriberet, *summam eam aerario se parcere: neque ideo minus auxilio socialium navium Asiam ab incursu regiorum esse liberaturum.* Neque promissa ejus magnificentiora, quam facta, fuerunt. Classem ita distribuit, ut cum parte navium ad recipiendas Phrygiae urbes Valerium Triarium; cum aliis Voconium Barbam ad distinendum Nicomediae Mithridatem mitteret: ipse reliquis ad ea, quae occurrerent, usurus.

Apamea et aliae urbes a Romanis capiuntur.

XVI. Ab omnibus feliciter res gesta. Triarius Apameam, quae *Cibotus* cognominabatur, maximum post Ephesinam urbem Asiae emporium, obsedit. Erant magna beneficia regis penes Apamenos, quod terrae motibus quassatam urbem, centum talentis publice dono datis, refecerat. Igitur acris aliquamdiu defensio,

---

Cap. XIII. Plut. Oros. 6, 2. Appian. Cap. XIV. Plut. Oros. Appian. Memnon. Sall. Hist. 4. in Epist. Mithrid. Cap. XV. Appian. Plut. Appian. Cap. XVI. Strabo, l. 12. p. 577. Idem ibid. p. 579. Memnon.

U. c. 679. A. C. 73. et post expugnationem caedes eorum, etiam qui in templa confugerant, fuit. Dum ad hunc modum Apamea vastatur, Prusa, quae sub Asiatico Olympo jacet, per Barbam capta ac direpta est. Triarius etiam Prusiadem, maritimam urbem, quae olim Cius fuerat, volentibus oppidanis recepit, qui praesidium regis expulerant, eo merito libertatem ab Romanis adepti. Ea res etiam Nicaeam tradidit Romanis, diffugientibus noctu ad Mithridatem, qui tuendae fuerant impositi, quod animos Nicaeensium ad Romanam amicitiam inclinare sensissent.

Lucullus somnium suum exponit amicis.

XVII. At vero Lucullus, qui ab Hellesponto Troadem petierat, quum in fano Veneris pernoctasset, vocari se a Dea ad oberrantem in proximo praedam somniavit. statimque jussis convocari amicis, Graecisque comitibus, *Non potui differre*, inquit, *quin protinus exponam vobis, quod mihi visum obvenit in templo.* Somnio deinde narrato, *Talis, inquam, per quietem obversata mihi species est, sed ita expressa, et velut solidae comprehensionis, ut, ista videre ac audire totis sensibus, non autem per inanes somni figuras imaginari, crederem.*

Lucullus philosophos secum habuit.

XVIII. *Sane jam olim saepius, sed maxime, quum pro quaestore missus a Sulla ad Ptolemaeum Alexandriae agerem, de omnibus ejusmodi rebus diligenter audivi differentes doctissimos viros. Erat enim tum etiam hic Antiochus mecum; et antea jam Heraclitus Tyrius agebat Alexandriae, qui et Clitomacho multis annis, et Philoni operam dederat. Sed ita mihi haec intricata, et ab hominis certa cognitione remota videbantur, ut inter disputationes eruditorum id semper probabile videretur, quod a disserente defendebatur. nam etiam, qui decreta sua parum confirmarent, plerumque sententiam adversariorum haud inepte refellebant. Igitur eo inclinabam, ut incertam omnium opinionem, neque firmiter comprehendi posse quidquam arbitrarer.*

Utrum aliquid certo comprehendi possit, disputat.

XIX. *Sed unum ubique occurrebat irrefragabilis veritatis argumentum, ut, si dubitandum esse de omnibus putarem, id tamen scire viderer, esse utique de rebus dubitationem, et me esse, qui dubitarem. Ab hoc minime obscuro aut fallaci gradu statim eo adscendebam, ut sine ulla fluctuatione comprehenderem, esse aliquam humana superiorem naturam, quando me ipse me fecissem, et, quoniam essem, ab aliquo certe factus*

Cap. XVI. Appian. Oros. Appian. Memnon. Strabo, l. 11 p. 564. Appian. Memnon. Cap. XVII. Plut. Cap. XVII. Cic. Acad. Quaest. 4, 2. et 4.

essem. Id autem, cujus potentia et ego, et quidquid est, nec ab se ipso est, exstitissemus, non aliud intelligere poteram, quam quod video Dei appellatione apud omnes censeri. Nam etiamsi plerasque apud gentes complures Dii coluntur; tamen sapientissimus quisque Deorum omnium unum regem patremque credit, a quo descendat, quidquid inferioris ordinis est, non potestate cum illo, non natura comparandum. U. c. 679. A. C. 73.

XX. *Ut igitur haud inepte dubitari queat, quantum, quae in hoc fano colitur, Venus valeat, quantaque sit hujus loci sanctimonia: sic etiam experientia constat, neque rationi refragatur, esse aliquam majorem humana potestatem, quae de futuris, aut etiam praesentibus ita moveat hominum mentes, ut illo stimulo admonitae non inclinent modo ad credendum, sed etiam penitus ita se rem habere pro certo compertoque habeant. Mihi sane ita nunc adfectus est animus, ut de veritate rerum, quae mihi per quietem sunt ostensae, minus etiam dubitare possim, quantumcumque inhibere adsensum coner, quam de his, quae nunc videns vigilansque facio.* *Esse aliquam majorem humana potestatem, certum.*

XXI. Haec agenti cum amicis, dum adhuc loquebatur, supervenerunt ab Ilio nuncii, tredecim conspectas esse regis quinqueremes, Lemnum, ubi praefecti classis ad ancoras stabant, petituras. Igitur propere evectus, inter Tenedum et Achaeorum stationem proelio commisso, Isidorum, qui navibus illis praeerat, interfecit, naves omnes cepit. Inde mari Aegeo Lemnum profectus ad ceteram classem expugnandam, in deserta insula, ubi Philoctetae casum aeneus serpens, arcusque, et fasciis illigatus thorax indicabat, praefectos regios deprehendit. *Somnii ejus expositio, re demonstrata.*

XXII. Nec elici ad pugnam poterant: subductasque ad litora naves, tabulatis superstantes acriter defendebant. Multus ibi labor Romanis fuit, multaque vulnera accepta: quia inhaerentes litori naves a fluctuantibus, tamquam firmata in stabili solo castella, levi et irrito conatu petebantur. Postremo circummissi alia parte milites, exscensione facta, a tergo circumvenerunt hostem: et, occisis nonnullis, alios propellere naves, et in aquas se recipere coëgerunt. Ibi inter duo maxima discrimina deprehensi, et, utrum magis vitarent, incerti, dum neque altum petere metu hostilium navium audent, et terra ab expositis prohibentur, ad oram oberrantes, utrimque vul- *Mithridatis naves ancipiti pugna deprehensae.*

Cap. XXI. Plut. Memnon. Plut. Appian. Cap. XXII. Plut. Appian.

U. c. 679. A. C. 73.

nerabantur. Sic velut indagine deprehensi sunt omnes, nisi quos mors obita ferro eripuerat.

Classis duces caesi, aut capti.

XXIII. Duces, ejecto in terram navigio speluncam ingressos, male texerunt latebrae. Postera die quum caperentur, Dionysius, epoto, quod secum habebat, veneno, statim exanimatus est. Alexandrum Lucullus ad triumphum servari voluit. L. Varius, quia senatorem Romanum in triumpho duci fas non erat, post contumelias et ludibria supplicio adfectus est. Quod ne faciliori forte exitu anteverteret, Lucullus, suis, ne quem luscum occiderent, (captus enim altero oculo erat Varius) praeceperat. Multi et alii proscriptorum tunc interempti sunt. Duae et triginta naves regiae cum onerariis compluribus eo tempore demersae, aut captae fuerunt.

Numerus captarum navium, et inde Romae laetitia.

XXIV. Haec a Lucullo ad senatum perscripta magnam in urbe laetitiam excitarunt: maxime postquam est cognitum, classem hostium, quae duplici proelio deleta aut capta fuerat, sub acerrimis ducibus Italiam petere voluisse.

Voconius tempus in Samothracia terit.

XXV. His confectis, Lucullus ad expellendum Bithynia regem properabat. hunc enim credebat a Voconio attineri, legato suo, quem ea gratia imperator praemiserat. Sed ille, Samothracen profectus, dum superstitionibus dat operam, diesque caerimoniis et initiando terit, Mithridati praebuerat effugiendi copiam: qui si in tempore adfuisset, clauso maris exitu, capi Mithridates Nicomediae potuisset.

Mithridates Nicomediae obsessus.

XXVI. Nam a terra binis castris obsidebatur: quia M. Cotta, ut acceptum ad Chalcedonem dedecus aboleret, satis impigre Nicomediam perrexerat, castris ad vicesimum fere lapidem ab oppido communitis, ne pugnare contra commodum cogeretur. Eodem et Triarius non invitatus occurrit. Et, quia rex intra moenia suos reduxerat, ab utroque Romanorum exercitu coepit obsideri. Quod interim mediocriter ferens, postquam gemina navali pugna classem amissam didicit, Lucullo superventuro se ratus imparem, Pontum petere classibus decrevit.

Cap. XXIII. Oros. 6, 2. Appian. Plut. Oros. Cap. XXIV. Appian. Cic. pro Arch. c. 9. pro Mur. c. 15. Pro L. Manil. c. 8. Cap. XXV. Appian. Plut. Cap. XXVI. Memnon.

XXVII. In hoc itinere denuo tam foeda tempestate conflictatus est, ut navalis proelii instar esset, duplicique hac clade Mithridates, prius ad Parium, et nunc haud procul Heraclea, ad decem hominum millia, et rostratas sexaginta, florem exercitus sui classisque, deperderet. Eam calamitatem ad iram Priapenae Dianae superstitiosi homines retulerunt, cujus a regiis spoliatum templum abreptumque simulacrum fuerat. Amissa magna parte classis, cum plerisque navibus in ostium fluminis Hypii, quod haud procul Heraclea abest, rex se recepit. U. c. 679. A. C. 73. *Mari fugiens classem amittit.*

XXVIII. Is tum status Heracleae erat, ut magis aliena a Romanis ob sublatos publicanos, quam in potestate regis, esset. Igitur dum necessario stationem in flumine, nondum sedato mari, habet, sollicite inquisito, Lamachum in summo magistratu agere comperit: quo nuncio erectus, quod veteri amicitia cognitus illi Lamachus erat, missis idoneis hominibus, multa largiendo pollicendoque perfecit, ut operam suam Lamachus addiceret, quo rex in urbem reciperetur. *Heracleam properat.*

XXIX. Dicta die solemne sacrificium Lamachus instituit, extra urbem vocato populo, ne portae consueto tempore clauderentur. ad regem interea myoparo Seleuci archipiratae mittitur, quem conscenderet, quia navis oneraria, qua erat vectus, ob violentiam tempestatum utilis esse desierat. Dehortabantur maximopere amici, ne corpus suum hominibus incognitae fidei crederet. quorum ille metum tali sermone castigavit. *Confidens Lamacho.*

XXX. *Ego vero fidem vestram amoremque multis et magnis documentis experta novi, et aestimo: nihilque dici scio a vobis, quam ab optimo animo verissimoque adfectu profectum. Sed interdum haec ipsa, quamlibet omnino sunt praestantissima, bonis consiliis obstrepunt, quoties aliquid in speciem periculosum suscipi res cogit, timor vetat: ideoque in praesentia, quum vestrum animum et probem, et, ut eum semper mihi custodiatis, enixe petam, a sententia tamen vestra dissideo.* *Ejus oratio ad amicos deterrentes.*

XXXI. *Videtis, ea nunc esse tempora mea, ut evadere pericula non aliter, nisi periculo, possim. Nemo, opinor, in hoc toto negotio mihi temeritatem imputabit. Paratissimus quum essem ad bellum, tamen iterum iterumque consideravi, restiti,* *Periculum periculo nunquam discutiendum.*

Cap. XXVII. Liv. Epit. Flor. 3, 5. Sall. Hist. 4. in Ep. Mithrid. Appian. Oros. Sallust. Plut. Memnon. Ptolemaeus, 5, 1. Cap. XXVIII. Memnon. Cap. XXIX. Plut. Oros. Appian.

U. c. 679. A. C. 73. *distuli, donec apud omnes constaret, bellum opportunius sumi non potuisse. tamen magnae me calamitates et discrimina deprehenderunt; iis nempe viis, quas cavere aut occludere nemo mortalium queat.*

Deorum ira placanda, et, si opus, ferenda fortiter.

XXXII. *Ipsos mihi Deos adversatos esse scitis, quum Rhodios Isis, Cyzicenos Proserpina defenderent; quum Neptunus classes meas tempestatibus persequeretur. Sed erit aliquis irarum modus, et, quod a pueritia saepe mihi contigit, praesens vexatio majore aliquo praemio pensabitur. nec enim frustranea semper erit haec diligentia colendi Deos, qua nemini concedere soleo, perpetuo mecum habens sapientiae sacrorumque magistros. Quod si decretum de me est, haecque Superis sententia sedit, ut oppressum deletumque velint, ut opera dabitur, ut impavidum obruant.*

Caussae melioris spei.

XXXIII. *Sed absit omen! et bona potius spe votisque me prosequamini. nam et mihi praesagit animus, hoc mihi non ad securitatem modo iter, sed etiam ad augendas opes aditum fore. Seleuco satis confido; plus etiam Lamacho: neque dispicio, quomodo sperare majora ab Romanis proditi mei, quam a me servati, praemia possint. Sed et populus Heracliensis ita est alienatus, ut quidlibet potius, quam Romanum imperium, laturus videatur.*

Ingreditur occupatque Heracleam Mithridates.

XXXIV. Ita metu suorum castigato, confidenter ingressus piraticam navem, prius Heracleam introivit, quam obruti vino homines adventum ejus persentiscerent. Postero demum die, quum essent ad concionem vocati, regem se habere didicerunt. qui, humaniter eos alloquutus, et ad servandam sibi benevolentiam hortatus, quatuor millia militum praesidio cum praefecto Connacorige imposuit, quo ab Romanis, si forte signa eo vertissent, defenderentur. Divisa deinde populo, sed praecipue magistratibus, pecunia, Sinopen, et inde Amisum navigavit.

Cap. XXXII. Supra, 78, 26. et 94, 14. Oros. 6, 5. Cap. XXXIV. Memnon. Appian.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI SEXTI.

Q. Arrius praetor Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit. Cn. Lentulus consul male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius praetor acie victi sunt. Sertorius a M. Antonio, et M. Perperna, et aliis conjuratis in convivio interfectus est,

Q. Arrius praetor] Praenomen deest in Berg. spatio tamen, ubi adscriberetur, relicto. At *M.* ei tribuitur in Norv. *D.* in ed. prima Romana Hearnius invenit. *Nuntius* est in Boend. V. ad Epit. 62. Dein *Valerius*, pro *Arrius*, Boend. et ed. Camp. *Varius*, Lov. 2. *Artius* Berg. *Martius* Leid. *Arius* reliquae edd. principes. Sigonius demum *Arrius* dedit, quod superest in Voss.

Fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit] Quo numerus Appiano consentaneus sit, *cum triginta millibus* scribo. Dissentiunt a Floro nonnulli historiae scriptores; qui Crixum a Gellio consule ad Garganum oppressum tradunt. DELR. *fugitivorum regem* Boend. In numero codd. nihil mutant: sed mox *excidit* legit Leid. *occidit* Voss. Berg. a manu 1. et Boend. V. ad 36, 36, 6.

C. Lentulus consul] *Cn. Lentulus* perspicue omnes auctores. SIGON. Similiter omnes scripti, et edd. principes, nisi quod quaedam harum *Gn. Lentulus* legant. *Cn. Lentulus* primum invenio in ed. Ascensii anni 1510.

Ab eodem L. Gellius et Q. Arrius praetor] Vet. lib. *L. Gellius consul et* Q. Item Plutarchus et Appianus. Caeterum hic est Q. Arrius praetor; qui, cum successurus esset C. Verri in Sicilia, non successit. Paedianus. SIG. Praetoris hujus nullam mentionem faciunt alii, qui hoc bellum memorarunt. Appian. 1. Civil. pag. 420. refert, Crixum ab altero consulum ad Garganum proelio victum cecidisse, et ex exercitu illius xx millia caesa fuisse. Consulem illum *L. Gellium* nominat Orosius 5, 24. a quo Crixum victum fuisse, etiam e Plutarchi Crasso apparet. DUKER. *ab eodem consule L. Gellius*, vel *Gelius*, *et Q. Arrius*, vel *Arius*, *praetores* Lov. 2. Berg. et Boend. Similiter Leid. et Voss. nisi quod *praetor* servent. *ab eodem L. Gelius et Q. Arius praetores* ed. Camp. *ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius praetores* Exc. Pithoei apud Hearnium.

Sertorius a M. Antonio, et

octavo ducatus sui anno: magnus dux, et adversus duos imperatores, Pompejum et Metellum, saepe par, vel frequentius victor: ad ultimum desertus et proditus. Imperium partium ad Marcum translatum est: quem Cn. Pompejus victum captumque in-

M. Perpenna, et aliis conjuratis in convivio interfectus est, etc. *Imperium partium ad Marium translatum est*] Locus obscurus. Nam cum dicat, ab Antonio et Perperna interfectum esse Sertorium, addit, imperium partium translatum esse *ad Marium*. Nos autem ab aliis accepimus *ad Perpernam* pervenisse. Tolletur igitur omnis obscuritas, si ita legatur: *Sertorius a Manio Antonio et Marco Perperna* etc. Item *Imperium partium ad Marcum translatum est*. Plutarchus enim in Sertorio *Μάλιον Ἀντώνιον* vitiose vocat, pro *Μάνιον*. In veteribus autem libris est *ad Marcum*, non *ad Marium*. Ejusdem porro convivii meminit his verbis Sallustius Histor. lib. 3. *Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis, senator ex proscriptis, in summo Antonius, et infra scriba Sertorii Versius; et alter scriba Maecenas in imo. medius inter Tarquinium et dominum Perpernam*. ex Nonio. SIG. *a M. Antonio* servant omnes scripti: at, passim praenomen *Manius* librariis minus notum in *Marcus* corruptum esse, vidimus ad Livii 27, 25, 2.

Octavo ducatus sui anno] De voce *ducatus*, quae auctori non ex lectione Liviana, sed aevi sui corrupto sermone, adhaesit, vide ad Liv. 29, 20, 2.

Saepe par, ut frequentius victor] Vet. lib. *vel frequentius*. SIG. *vel frequentius* ab Sigonio est. Olim *saepe par, ut frequentius victor*. Quod recte sese habet, modo intelligas *τὸ ἴτα* in praecedentibus verbis. Significat enim, ita saepe parem fuisse, ut saepius superior discesserit. J. FR. GRON. Duae priores voces exsulant ab omnibus scriptis meis, et Exc. Pithoei. Deinde *aut frequentius* legunt Norv. et edd. pleraeque ante Ascens. qui anno 1510. *ut frequentius* recepit, et annis 1513. ac 1516. *aut frequentius* pro varia lectione in margine ostentavit. *vel frequentius* omnes scripti mei, et ed. Camp. quos cum Sigonio sequi malo, quam cum Gronovio *τὸ ut*, in nullo libro obvium, per ellipsin voculae *ita* exponere, vel cum Crevierio in *et* mutare. Mox *ad ultimum et saevus et prodigus* Leid. Voss. Lov. 2 Boend. et Exc. Pithoei. *ad ultimum et*, id est *etiam*, *saevus et prodigus* Berg. Sed frustra.

Imperium partium ad Marcum translatum est] *ad Marcum*, pro *ad Marium*, supra hac Epit. Sigonius emendavit ex vett. libb. quorum lectionem probant nostri Leid. Voss. Berg. Boend. et apud Hearnium Exc. Pithoei. At Clariss. Jac. Perizonius *ad M. Perpernam* in ora exemplaris sui legendum conjecit. *ad M. Perpennam* praefert Lov. 2. Insuper verbum *est* ignorant omnes, quibus utor, Mssi. Mox *victumque captumque* Berg. Tum *interfecit* iidem libri cum ed. Camp. Vide ad Epit. 73.

Recepit Hispanias decimo fere anno, quam coeptum est bel-

terfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam coeptum erat bellum. C. Cassius proconsul et Cn. Manlius praetor male adversus Spartacum pugnaverunt: idque bellum M. Crasso praetori mandatum est.

lum] *recepit Hispanos* Voss. Sed recte receptam scripturam reliqui tuentur. *Hispanias* numero plurali saepius Livius memoravit. Vide ad 28, 18, 9. et 30, 30, 13. Ex ejus lectione id hausit auctor Epitom. supra l. 26. *cui mandaretur Hispaniarum imperium.* ubi simili lapsu unus et alter codicum legebat *Hispanorum.* lib. 105. *Pompejo Hispaniae, Crasso Syria et Parthicum bellum, Caesari Gallia et Germania dabantur.* Tum vocem *quam* omittit idem Voss. cum Lov. 2. sed ejus loco *quo* legunt Berg. et Boend. Dein *coeptum erat* omnes scripti nostri, Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Basil. anni 1539. quae *coeptum est* dedit. Priscam igitur lectionem reduxi.

C. Cassius proconsul, Cn. Manlius praetor] Cassium Galliam Cisalpinam provinciam habuisse, et a Spartaco ad Alpes contendente victum vix fuga evasisse, narrat Plutarch. in Crasso. Orosius a Spartaco oppressum et interfectum dicit. DUKER. Addita conjunctione *proconsul et Cn.* legunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Tum *Malius praetor* Voss. *Gallius praetor* Boend. *Gallus praetor* ed. Camp. *Manilius praetor* ed. nupera Londinensis. In sequentibus vox *praetori* omittitur in Boend.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXI.

IN LOCUM LIBRI XCVI. T. LIVII.

U. c. 680. A. C. 72. L. Gellio, Cn. Cornelio Coff.

Fugitivorum copiae.

I. Haec eo anno gesta: et, quia funestas per Italiam clades senescens Sertorius et Luculli res florentes relevabant, minore externorum cura animi ad Spartaci opprimenda bella versi: tam validis jam fugitivorum opibus, ut ad septuaginta armatorum millia essent; bini exercitus, totidemque duces Italiam pervagarentur. Igitur, quamquam ambobus consulibus decretum id bellum cum duabus legionibus esset, Q. Arrio praetori etiam datae copiae sunt, imperiumque is seorsim a consulibus habere jussus. Consules tum erant L. Gellius Poplicola, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus.

Eorum magna pars cum duce Crixo caeditur.

II. Forte Germanicae cohortes duce Crixo per ferociam a Spartaco se abruperant, et circa Garganum montem cum triginta millibus armatorum praedas Crixus agebat. Idcirco L. Gellius consul cum praetore Arrio, repente incautos adorti, viginti hominum millia cum ipso duce, acerrime quidem repugnante illo, prostraverunt.

Spartacus ambos consules vincit.

III. Nec ideo minor adversus Spartacum moles supererat: qui, cavendi pugnandique egregius artifex, occasiones et eventus omnes prorsus imperatorio consilio ad suum commodum trahebat. Sed illi, per Apenninum ad Alpes tendenti, ut in Galliam evaderet, Lentulus consul se objecit: eumdem a tergo L. Gellius conclusit. Ille vicissim, cum ambobus conferta manu, utrumque magnis et pudendis cladibus adfecit,

---

Cap. I. Eutrop. l. 4. Appian. Civil. l. 1. Plut. Crasso. Oros. 5, 24. Appian. Liv. Epit. Cap. II. Plut. Appian. Plut. Oros. Liv. Epit. Appian.

cum duobus consulibus comparatus unus gladiator. Et priorem quidem Lentulum abegit, eumque castris et impedimentis omnibus exuit in Apennino: deinde, versus in Gellium, quamquam cum eo se Q. Arrius conjunxerat, utrumque collatis signis vicit. Post horum fugam, ut Romanis ostenderet, eidem ludibrio et ipsos obnoxios esse posse, per quod aliorum hominum sanguine tam immaniter abuterentur; per caussam placandorum Crixi manium, simul cujusdam matronae nobilis, quae a fugitivis per vim stuprata sibi manus intulerat, trecentos aut quadringentos ex captivis delectos circa rogum jussit armis depugnare. Ceteros ad unum omnes interfecit; impedimenta, praeter necessaria pauca, subdito igne cremavit, quo esset ad destinata expeditior. U. c. 680. A. C. 72.

IV. Nam, ne quid indignitatis abesset, de ipsa urbe Roma invadenda deliberabat. Neque leve discrimen erat, quum agmen centum viginti millium traheret: quamquam vulgo repudiare fugitivos solitus, quorum ad ipsum, si reciperentur, maximus numerus transibat. Idcirco duo consules, junctis copiis, in agro Piceno ei occurrerunt. Sed ille, licet eas magna clade profligasset, ad urbem ducere non est ausus: quia nondum ei satis suae vires placebant, nec exercitum adhuc ex sententia sua perarmaverat. alii quoque apparatus deerant: quum nullius civitatis populive auxilio, sed tantum corporibus fugitivorum atque convenarum, uteretur. *De urbe invadenda deliberat.*

V. Ergo, ut arma ceteraque bello opportuna compararet, Thurinos montes stativis locum cepit. oppidum pro horreo rerum omnium habuit: vicina late populando, a mercatoribus injuriam omnem prohibuit, praecipue qui aes et ferrum vendituri venirent. eas res care mercabatur: aurum argentumque importari, aut importatum emi a suis, severo edicto vetuerat.

VI. Dum in Italia hunc ad modum certatur, Hispaniam a Sertorio magis alienum scelus, quam Romanorum vis ac robur, vindicavit. Erat ille jam, ut diximus, infensus invisusque plerisque, quod deprehensas aut creditas in se conspirationes atrociter pu- *Sertorii exitus.*

Cap. III. Oros. Plut. Flor. 3, 20. Liv. Epit. Appian. Flor. Oros. Appian. Oros. Appian. Cap. IV. Flor. Appian. Oros. Appian. Cap. VI. Flor. 3, 22. Oros. 5, 23.

U. c. 680. A. C. 72. *Ministrorum dolo fit invisus suis.*

niverat. Igitur, alienatis semel animis, omnia ducis recte consulta ministrorum dolo atque contumacia in contrarium vertebant: Hispanique, propter tributa ac supplicia, quae, velut Sertorii jussu, acerbe exigebantur, deficiebant a partibus. ad hos revocandos qui mittebantur, de industria augebant iras, majoremque in modum irritatis barbaris revertebantur. Is dolor a pristinis moribus adeo deduxit Sertorium, ut saeviret in principum liberos, qui Oscae educabantur, et, parte interfecta, ceteros in servitutem venderet.

Caussa maturandarum insidiarum.

VII. Dum haec aguntur, Perperna praeter ceteros conjuratos in societatem consilii Manlium quemdam ex Sertorianis ducibus adsciverat. Deperibat adolescentis cujusdam turpi amore Manlius: eumque, ut magis sibi adjungeret, missos alios facere amatores hortatus est; unique, mox interfecto Sertorio, ad maximas opes perventuro, se dare. Eum sermonem Aufidio cuidam adolescens exposuit, in quem erat benevolentia propensior. Ille, non leviter ictus, (nam et ipse erat inter conjuratos, sed et Manlium esse nesciebat) dissimulata tamen conscientia, negat verbis hominis ventosi et levis adhibendam fidem esse. at, postquam adolescens Perpernam, Graecinum, aliosque participes secreti nominavit, non distulit pergere ad Perpernam, et admonere periculi, nisi mature praeverterent. *eo rem deductam, ut celari diu nequeat. occupandum Sertorium, aut pereundum insidiatoribus esse.*

VIII. Non dubitabat Perperna, quin vera praedicerentur. Et nuper quoque, submissis decem militibus, Sertorium interficere conatus, punitisque partim, partim fuga elapsis insidiatoribus, quamquam nondum erat proditus, ne proderetur, metuebat. Idcirco conjurationis duces, convocatis celeriter praecipuis consciorum, nihil cunctandum rati, componunt e vestigio fraudis ordinem: subornatoque idoneo homine, confictas literas Sertorio tradendas curant, quibus de magna victoria perscriptum erat, quam Sertorii quidam legatus, ingenti hostium numero debellato, reportasset.

Conjuratorum aestus.

Perperna Sertorium ad convivium invitat.

IX. Laetum ob haec et sacrificantem Sertorium cum amicis (erant autem ex conjuratorum numero) ad convivium invitat Perperna, multisque precibus vincit,

Cap. VI. Appian. Plut. Sertor. Cap. VIII. Appian. Plut. Cap. IX. Sall. Hist. 3, 15.

cit, ut ad gaudium ejus diei celebrandum condiceret. Igitur discubuere. Sertorius inferior in medio lecto accubuerat: supra eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo erat Antonius, et infra eum scriba Sertorii Versius: in imo scriba alter Maecenas, medius inter Tarquitium et dominum convivii Perpernam. U. c. 680. A. C. 72.

X. Erat ea quum Sertorii modestia, tum apud suos auctoritas, ut, eo praesente, verecunda et honesta omnia essent; nullae turpes facetiae, nulli clamores tumultusque audirentur. Sed eo tempore, ut initium rixarum conjurati facerent, inconditis sermonibus gestibusque, per simulationem ebrietatis, strepebant. Quum ad haec ille, sive offensus hac licentia, sive mentem eorum divinans, velut animum non adverteret, in lecto jaceret supinus; Perperna merum poposcit, et inter bibendum dimisit e manibus phialam, qui sonus perpetrandae caedis signum conjuratis erat. ac statim Antonius, qui in summo lecto accumbebat, destricto pugione Sertorium sauciavit: deinde convertentis se ad ictum, et surgere conantis manum utramque continuit, dum a reliquis conficeretur. Custodes corporis ejus, quos semper circa se habebat, eodem momento a praeparatis ad facinus occupati sunt. *Sertorius interficitur.*

XI. Ita Sertorius exuit vitam, octavum post annum, quam Hispanis se ducem praebere coeperat; magnus dux, et adversus duos imperatores, Pompejum et Metellum, saepe par, vel frequentius victor: ad ultimum defertus et proditus. Imperium partium ad M. Perpernam translatum est, quod homo vanus et ineptus olim concupiverat, nihil ei praestiturum, nisi ut, quantum ducem quanto inferior ipse sustulisset, intelligeretur. *Imperium defertur ad Perpernam.*

XII. Nec tamen illud tam infelix praemium sine contentione retulerat. Exercitus post indignam Sertorii caedem, ira in commiserationem versa, tumultuabatur, virtutem occisi et sua pericula reputando. *Mille experimentis constitisse, quantumlibet egregium exercitum, amoto duce, velut pulcrum corpus, adempto spiritu, marcere. Unum his temporibus fuisse Q. Sertorium, qui sine opibus, sine pecunia, sola virtute subnisus, terribilem populi Romani potentiam per tot annos sustinuisset. Pauperem, ex-* *Exercitus Sertorii necem aegre fert.*

Cap. X. Plut. Appian. Cap. XI. Liv. Epit. Eutrop. Liv. Epit. Plut. Cap. XII. Appian.

U. c. 680. A. C. 72. *sulem, desolatum, ex omni tempore, ex omni regione, tamquam miraculo quodam productas de nihilo copias excitare potuisse.*

Virtutes ejus deprae-dicat.

XIII. *Huic tot duces Romanos, tot legiones procubuisse: coactumque senatum, ut ipsa reipublicae firmamenta atque columina mitteret. Neque tamen aut veterem militiae gloriaeque Metellum, aut triumphalem Pompeji adolescentiam, quamquam junctis consiliis ac viribus, uni pares esse potuisse. Hoc defendente, absentiam a penatibus suis, a propinquis atque amicis, non exsilium, sed militiam, putavisse, bona spe fretos, aliquando fore, ut patriae domesticisque cum laetitia gloriaque restituantur.*

Se destitutum queritur.

XIV. *Nunc autem adeo spem illam omnem defluxisse, ut vix corpora sua libertatemque satis in tuto esse credant. Quem enim alium se habere, cui salutem suam committant? aut cui satis firmos humeros fore, ut post Sertorium tantam rerum molem sustineant ferantque?*

Perpernam contemnit.

XV. *Sane non deesse, qui praecipiti ambitione ad capessenda imperia ruant. Sed brevi appariturum, quanto majora viribus onera susceperint. Non enim majorum imaginibus, aut patrimonii magnitudine, sed solido robore animi, sapientibusque consiliis sustineri ac geri bella posse. Igitur, commutatis ducum artibus, fortunae quoque similem mutationem haud injuria timeri. Egregiam scilicet spem in successore ostendi, si Sertorium Perperna excipiat, summum virtum ducemque vulgaris.*

XVI. Haec Romanae copiae fremebant, majoribus et pluribus apud exteras querelis. Lusitani ante omnes, quod eorum praecipua semper opera Sertorius uti consueverat, *optimum imperatorem, fortissimum commilitonem, virtutis remuneratorem liberalissimum* requirebant. Ut vero, aperto Sertorii testamento, scriptum ab eo Perpernam haeredem fuisse innotuit, et detestatione tam ingrati facinoris magis exarserunt animi; nihil propius factum, quam ut poenas ab homicida suis manibus sumerent: nisi discurrens per contubernia cum ducibus Perperna quosdam donis, alios promissis, nonnullos etiam minis pacasset, etiam uno et altero, ad terrorem ceterorum, ferro interemptis. Deinde socios populos obeundo, quo illorum odia mitigaret, orsus ab Osca, ubi patrata caedes fuerat, conciones ubique blandas habuit; apertis carceribus, qui erant ab Sertorio vincti, dimisit; obsides civitatibus reddidit.

Perperna milites et socios conciliare nititur.

Cap. XVI. Vell. 2, 30. Appian.

XVII. Sed earum multae cum exsecratione nefarii hominis, missis ad Metellum Pompejumve legatis, in fidem Romanorum venere: praesertim ubi, sumpto imperio, Perperna statim crudelis apparuit, tribus illustribus viris, qui una ex urbe profugerant, fratrisque filio, interfectis. Igitur Metellus, adversus talem hostem duobus exercitibus rem non indigere judicans, diversam Hispaniae partem interim pacaturus, debellandum Pompejo reliquit. U. c. 680. A. C. 72. *Multae civitates ad Metellum Pompejumve desciscunt.*

XVIII. Inter hos per aliquot dies levibus certaminibus quum tentatae utrimque vires animique essent, decima die collatis signis dimicatum. neutri enim diutius rem differri placebat, quod Perpernam Pompejus sperneret; Perperna, donec in officio milites essent, eorum utendum opera arbitraretur. Sed ea pugna, temere a Perperna commissa, dignum auctoris imprudentia exitum habuit. Namque Pompejus, parte copiarum idoneis locis subsidere jussa, cum decem cohortibus processit: eamque velut escam ut objiceret hosti, sparsit per campum suos, et Perpernam spe hujus opprimendae manus illexit. Ita contracto certamine, quasi resistere non posset, hostem deduxit ad locum insidiarum: ibi ab utroque latere prorumpentibus, qui erant occultati, conversus Sertorianos ad internecionem cecidit. *Perperna vincitur.*

XIX. Perpernam, quum se non minus suorum, quam hostium, metu in sentibus abdidisset, quidam equites retraxerunt; probra dirasque cumulantibus, qui eum videbant, Sertorianis, *quod homo nihili praestantissimum virum dolo, ceteros omnes imperitia et stoliditate perdidisset.* At ille nihil aliud, quam ut salvus ad imperatorem deduceretur, postulabat. *habere enim se principum Romanorum literas, quibus Sertorius in Italiam accieretur.* Ibi prudentissime praesentibus usum esse Pompejum Roma judicavit, quod, priusquam in conspectum veniret Perperna, jussit hominem occidi: epistolas neque legit ipse, neque legendas concessit, sed continuo cremavit omnes; eoque facto novarum rerum oppressis seminibus, terrore atque sollicitudine ingenti respublica liberata est. Neque tamen defuerunt, qui carperent, *quod hominem, Sicilia sine certamine* *Captusque occiditur.*

Cap. XVII. Oros. Plut. Appian. Cap. XVIII. Plut. Pomp. Oros. Plut. Sertor. Cap. XIX. Appian. Plut. Pomp. et Sertor. Appian. Plut. Pomp. Supra, 89, 1.

U. c. 680. A. C. 72. *tradenda bene meritum, indemnatum occidisset.* Sed, adversus hanc criminationem, istud Pompeji factum et suae aetatis et sequentium judicia frequentibus suffragiis absolverunt. Sic Perperna poenas occiso per fraudem Sertorio dedit.

Reliqui etiam conjuratii male perierunt.

XX. Ceteros conjuratorum partim victor interemit, partim fuga tulit in Africam, ubi Maurorum jaculis confixi sunt. neque praeter Aufidium quisquam evasit; si modo evasisse dicendus est, qui, contemptus invisusque omnibus, in vico quodam barbarico consenuit. Reliquus Pompejo labor recipiendi dedentem se Hispaniam fuit. Osca, Termes, Tutia, Valentia, victoris se permiserunt potestati. duas, Uxamam et Calagurim, reliquiae partium validis praesidiis occupatas retinebant: quae deinde expugnatae.

Finis belli Sertoriani.

XXI. Hic finis ejus in Hispania belli fuit; quod, a fuga Sertorii ortum, decimo ferme anno cum ipse duce defecit: gravius haud dubie diuturniusque futurum, si longior ei viro vita suppeditasset. De his rebus quum senatui Pompejus scripsisset, multosque se virtutis caussa civitate Romana donavisse diceret; senatus mandavit consulibus, *ad populum ferrent, uti cives Romani essent ii, quibus Cn. Pompejus imperator de sententia consilia sigillatim civitatem dedisset.* Consules ad populum tulerunt, eaque lex accepta est.

Spartacus Manlium et Cassium vincit.

XXII. Ceterum Hispaniensis victoriae gaudium, ne nimium fieret, Italica clade temperatum est. C. Cassius proconsul, Cn. Manlius praetor male adversus Spartacum pugnarunt. Nec ultra de Cn. Manlio comperi. Cassius, Circumpadanae Galliae proconsul, contendenti ad Alpes Spartaco castra apud Mutinam opposuerat, decem militum millia ducens. Horum quum plerique cecidissent in acie, proconsul vix fuga evasisset, castra deleta sunt: et cum ingenti praeda fugitivi ad praesidia sua recesserunt.

Senatus vetat consules quidquam pro imperio agere.

XXIII. Senatus, ob tot acceptas a contemptissimo hominum genere clades pudore et metu sollicitus, et culpam in consules conferens, vetuit hos quidquam deinceps pro imperio agere. Nam, qui erat inter duos melior, Gellius tamen imperite gerebat rem, et ex-

Cap. XIX. Appian. Plut. Sertor. Cap. XX. Oros. Flor. Cap. XXI. Liv. Epit. Appian. Cic. pro Balbo, c. 8. Cap. XXII. Liv. Epit. Plut. Crasso. Flor. 3, 20. Oros. 5, 24. Plut. Cap. XXIII. Plut. Cat. Min.

ercitum in luxum ignaviamque labi patiebatur. Quare infensus ei militiae Cato, quum propter fratrem Caepionem, qui tribunus militum erat, nomen sponte dediſſet, honores et praemia, quae offerebat consul, accipere noluit: nihil iis dignum actum eſſe dictitans. Idcirco tantus ea tempeſtate terror urbem occupavit, non levius jam Spartaci arma, quam olim sub Hannibale Punica, timentibus, ut praetoriis comitiis candidati deeſſent. Ibi M. Licinius Craſſus, nobilitate ac divitiis inter primos, quum ad praeturam petendam providiſſet, summa hominum voluntate factus eſt. U. c. 680. A. C. 72.

XXIV. Sub idem tempus L. Lucullus, poſt fugam Mithridatis Nicomediam profectus, cum M. Cotta ceterisque ducibus Romanis de ratione belli consilio habito, ita partitus erat vires, ut ipse per Cappadociam et mediterranea provinciarum, cum maxima virium parte, imperii Mithridatici arcem peteret: M. Cotta ad recipiendam Heracleam iret: cum reliqua claſſe Triarius Mithridaticis navibus, ex Hispania et Creta redituris, insidiaretur. Neque defuerant, qui interquieſcendum arbitrarentur, reficiendosque ex nimio et continuo labore milites. sed Lucullus, utiliorem regi moram averſatus, per Bithyniam Galatiamque ad praesidia Mithridatis perrexit. *Lucullus cum aliis Romanis ducibus de Mithridatico bello consultas.*

XXV. Neque regi tempus per ignaviam terebatur, quin ab Amiſo legatos ad Scytharum regulos, Parthumque Arſacen, et generum Tigranem mitteret. Omnibus eadem mandata erant: *Aliis regibus atque nationibus, compluribus de cauſſis, pacem bellumque ſaepe mutari: raro ad cujusquam perniciem extendi odia; ſed, ubi ſatisfactum injuriis ſuis victor cenſeat, arma poni ſolere. Populo Romano cum reliquo terrarum orbe unum idemque perpetuum bellum eſſe, quod, niſi dominatione aut interitu illius, poni nequeat.* *Mithridatis mandata ad reges.*

XXVI. *Illum olim tantum aſtutia valuiſſe, ut, donec multis ſubjugatis gentibus in formidabilem potentiam exſurgeret, ſemper alios ab aliis disjunxerit, ne invicem ope ferenda imminens omnibus jugum, unius periculo, communi commodo, averterent. Ita deſertos deſtitutosque cepiſſe ſingulos, ut horum deinceps armis ac ſanguine etiam longius diſſitos aggrederetur. Sic Italiam primo redegiſſe ſub ſuas leges; mox variis coloribus inſulas, deinde Africam. poſtremo magnis auctibus Macedoniam, Achajam, Aſiam acceſſiſſe: remque eo deductam* *Romanorum aſtutiam criminatur.*

Cap. XXIII. Oros. Appian. Cap. XXIV. Memnon. Plut. Lucull. Cap. XXV. Appian. Mithrid. Memnon.

U. c. 680. A. C. 72.

esse, ut multi reges, tamquam pro ingenti beneficio, quod non ante supremam diem exuti fuerint opibus suis, haerede populo Romano decesserint.

Cui sit obviam eundum communiter.

XXVII. *Tanta potentia auctos Romanos non jam curare praetextum armorum, et decora nomina; sed satis habere, si, quamlibet injuste egisse crediti, appetitis potiantur. Quid enim sibi posse imputari? cujus patientia maximas contumelias simul injuriasque pertulerit, quo insignitior hostium iniquitas fieret. Igitur pro se unumquemque, et, quanto quis sit potentior, tanto impensius niti oportere, ut hi communes omnium hostes orbisque praedones opprimantur. Eoque animo esse debere pro se quemque, ut, quod ad hos retundendos auxiliorum suppeditaverit, non Mithridati magis, quam sibi ipsi primum, deinde publicae generis humani libertati, praestitum putet.*

Regum responsa.

XXVIII. Haec ad alios precibus exponenda mandata dedit: at Macharem, Bosporo imperantem, jure patris dominique excivit. Ceterum Parthus, procul a se periculum esse reputans, neque sapientis praeter necessitatem arcessere molestias, auxilia denegavit. Scythica moratus est Diocles, cui ea credita legatio fuerat: namque multo cum auro et praeclaris muneribus, quae ad regulos mittebantur, in castra Luculli transfugit. Tigranem diu tergiversantem filia Mithridatis expugnavit, ut societatem cum eo novam pacisceretur.

Luculli inopia primum, deinde copia.

XXIX. Interea, quo Luculli impetum retardaret, praefectorum quosdam cum equitatu misit, qui negotium ei facesserent. sed nihil aeque illum, quam fames, fatigabat, corruptis late, jussu regis, quae in ejus manus perventura fuerant: et multi commeatus insidiis latronum interierant. Igitur triginta millia Gallograecorum, singulos frumenti modios humeris portantium, sequi exercitum jussit. donec multis levibus certaminibus regios submovendo in regiones belli cladibus intactas penetravit. tantaque mox rerum omnium copia adfuit, ut bos denario, mancipium denariis quatuor emeretur, ceteraeque praedae ea vilitas esset, ut, quia distrahi nequibat, a militibus corrumperetur.

Themiscyram oppugnat.

XXX. Interea Lucullus Amisum et Eupatoriam obsidere coeperat, simul parte exercitus ad oppugnan-

Cap. XXVIII. Appian. Memnon. Appian. Memnon. Cap. XXIX. Plut. Sall. Hist. 2, 5. Plut. Appian. et Plut. Cap. XXX. Appian.

dam Themiſcyram miſſa, quae ad Thermodoontem fluvium Amazonis, a qua condita eſſet, habere nomen dicebatur. Hic operibus cuniculisque tentata omnia sunt, qui tam ampli fodiebantur, ut quandoque in eis velut subterraneae pugnae fierent. Eos obseſſi superne aperiebant, immiſſisque ursis, et aliis beſtiis, interdum et apum examinibus, eos, qui in opere erant, omni genere calamitatis vexabant. U. c. 680. A. C. 72.

XXXI. Circa Amiſum segnior obsidio erat, et Mithridates, audito, eam sine proeliis adsideri, recepto animo, Cabiris subſtiterat, alium exercitum colligens. Id Lucullus non aegre patiebatur, reprehendentibusque dicebat, conſulto se id agere, ne, rebus deſperatis, ad Tigranem confugiens hoſtis majorem belli molem concitaret. Igitur Mithridates, contractis quadraginta ferme peditum, octo equitum millibus, Diophantum et Taxilem cum novis copiis ad priores praefectos misit; a quibus Amiſum deſtinata subsidia, et frequentia equeſtria certamina, sed nullo eximio in alterutram partem momento, facta sunt. *Amisum obsidet.*

XXXII. Dum haec a Mithridate et Lucullo geruntur, M. Cotta proconſul Prusiada Bithyniae venit. inde, Pontici maris oram legens, ad Heracleam accessit. Ibi, quia pacati nihil respondebatur, adducto ad moenia exercitu, oppugnationem tentare non auſus, per partes Heracleam adſultabat, paucos subinde Romanos milites, sed magnum Bithynorum numerum, moenibus admovens. Sed, quum inani incepto nihil praeter vulnera reportaret, teſtudine effecta, adhibuit arietem, et turrim, quae adverſus vim non diu duratura videbatur, pulſare inſtituit. Sed, ubi semel iterumque percuſſa turris non modo praeter opinionem reſtitit, sed etiam arietis perfractum caput eſt, Heracleotae bono animo, proconsul iniquiore, eſſe coeperunt. *Cotta Heracleam oppugnat.*

XXXIII. Igitur quum poſtridie denuo fruſtra turrim verberaſſet, machinas cremari, architectorum praecidi capita juſſit; praesidiisque juxta muros conſtitutis, cum majore parte copiarum in campo Lycaeo conſedit, loco fertili, ad alendum militem copioſo. unde quum Heracleoticum agrum omnem evaſtaſſet, obſeſſi, penuria fatigati, denuo ad Cherſonesi incolas, et Theo- *Heracleotae penuria fatigantur.*

Cap. XXXI. Plut. Sall. Hiſt. 4, 1. Appian. Plut. Memnon.

U. c. 680. A. C. 72. dosianos, et, qui Bosporum accolebant, regulos, societatem et annonam petitum, miserunt.

Praesidiarii militis insolentia.

XXXIV. Et legato quidem satis fuit felix. ceterum oppidanos et hostes foris, et intra viscera crudelius praesidiarii milites angebant: qui, eodem, quo vulgus agebat, victu minime contenti, lautiores cibos ab egenis et famelicis hominibus vi ac verberibus extorquebant. Neque Connacorix praefectus ista cohibebat: quin ille deterrimus omnium gaudebat hac violentia, licentiaeque suorum impunitatem addiderat. Haec ferme his consulibus bello gesta sunt.

Judicia novaeque leges Romae.

XXXV. Res urbanas non tam parvitas earum, quam scriptorum penuria, tradi vetat. Ceterum inopia Romae laboratum, piratis maria pejus omni tempestate praecludentibus. Et judicia legesque novae civitatem inquietam habuerunt. Clodius quidam tribunus plebis sacerdotes virginesque Vestales, tamquam parum caste sacra facerent, ad populum criminabatur, et ad turbas haud exiguas res spectabat. Catilina quoque reus incesti, quod cum Fabia commisisset, accusabatur. Sed Clodium M. Cato, quum ingenium ejus propositumque multis verbis acriter coarguisset, desinere actiones suas coëgit. Catilina favore Catuli, et quia Terentia Ciceronis, soror erat Fabiae, absolutus est.

Catilina absolvitur incesti.

XXXVI. At consul Cn. Lentulus, perincertum stolidior, an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus remiserat, exigenda promulgavit. Verbum quoque in senatu Cn. Lentulus, L. Gellius consules fecerunt, placere statui, si Patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in provinciis rei fierent. Id Sthenii Thermitani caussa factum, de quo supra meminimus. Sed, impediente Verre patre, negotium omissum est. Eodem anno quum, perpetua magnarum urbium pestis, ignota et flagitiosa colluvies Romam inundaret, tribunorum plebis collegium edixit, non licere quemquam Romae esse, qui rei capitalis condemnatus esset.

De tribunitia potestate restituenda actum.

XXXVII. De tribunitia quoque restituenda potestate acriter actum: eamque rem M. Lollius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis, quam facundus,

Cap. XXXV. Flor. 3, 6. Plut. Cat. Min. c. 26. Sall. Catil. c. 15. Oros. 6, 3 Plut. Oros. Ascon. in Tog. Candid. Cap. XXXVI. Sall. Hist. 4, 1. Cic. in Verr. 2, 39. Supra 89, 6. Cic. ibid. 41. Cap. XXXVII. Ascon. in Divin. Sall. Incert. 9.

sed imperitorum auribus aptus, magnis clamoribus, et ad extremum felicibus, ursit, ut suo loco memorabimus.

U. c. 681. A. C. 71. Cn. Aufidio, P. Corlio Coss.

XXXVIII. Sequens annus Cn. Aufidium Orestem, P. Cornelium Lentulum consules vidit. Lentulo cognomentum Surae a caussa minime honesta accesserat: quia Sullanis temporibus quaestor magnam pecuniae publicae summam prodegerat: postulante deinde rationes Sulla, perfricta fronte dixerat, eas se non posse reddere, sed praebere suram, qua parte corporis pueri, si forte, dum pila se exercent, peccavissent, ex lege ludi verbera perferebant. Non igitur quaerendum est, cur, hoc consule, praetori M. Crasso servile demandarit bellum senatus: at collegam ejus Cn. Aufidium quae caussa removerit, difficilius sit dicere. Credo praelatum illi Crassum ob peritiam rei militaris fuisse, cujus jam ante haud contemnenda documenta dederat. et erat iis temporibus permagna Crassi auctoritas, proficiscentemque multi nobiles in bellum sponte sequuti sunt.

Surae cognomentum unde Lentulus habuerit.

XXXIX. Legiones in universum habebat octo: quippe priorum consulum exercitum novi delectus auxerant. Igitur, quia venturus in Picenum Spartacus erat, ut eum praeverteret, festinanter copiis ductis, legatum suum Mummium cum viginti cohortibus, ad circumveniendum a tergo hostem, diverso itinere misit, cum mandatis, ut, quum perventum esset, quo voluisset, Spartacum sequi contentus, a pugnando abstineret.

Mummius Crassi legatus.

XL. At ille, simul aliqua spes bene gerendae rei cupienti animo adlucere visa, spreto imperio, contulit signa, victusque multos amisit milites: plures, abjectis armis, ad Crassum refugerunt. Ille, Mummio acriter increpito, militibus alia dedit arma, sponsoresque exegit, ea non omissuros. Deinde quingentos, a quibus initium ortum fugae fuerat, sorte ductos, more majorum fusti percussit. Hoc propius fidem est, quam, quod alii, totum exercitum, legiones octo decimatas, ajunt, militumque ad millia quatuor eo supplicio periisse.

A Spartaco vincitur.

Cap. XXXVII. Cic. Bruto, c. 62. Cap. XXXVIII. Ascon. Plut. Cic. c. 22. Liv. Epit. Plut. Crasso. Cap. XXXIX. Appian. Civil. l. 1. Oros. 5, 24. Plut. Cap. XL. Polyb. l. 6. c. 35. Appian.

U. c. 681. A. C. 71. *Crassus fugitivos caedit.*

XLI. Nec alio tempore clarioribus documentis apparuit, quam salutaris sit severitas, ubi leniora remedia contemnuntur. Nam post hanc animadversionem, ducis majore, quam hostis, metu apud suos excitato, decem millia fugitivorum seorsim stativa habentium aggressus, sex millia eorum interfecit, cepitque nongentos. Reliqui quum ad ducem refugissent, Crassus in ipsum quoque intulit signa, prosperumque proelium fecit.

Spartacus in Siciliam trajicere conatur.

XLII. Tum Spartacus per Lucaniam ad fretum contendit, in Siciliam transiturus: quae insula ex bellorum servilium incendio, quo saepe et nuper erat agitata, multas adhuc scintillas velut sub cineribus alebat, exituras in flammam, si mediocri motu tamquam flabellis excitarentur. Igitur, quum forte praedatoria navigia venissent ad fretum, egit cum Cilicibus, ut certa mercede partem suorum, duo millia erat missurus, in insula exponerent. Sed, deceptus a Cilicibus, proposito excidit: quod illi post accepta munera, solutis navigiis, taciti abscesserant. Spartacus, (postquam ad trajiciendum rates ex cratibus fieri jussit, et dolia virgultis connecti, sed in rapidissimo freto fragile machinamentum cito dissolutum est) relicto litore, reduxit copias, et in Rheginorum peninsula consedit.

Sed circumvallatur a Crasso.

XLIII. Neque Crassus cunctanter insequutus, ubi locorum consideravit ingenium, maximo operi admolitus est manum, fossaque, pedes quindecim alta, latitudine pari, a mari ad mare per cervicem ducta, murum insuper excelsum firmissimumque adstruxit. ingentem laborem (quippe circa Bruttium angulum millibus quinque et triginta Italia patet) brevi tamen tempore severitas et industria ducis perfecit. Eos conatus a principio Spartacus deriserat. sed, ubi, consumpta proximorum locorum praeda, ne aliunde petere commeatum posset; interclusum se obsessumque conspexit, bis conatus erumpere, ut Samnium peteret, magna cum clade est repulsus. sub primam lucem sex amisit millia, totidem fere noctis initio; quum adeo facilis esset Romanis loco adjutis pugna, ut septem tantum gemino eo proelio vulnerati, tres

Cap. XLI. Oros. Appian. Cap. XLII. Plut. Flor. 3, 20. Plut. Cap. XLIII. Sall. Hist. 4, 18. Appian. Plut. Flor. Appian.

interempti tradantur. Nam virtute par, aut forte superior Spartaci miles fuerat, adeo nullius, quam pugnae, memor, ut e duodecim millibus trecentis caesorum negent plus, quam in duobus, aversa reperiri vulnera potuisse. U. c. 681. A. C. 71.

XLIV. Idcirco, non ausus ultra vim universam experiri, diversis partibus eruptionem minitando, subitis et continuis velitationibus vexabat Romanos, fascibusque in fossam injectis immittebat ignem, quo difficilior munientibus labor fieret. Deinde, ut suorum animos metu supplicii ad pervicaciam firmaret, e captivis Romanis unum medio inter duo castra spatio adfixit cruci, *ejusmodi supplicium neminem vivaturum esse* praedicans, *nisi qui e praesenti periculo virtute se explicassent.* Tandem, omnibus tentatis, noctem nivosam ventisque streperam nactus, partem fossae caesis captivorum pecorumque corporibus, materiaque injecta, et terra superadgesta complevit: partemque fere tertiam exercitus statim, deinde hujus praesidio reliquas copias, transduxit. *Et tamen erumpit.*

Cap. XLIII. Plut. Pomp. et Crasso. Cap. XLIV. Appian. Plut. Crasso. Frontin. Strat. 1, 5. 20. Plut. Crasso. Appian.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI SEPTIMI.

M. Crassus praetor primum cum parte fugitivorum, quae ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit, caesis hostium triginta quinque mil-

Ex Gallis Germanisque constabat] *ex Germanis Gallisque* solus Boend. Reliqui ordinem, qui vulgo obtinet, tuentur. Et hoc modo Frontin. 2, 5, 34. *Parte alia Gallos Germanosque ex factione Casti et Gannici eliceret ad pugnam.* Etiam Oros. 5, 24. *Gallos auxiliatores ejus Germanosque superavit.* quae verbotenus descripsit Freculph. part. 2. Chron. lib. 6, 16. Ceterum Epitome haec omissa erat in cod. Voss.

Caesis inimicorum triginta quinque millibus] Vet. lib. *hostium.* SIGON. Similiter scripti mei, Exc. Pithoei, et ed. Campani. Vide ad Epit. 110. Deinde *quindecim millibus* Leid. Male. Front. loc. laud. *Triginta quinque millia armatorum eo proelio interfecta cum ipsis ducibus, Livius tradit.* Alii numerum minorem ediderunt. Oros. 5, 24. *E quibus triginta millia hominum cum ipsis ducibus occidit.* Freculph. l. laud. ab eo dissentiens, XXXIII. millia hominum occisa memorat. τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις καὶ μυρίοις interfectos refert Plut. in Crass. pag. 549.

Et duce eorum Granico] Plutarchus [pag. 549.] eum *Cannicium* appellare videtur: ὧν ἀφηγοῦντο Καννίκιος καὶ Κάσσος. Gudiani *Ganico.* J. FR. GRON. V. adnotata ad Frontin. 2. Strateg. 4, 7. et 2, 5, 34. Plutarchus scribit, eos, qui *C. Cannicio* et *Casto* ducibus a Spartaco secesserant, Gallos scilicet et Germanos, ut ait Frontinus, a Crasso victos fuisse. Sed praenomen Γάϊος, quod *Cannicio* addit Plutarchus, nec Gallo, nec Germano convenit. Fuit fortassis *C. Cannicii* alicujus libertus, vel unus e colluvie ingenuorum Italicorum; quos ad Spartacum confluxisse, Appianus auctor est. DUKER. *et ducibus eorum, et Gannico* Leid. *et ducibus eorum caesis et Gannico* Lovel. 2. *et ducibus eorum caesis Sacico* Boend. *et duce eorum caesis. Gannido cum Spartacho* Berg. *Gannico*, pro *Granico*, etiam Exc. Pithoei. *et duce eorum Eranico* ed. Campani.

Cum Spartaco deinde bellavit] Clariss. Jac. Perizonius ad marginem Livii legendum conjecit *dein debellavit.* Idem etiam Crevierio in mentem venit, qui et in contextum recepit. Verum τὸ *dein*, quod Livio frequens est, aut numquam, aut rarissime in Epitomis obcurrit. Potius igitur legendum puto *deinde debellavit*, ut postrema prioris vocis syllaba primam sequentis eliserit. Simile exemplum habuimus supra apud Liv. ad 40, 50, 5.

libus, et duce eorum Granico. Cum Spartaco deinde bellavit, caesis cum ipso millibus sexaginta. M. Antonius praetor bellum adversus Cretenses, parum prospere susceptum, morte sua finivit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, caesis hostium amplius quam sexaginta millibus. M. Crassus et Cn. Pompejus consules facti (sed Pom-

Caesis cum ipso millibus quadraginta] Vet. lib. *LXXX.* Orosius *LX. millia* cecidisse arbitratur. DELR. *caesi cum ipsis LXX milibus* Boend. *caesis cum ipso LXX millibus* ed. Camp. *caesis cum ipso LX* Lov. 2. *caesis cum ipso LXM.* Berg. *caesis cum ipso sexaginta millibus* Leid. Et hunc numerum edidit Oros. 5, 24. *Novissime ipsum Spartacum, disposita acie congressum, maximasque cum eo fugitivorum copias perculit. Nam sexaginta millia eorum caesa, sex millia capta referuntur. tria millia civium Romanorum recepta sunt.* Ex quo id totidem verbis repetiit Freculph. in Chron. part. 2. lib. 6. cap. 16. Eutrop. 6, 7. *Multis ducibus et duobus simul Romanorum consulibus victis, sexaginta fere millium armatorum exercitum congregaverunt, victique sunt in Apulia a M. Licinio Crasso proconsule.* Plurium itaque codicum, laudatorumque historicorum auctoritate permoveor, ut credam, in vulgata scriptura errorem commissum, et, transpositis numerorum notis, *LX*, pro *XL*, legendum esse, et emendandum similiter Vell. Paterc. 2, 30. *Quorum* (fugitivorum) *numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo dimicavere acie, LX millia hominum se Romano exercitui opposuerint. Hujus patrati gloria penes M. Crassum fuit.* ubi nunc editur *XL millia*, et viri docti *XC millia* scribendum conjiciunt. Quod nec ipsum displicet, Caesorum numerum iniri non potuisse, testis est Appian. 1. B. Civ. 426. Ceterum, librarios numerorum notas *LX* et *XL* alibi confundere solitos fuisse, docuimus supra ad 10, 38, 4. et 36, 40, 12. Idem error obcurrit infra Epit. 98. 99.

Bellum adversus Cretenses parum prospere susceptum] Ita Gruterus edidit, cum quo fecisse videtur Leid. unde nihil in excerptis ad hunc locum notatur. Antea edebatur *parum prospere gestum*, quod superest in Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et Norv. Ascon. ad Cic. Divin. in Caecil. 17. Antonius *rem inauditam invasit, et, indicto Cretensibus bello, male re gesta ibidem periit.* Mox *morte sua finiit* Leid. *morte sua finit* Lov. 2. *sua morte finivit* Berg. Deinde voces *proconsul Thracas subegit. L. Lucullus* desunt in Boend. culpa librarii, cui fraudi fuit repetita vox *Lucullus.* V. ad Livii 9, 11. 11.

Caesis hostium amplius quam sexaginta millibus] *To quam* non video in Gudiano. J. FR. GRON. Vocula *quam* non neces-

pejus, antequam quaesturam gereret, ex equite Romano) tribunitiam potestatem restituerunt. Judicia

saria quidem est; eam tamen omnes Msti mei constanter servant. Unius itaque fide eam expungere non audeo.

M. Crassus et Cn. Pompejus consules facti sunt sicut Pompejus* etc. *restituerunt*] Locus mutilatus, merito asterisco notatus. Vetusti libri nihil varietatis habent, nisi quod *facti sic* ibi est. Ex quo colligo, ita esse legendum: *M. Crassus et Cn. Pompejus consules facti, ut Crassus ex praetura, sic Pompejus, antequam quaesturam gereret, ex equite Romano, tribuniciam potestatem restituerunt.* Eamdem enim rem, ut memorabilem, edit etiam Appian. lib. 1, [426.] hoc modo: Ἐς δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελον. ὁ μὲν ἐστρατηγηκὼς κατὰ τὸν νόμον Σύλλα, ὁ δὲ Πομπήϊος ὄυτε στρατηγήσας, ὄυτε ταμιεύσας, ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοὺς τριάκοντα. Id est, *Consulatum autem ambo se petituros esse professi sunt: is quidem, cum praetor ex lege Sullae fuisset; Pompejus autem, neque praetura, neque quaestura perfunctus, anno aetatis quarto et tricesimo.* Puto tamen legendum *sexto et tricesimo:* quod quisque intelliget, qui aut ortum aut obitum Pompeji cum primo consulatu ejus conferet. Duabus ergo legibus solutus est: una, quod praeturam non gesserat; altera, quod ante annos aetatis legitimos factus est. Quare merito pro Pompejo ait Cic. [pro l. Manil. 21.] *Quid tam singulare, quam ut ex S. C. legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset?* SIGON. Locum sola interpunctione, frustra sudante Sigonio, sic sanabam. divisa una voce *sicut* in duas: *M. Crassus et Cn. Pompejus consules facti sunt sic, ut Pompejus, antequam quaesturam gereret, ex equite Romano.* PIGH. in Annal. ad A. V. ıɔclxxxiii. pag. 310. Locus hic stigmatus est, et asterisco notari jussus Caroli Sigonii auctoritate: cujus viri etsi summa est apud me, ut esse debet, auctoritas, tamen fas sit interdum sine malevolentia dissentire. Si legas, et interpungas, voce *sicut* diducta in duas *sic, ut*, planus erit sensus; tametsi non inficior, verum esse, quod Sigonius adjicit, ut *Crassus ex praetura.* Dein evincit librorum, quos Carolus adhibuit, fides, qui *facti sic* integre praeferunt, ut divisam appareat dictionem, sensu plana. ANDR. SCHOTTUS lib. 3. Observ. Human. c. 6. Totum hoc [*ut Crassus ex praetura, sic*] de conjectura interposuit Sigonius, cujus nullum aliud habet argumentum, quam quod in veteri libro invenit *facti sic*, pro *facti sunt.* Mihi vero videtur, cur de Crasso adderet hoc auctor, caussam nullam habuisse, cum ille per eosdem gradus et articulos productus sit, per quos omnes vulgo. Delendum potius aliquid, quam infulciendum, hoc modo: *consules facti (Pompejus, antequam quaesturam gereret, ex equite Romano) tribuniciam potestatem restituerunt.* J. FR. GRON. Et supplementum, quod interponit Sigonius, et ejectio vocis *sicut*, quae placet Gronovio, nullius codicis testimonio firmatur. Nec facile quemquam probaturum puto, quod Pighio et mox Schotto in mentem venit, quum ita vix sensus constet. In eo etiam Schottus erravit, quod locum auctoritate Sigonii asteri-

quoque per L. Aureliam Cottam praetorem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates, despe-

seo notatum scribat, quum Frobenius diu ante Sigonium anno 1531. cum apposuerit, et reliqui post Frobenium editores servarint usque ad Sigonium; qui, asterisco sublato, plures ex conjectura voces substituit. *consules facti, sicut Pompejus* praeferunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. sed egregie *consules facti, sed Pompejus* Leid. Hinc, recepta Gronovii distinctione, legendum est: *M. Crassus et Cn. Pompejus consules facti (sed Pompejus, antequam quaesturam gereret, ex equite Romano) tribunitiam potestatem restituerunt.* Quod etiam in contextum recipere non dubitavi.

Per M. Aurelium Cottam] Lege *L. Aurelium.* Paedianus enim pro Cornelio: *Fuerunt tres fratres C. M. et L. Aurelius Cotta, is qui lege sua judicia inter tres ordines communicavit, adeptique sunt omnes consulatum.* SIG. Post decem annos, quam a Sulla equitibus adempta, et ad senatum translata fuerant. Nam tot annos numerat Cicero Act. 1. in Verr. 13. a lege Sullae ad eum, quo ipse Verrem accusavit, id est, ad A. V. ɔɔCLXXXIII. Pompejo et Crasso, utroque primum, consulibus; quo anno Cottam legem de judiciis promulgasse, e lib. 2. in Verr. 71. 3, 96, et 5, 69. constat. Quod autem hic judicia per Cottam *ad equites Romanos translata* dicuntur, non habet hanc sententiam, post legem Aureliam solos equites judices fuisse, ut post legem C. Gracchi, qui judicia a senatu ad equites transtulerat. Certum enim est, lege Aurelia judicia inter tres ordines, senatum, equites et tribunos aerarios, communicata fuisse. Hoc ex Asconio in Divinationem Ciceronis in Caecilium cap. 3. ad Orat. in Pison. cap. 39. et ad Cornelianam dudum docuerunt Budaeus ad l. 18. §. 14. D. de Munerib. et Manutius de Legib. Rom. cap. 15. et etiam ex eo apertum est, quod Cic. 1. Philipp. 8. centurionibus quoque in tertia decuria judicum lege Aurelia judicatum patuisse dicit. Et ex ea deinde per multos annos lectos fuisse, qui res judicarent, ostendunt exempla judiciorum apud Cic. 1. ad Att. 16, 2. ad Q. Fratr. 5. et 16. et apud Ascon. ad Orat. pro Scauro et Milon. in extremo. Julius Caesar demum, teste Sueton. in vita illius cap. 41. sublatis tribunis aerariis judicia ad duo genera judicum, senatores et equites, redegit: quod ab illo post victoriam de Scipione et Juba factum tradit Dio lib. 43. pag. 226. Haec igitur quum sine controversia vera sint, quaeri potest, quid sit, quod auctor Epit. Liv. hic scribit, judicia per L. Aurelium Cottam *ad equites Romanos translata* esse? Nam *judicia transferri* dicuntur, quum ademta ordini, e quo solo judices antea legebantur, ita ad alium ordinem transferuntur, ut deinde ex eo, penes quem ante fuerant, nemo judex esse possit. Cicero Act. 1. in Verr. 13. de Sulla: *Inter decem annos, posteaquam judicia ad senatum translata sunt.* Et ibid. *Judiciis ad senatorium ordinem translatis.* Florus 3, 13, 8. de C. Graccho: *A senatu in equitem translata judiciorum potestas.* Vellejus 2, 6. de eodem: *Judicia a senatu transferebat ad equites* Idem 2, 14. de Druso: *Quum judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem cuperet.* et cap. 32. *Munus judicandi, quod C. Gracchus ereptum,*

ratione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniae regem confugit.

JO-

senatui ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerant. Vir longe doctissimus Anton. Augustinus in libro de Legibus sub lege Aurelia in Epitoma non male scriptum dicit, *judicia per Cottam ad equites Romanos translata* esse, quum majori ex parte equites judicarent. Sed hoc testimoniis scriptorum veterum confirmandum fuisse puto. Magis huc pertinet, primum, quod *judicia* non semper eadem significatione *transferri* dicuntur. Nam ita Cic. Act. 1. in Verr. 8. ad hanc legem respiciens, *Etenim quis poterit*, inquit, *Verre absoluto, de transferendis judiciis dubitare?* lib. 1. in Verr. 2. *Desinemus nos de judiciis transferendis recusare.* Et ibid. cap. 8. *Ut judicia a vobis* (senatoribus) *auferantur.* Deinde quod Cicero quoque Divin. in Caecil. cap. 3. lib. 5. in Verr. 69. et Ascon. ad Act. 1. in Verr. 1. quae loca observavit Manutius, de hac lege agentes tantum unum ordinem memorant, quasi Cotta eum solum res judicare voluerit, aut is solus post legem illius indicaverit. Nec Cicero his locis tantum ita loquitur, verum etiam 1. Act. in Verr. 16, 2. Verr. 71. et 3. Verr. 96. ubi ita scriptum est: *Quid possumus contra istum praetorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui rempublicam negat sistere posse, ni ad equestrem ordinem judicia referantur?* Sic post Ciceronem Tacit. 11. Annal. 22. *Post lege Sullae viginti* [quaestores] *creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat, et quamquam equites judicia recuperavissent, quaestura tamen* etc. Et Plutarch. in Pompejo de primo illius consulatu: *Τὰς δίκας περιεῖδον αὖθις εἰς τοὺς ἱππέας νόμῳ μεταφερομένας.* Quapropter eo minus mirum videri debet, interdum tantum duos ordines, senatorium et equestrem, nominari, et tribunos aerarios praeteriri. Hoc e Cic. pro Cluent. cap. 43. ostendit, et ex eo Vellejum, qui 2, 32. Cottam *munus judicandi aequaliter inter utrumque ordinem partitum* fuisse scribit, ita interpretatur Manutius, eum tribunos aerarios non nominasse quidem, sed tamen non exclusisse. Hanc interpretationem loci Vellejani veram esse, et etiam eo confirmari posse arbitror, quod Cicero in eadem Orat. cap. 47. L. Gellio et Cn. Cornelio Lentulo censoribus, id est Pompejo et Crasso consulibus, judicia *cum ordine equestri* communicata esse dicit, nec mentionem tribunorum aerariorum facit. Ad haec si animum advertisset Lipsius, abstinuisset, credo, conjectura in Vellejo, nec, pro *inter utrumque ordinem partitus est*, legendum putasset *inter ordines partitus est.* Quod autem Vellejus Cottam *munus judicandi aequaliter inter utrumque ordinem partitum* fuisse tradit, haud scio, an ita accipi possit, eum ex utroque ordine parem numerum judicum legi voluisse. Nec tamen aliud hujus opinionis argumentum habeo, quam quod id videtur colligi e numero judicum ex utroque ordine in judiciis, quae ad Orat. Ciceronis pro Scauro et pro Milone memorat Asconius. DUK. *per M. Aurelium Cottam*, ut ante Sigonium edebatur, servant Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et Norv.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXII.

IN LOCUM LIBRI XCVII. T. LIVII.

I. Eruptione Spartaci recruduit in urbe consternatio, quam M. Crassi res prosperae, et praeclusi muro fossaque fugitivi paullisper consopiverant. Et quoniam ipse quoque Crassus, ne Romam properaret hostis, metuebat, et, *ad hoc incendium exstinguendum*, *Cn. Pompejum ex Hispania*, *M. Lucullum ex Thracia evocari oportere*, senatui scripserat: minime dubitatum est, quin utrumque eum imperatorem publicis literis acciri oporteret. Interim M. Crassus, discordia fugitivorum confirmatus, quod Gallicae Germanicaeque copiae, ne Crixi quidem interitu colere Spartacum doctae, ab ipso discesserant; subito has adortus fudit fugavitque a lacu quodam, ubi locum castris ceperant. is lacus, alternante natura, quandoque salsas, aliis temporibus potabiles habere aquas dicitur. Sed superveniens summa contentione Spartacus turbatum exercitum, ne magna aliqua strage plecteretur, vincenti Crasso eripuit.

U. c. 681. A. C. 71.

Crassus partem fugitivorum fundit.

Sed Spartacus subvenit victis.

II. In summa tamen potior ad pereundum ferocia dissentientium, quam ad servandum diligentia Spartaci fuit. Ne recenti quidem beneficio moti castra seorsim habere perseverant, Spartacum contemnunt, Granico et Casto ducibus confidunt. Igitur Crassus, abruptas a duce copias deleri posse facile ratus, his insidiabatur. Spartacus, quamquam suorum contumacia doleret, tamen ob commune periculum ita agebat, ut, quando eodem vallo eos continere non poterat, haud longius inde, quam locorum commoditas

Cap. I. Appian. Civil. l. 1. Plut. Crasso. Appian. et Cic. pro L. Manil. c. 11. Plut. Liv. Epit. Oros. 5, 24. Plut. Cap. II. Liv. Epit. Frontin. 2, 4. 7. et 5. 34. Plut. Frontin. 2, 5. 34.

U. c. 681. A. C. 71.

ferret, castra metaretur. Igitur, illis in agro Crotoniensi castra habentibus, ipse haud magno inde intervallo confedit.

Tamen iterum insidiatur illis Crassus.

III. Crassus, divisis et ipse copiis, castris hostium bina castra opposuerat, ita partitus, ut majorem numerum contra Spartacum haberet, contra Castum et Granicum multitudine ac virtute inferiores collocaret. Sed, ubi tempus opportunum venisse putavit, quo minores illi duces opprimi possent, noctu commutavit copias, relicto tamen in majoribus castris praetorio, ut ibi esse imperatorem cum validiore parte exercitus Spartacus crederet. C. deinde Pomptinum et C. Marcium Ruffum legatos, cum cohortibus quingenariis duodecim, post montem circummittit. L. Quintium cum parte equitatus ludificare Spartacum jubet; cum alia parte Gallos Germanosque ad pugnam elicere; mox cedendo ad radices montis ducere, ubi ipse cum legionibus instructis erat opperiturus.

Et, adjuvante fortuna,

IV. Rectum ducis consilium industria legatorum et temeritas hostium propositi compos fecit. Refugientes ex composito equites, incomposito agmine sequentem hostem quum ad dictum locum pertraxissent, in latera discesserunt: sublatoque clamore, Romana acies excepit barbaros. neque potuisset opportunius res cadere, magno in periculo futuris, qui cum Pomptino Ruffoque erant, si nunciari adventus eorum nondum occupatis hostibus potuisset. namque in eo quum summa spei consistere videretur, ut euntes, quo mittebantur, deinde prorumpentes fallerent hostem, eaque de caussa galeas frondibus contexissent; forte conspecti a duabus Gallicis mulierculis erant, quae, lumine etiam tum incerto, conventum vitantes ad menstrua pro exercitus salute vota solvenda montem adscenderunt. Sed, pugna jam coepta in tempore decurrentes, tantum fugitivorum exercitui terroris intulerunt, ut caedes inde potius, quam pugna, esset. Triginta quinque millia armatorum cum ipsis ducibus eo proelio interfecta; receptae quinque aquilae Romanae, signa sex et viginti, multa praeterea spolia, inter quae quinque fasces cum securibus.

Multa hostium millia delet.

V. Quum per se magna victoria esset, viam patte-

Cap. III. Plut. Frontin. 2, 4. 7. Frontin. 2, 5. 34. Cap. IV. Sall. Hist. 4, 11. Frontin. 2, 4. 7. Liv. Epit. Oros. Frontin. 2, 5. 34.

fecit ad majorem, neque diu post cum Spartaco debellatum. Crassus enim, poenitens consilii, quod alios advocari duces jussisset, post tantas hostium copias deletas plenus alacritatis ac spei, summa vi instabat reliquis, ut, priusquam Pompejus venisset, cetera belli conficerentur. U. c. 681. A. C. 71.

VI. Res enim Hispaniae interim in eum statum venerant, ut, omnibus ferme compositis, paucissimae hostium reliquiae essent. Duae praesertim urbes, Uxama et Calaguris, resistebant. sed Uxamam Pompejus evertit. Calaguritani, diu ab Afranio circumsessi, non ante capi potuerunt, quam ad extremam necessariorum inopiam compellerentur. Nam eo feritatis redegit fames, ut, nullo jam alio in urbe animali reliquo, uxorum liberorumque corporibus vescerentur; et, parte consumpta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent. Haec scelera nihilominus perituri patrare, quam victoris experiri clementiam, maluerunt. Idcirco, tandem expugnata urbe, interfecti omnes, oppidum ipsum incensum atque deletum. *Calaguritanorum pertinacia.*

VII. Interim, deducto reliquo exercitu, Pompejus, quum ad montes Pyrenaeos pervenisset, oppidum de suo nomine condidit (Pompelonem obtinuit vocari, hodie Pamplona est, regni Navarrae caput) et tropaea excitavit, quibus *oppida octingenta septuaginta sex, ab Alpibus ad fines ulterioris Hispaniae, in ditionem redegisse* inscripsit: Sertorii nomine dissimulato, quod de Romano tropaeum erigi incivile judicabat, quamquam in eo victo plus gloriae, quam in tot receptis oppidis, esset. *Pompejus exercitum deducis ex Hispania.*

VIII. Transgressus in Italiam Pompejus summa populi laetitia exceptus est; non ob illustrem modo victoriam, bellumque civile, quod omnia externa conciebat, penitus sublatum; sed quia tribunitiae potestatis, quam restitui flagrantissime cupiebant, futurus auctor existimabatur: eaque res jam olim dilata in adventum ejus fuerat. Quo majore studio populus, ut dignitatem ejus augeret, proficisci eum in expeditionem adversus Spartacum jussit. Strepebant quotidia-

Cap. V. Liv. Epit. Plut. Pomp. c. 32. Cap. VI. Oros. 5, 23. Jul. Exuperant. Oros. Flor. 3, 22. Val. Max. 7, 6. Sall. Hist. 3, 1. et 4, 1. Oros. Jul. Exuperant. Cap. VII. Biblioth. Hisp. Andr. Schotti, 1, 4. Plin. 7, 26. Cap. VIII. Plut. Pomp. Sall. Hist. 3. in Orat. Macri. Appian. Civil. l. 1.

U. c. 681. A. C. 72. nis concionibus tribuni plebis, *hunc unum optimum imperatorem, quocumque se vertisset, certam victoriam trahere: simulatque conspectus a fugitivis esset, debellatum fore.*

Crassus festinat, ne Pompejus accederet gloriae particeps.

IX. Eo diligentior Crassus instare Spartaco, festinare, ne penes alium confecti belli gloria foret. Neque minus apud fugitivos properabatur. Forte Spartacus post sociorum cladem, quum ad Petellinos montes se reciperet, insequutos L. Quintium et Tremellium Scrofam Crassi quaestorem fuderat. Ab hac victoria spiritus adeo creverunt fugitivorum, ut progressum in Calabriam ducem convertere agmen, et incedenti per Lucaniam Crasso occurrere cogerent. Neque prorsus carebat ratione consilium, quia, instante jam Pompejo, cunctantibus nulla spes effugii, pugnae quoque sors durior ostendebatur. Sed Spartacus, conditionibus tentatis, et aspernante Crasso, Brundisium petebat: quum, suorum clamoribus victus, in Lucaniam referri signa jussit, et ad caput Silari amnis castra metatus est. Nam ad Brundisium contendentem fama appulsi e Thracia Luculli perculerat.

Spartacus conditiones tentat, negante Crasso.

Spartaci extrema pugna.

X. Idcirco Crassus, cognito hostis adventu, nihil moratus, castra castris contulit, et, quo magis ad pugnam irritaret feroces animos, circumvallare hostem orsus est. Ita prohibentibus opus fugitivis, quum, inter paucos orto certamine, vicissitudo victoriae plures subinde alliceret; Spartacus, universo exercitu educto, et equitatu, qui nuper ad eum accesserat, in cornibus locato, ipse inter pedites stetit: acieque structa equum admotum sua manu confodit, *si quidem victus esset, non amplius usurum eo* dicens; *victorem multos habiturum et bonos.*

Ejusque mors, et fugitivorum clades.

XI. Pugna fuit vehementer anceps, donec Spartacus superfuit, qua forte Romanum imperatorem agere conspexerat, viam ferro muniens. Sed postea quam, duobus centurionibus, qui pro Crasso propugnabant, impigre caesis, penetrare ad illum nequivit, sauciumque femur submisso genu fulciens, concursu hostium est interfectus; fugitivorum turbatis metu ordinibus, nihil postea nisi caedes fuit. Quadraginta millia eo proelio caesa sunt. Victores circiter mille ceciderunt. pro his tria civium Romanorum millia, qui in vincu-

Cap. VIII. Plut. Crasso, c. 20. Cap. IX. Appian. Oros. 5, 24. Appian. Cap. X. Plut. Cap. XI. Appian. Athen. 6, 21. Liv. Epit. Oros.

lis apud Spartacum fuerant, recepta. cadaver Spartaci non potuit reperiri. U. c. 681. A. C. 71.

XII. At, qui supererant proelio, fugitivi diversa, uti solet rebus perditis, capessunt. namque alii, fiducia gnaritatis locorum, occultam fugam sparsi, alii globis eruptionem tentavere. Sic agmina ferme quadraginta facta; quos Crassus aliique duces, veluti feras in montibus et silvis indagando, plerosque omnes aut interemerunt, aut abripuerunt vinctos. Unus in agro Lucano constiterat, gnarus loci, nomine Publipor. ad hunc magna manus fugitivorum se aggregaverat, ut quinque circiter hominum millia essent. Sed hos Pompejus obtrivit, forte cum exercitu superveniens, scripsitque senatui, *fusos a Crasso fugitivos, a se radices excisas esse belli.* Ita tandem illud formidabile belli servilis incendium multo utrimque sanguine restinctum est. sexaginta millia fugitivorum cum Spartaco et post illum caesa sunt: capta sex millia; quos victores tota via, quae Romam a Capua ducit, dispositis crucibus adfixerunt.

Fugitivi, per globos sparsi, circumveniuntur.

Quosdam et Pompejus concidit.

XIII. Crassus, sextum intra mensem Italia tantis cladibus metuque liberata, jam se non imparem Pompeji gloriae ferebat, ex praetura, sicuti per legem Corneliam licebat, consulatum petiturus, competitore Pompejo: quamquam hic nullum ante magistratum gesserat, neque legitimam aetatem habebat; sed magnitudine rerum gestarum, et favore populi, ob hoc quoque flagrantiore, quod haud obscure se auctorem restituendae tribunitiae potestatis profitebatur. Nec ille civium exspectationi defuit, quin statim eo de negotio verba faceret, quum primam concionem ad urbem consul designatus habuit. Sed huic destinationi complures, interque eos homo sapientissimus atque amplissimus Q. Catulus, adversabantur.

XIV. Inter haec de M. Antonio tristes nuncii venerunt, qui post Siciliam Graecosque Asiaticos, studio donandi rapiendique, in utroque immodicus, despoliatos, Cretensibus bellum intulerat. Favisse Mithridati videbantur, permisso, ut bellum Romanis fa-

M. Antonius Cretensibus bellum infert.

Cap. XI. Flor. 3, 20. Cap. XII. Appian. Oros. Appian. Sall. Hist. 3, 1. Appian. Oros. Sallust. Plut. Crass. et Pomp. Oros. Appian. Cap. XIII. Cic. Act. 1. in Verr. c. 15. et ibi Ascon. Cap. XIV. Liv. Epit. Cic. in Verr. 2, 3. et ibi Ascon. Sall. Incert. 29.

U. c. 681. A. C. 71. cienti juventus sua militaret. Piratas etiam, Mithridaticarum partium genus, quum persequeretur eos Antonius, aperte defenderant, dimissis cum superbo responso legatis, quos ea de re questum Antonius miserat. Is Antonius filius M. Antonii oratoris erat, clarissimi viri; sed neutiquam patri similis: quumque fratres etiam duos haudquaquam probatae vitae haberet, ipse omnium erat corruptissimus, ut perdundae pecuniae genitus videretur. Idem vacuus curis, nisi instantibus, tam contemptim adortus Cretam fuerat, ut plures in navibus catenas, quam arma, portaret. Quam vecordiam celerrima poena consequuta est. pleraeque enim naves a Cretensibus captae sunt, remulcoque in portus tractae, quum, velut imitatione quadam triumphi, captiva corpora, velis et funibus suspensa, eminus visentibus spectaculo essent.

Sed victus aegritudine animi moritur.

XV. Infelix proelium, et pudor mox injussu senatus populique factae pacis, aegritudine animi ad corporis quoque subruendam valetudinem Antonio caussam praebuit: hominemque, multa contra sociorum salutem, et contra provinciarum utilitatem, et facientem, et cogitantem, in mediis ejus injuriis et cupiditatibus mors oppressit. Tamen Cretici cognomentum ab hac expeditione retulit, non victoriae argumentum, sed belli temere suscepti.

M. Luculli gesta in Thracia.

XVI. At a duobus Lucullis honestius laudabiliusque gesta respublica est; quorum Marcus Macedoniam provinciam, Lucius Mithridaticum bellum obtinebant. M. Lucullus, qui Curioni successerat, majoribus per Thraciam rebus, quam ullus ante eum imperator gesserat, justissimum triumphum meruit. Quippe, Getis, qui et Mysi vocabantur, superatis, Bessos, nationem ferocissimam, primus Romanorum ducum bello petiit, eosque in Haemo monte ingenti proelio fregit. Sic receptis in deditionem Haemimontanis, Eumolpiadem, quae postea Philippopolis dicta est; mox Uscudamam, quae Hadrianopolis est appellata, eodem, quo aggressus erat, die expugnavit.

Cap. XIV. Plut. Anton. c. 1. Flor. 3, 7. Appian. apud Fulv. Ursin. Plut. Sall. Incert. 29, Sall. Hist. 3, 15. Plut. Cap. XV. Diodor. apud Fulv. Ursin. Ascon. in Divin. Cic. in Verr. 3. c. 91. Liv. Epit. Plut. Cap. XVI. Appian. Cic. in Verr. 2. c. 8. Oros. 6, 3. Sall. Incert. 29. Appian. Illyr. Sex. Rufus, c. 9. Eutrop. Marcellin. 27, 8.

XVII. Progressus deinde Calyben, quam Philippus Amyntae filius, pessimis ibi collocatis hominibus, Poneropolin vocaverat, illa quoque capta, usque ad terminum gentium Thracicarum Tanaïm, paludemque Maeotin penetravit. Inde multas supra Pontum positas civitates in jus ditionemque populi Romani redegit. Calatim, Phthinopolim, Parthenopolim, Tomos, Istrum, Buziam omnem cepit: evertit Apolloniam: arma Romana Scythis monstravit: belloque confecto, sub tempus victi a Crasso Spartaci Romam regressus, de Bessis triumphavit, et, praeter alia ornamenta, colossum Apollinis, quem ex Apolloniatarum insula transvexerat, in Capitolio posuit. U. c. 681. A. C. 71.

XVIII. Sed L. Luculli, qui frater hujus fuit, nescio an majores eodem tempore, clariores certe, scriptorumque beneficio notiores res fuerunt: de quibus deinceps dicemus. Vere ejus anni, quo Cn. Orestes, P. Lentulus consules fuerunt, Lucullus, Murena cum duabus legionibus ad obsidionem Amisi relicto, cum tribus aliis per montana versus Cabira movit, ubi Mithridates hiberna habuerat, et tum quoque iisdem in locis erat eo consilio, ut Romanis advenientibus resisteret. Stationes tamen disposuerat in montibus, quae et opponerent sese transitum molientibus, et ignibus excitatis adventum hostium significarent. His Phoenicem quemdam, regii generis virum, praefecerat. qui signum quidem factis ignibus Mithridati dedit; sed ipse cum iis, quas secum habebat, copiis transfugit ad hostem. *Lucullus contra Mithridatem movet.*

XIX. Mithridates impigre motus, amne Lyco superato, in campis patentibus pugnandi copiam fecit. commisso equestri proelio, superiores regii fuerunt, rejectusque Lucullus retro se ad montes recepit. Praefectus ejus equitum Pomponius, quum ad Mithridatem saucius adduceretur, roganti regi, *ecquid amicus ipsi futurus esset, si eum conservasset? Amicus*, inquit, *si quidem amicus populo Romano fueris; sin vero, hostis.* Volentibus eum post hanc vocem interficere barbaris, laudabili *Pomponii generosum dictum.*

Cap. XXVII. Sex. Rufus, et Marcellin. Strabo, l. 7, p. 320. Flor. 3, 4. Eutrop. et Sex. Rufus. Appian. Civil. l. 1. Eutrop. Euseb. Chron. Strabo, l. 7. p. 319. Cap. XVIII. Plin. 34, 7. Appian. Mithrid. Plut. Lucull. c. 28. Phlegon. apud Phot. Plut. Appian. Cap. XIX. Plut. Memnon. Appian. Plut.

U. c. 681. A. C. 71. voce Mithridates occurrit, *in virtutem a fortuna destitutam saeviendum* negans.

Lucullo viam monstrant venatores.

XX. Post haec per continuos aliquot dies instructam aciem Mithridates ostentare; Romanus retinere suos, et, equitatu inferior, campis nolle credere: donec ancipiti malo circumventum (quia per patentia non audebat ducere, circumitus per montes longus ac taedii plenus erat) forte reperti venatores recrearunt, calle ostenso, per quem copias suas supra caput regis in locum ita comparatum duxit, ut pugnare volenti spatium non deesset, proelium detrectans cogi nequiret.

Praesentia boni imperatoris plurimum poltet.

XXI. Quum neuter alterum adoriri decrevisset, casu contractum certamen est, quia, persequentibus forte cervum regiis, Romani quidam occurrerant; pluribus deinde, ut fit, hinc inde adgregatis, loco pulsi Romani sunt. Haec ignominia ex superiore loco conspecta iram movit militibus, signumque pugnae continuo poposcerunt. Lucullus, quiescere jussis, ut doceret, quantum in praesentia boni imperatoris esset, cum paucis descendit, primisque fugientium, ut consisterent, occlamavit. Quum illi paruissent, et proximi quique ad idem imperium exemplumque firmarent pedem, globo facto disjecit hostes, victorque ad suos rediit. deinde pro concione increpitos, qui fugerant, in conspectu totius exercitus fossam duodecim pedum discinctos fodere coëgit.

Luculli periculum ab insidiis.

XXII. Sed longe majus occultiusque periculum sub eosdem dies, quod virtute amoveri nequibat, casu idem Lucullus effugit. Olthacus quidam, ex Dardariorum Maeotica gente, quum apud Mithridatem de gloria et praemiis virtutis saepe cum aliis regulis disceptasset, ut se omnibus ostenderet superiorem, Luculli capite regi promisso, specie transfugae in Romana castra pervenerat. Is deinde, quum frequentibus excursionibus promptam enixamque operam exhibuisset, postremo quoque equestri proelio servasset multos, in propiorem admissionem receptus, mensae consiliisque admoveri coeperat.

Cubicularii fides.

XXIII. Igitur, observato tempore, quo, missis principiis, vacuum magis incustoditumque praetorium erat,

Cap. XIX. Appian. Cap. XX. Plut. Appian. Plut. Cap. XXII. Frontin. 2, 5. 30. Appian. Cap. XXIII. Frontin. Plut.

brevi pugione accinctus ex more ad Lucullum introibat. Sed illum forte fatigatum longis vigiliis corpus meridiari coëgerat: et Menedemus cubicularius, ad ostium stans, negabat intromitti quemquam mortalium posse. Ille, *subitum esse ac necessarium, quod afferret*, dictitans, nihilominus conabatur irrumpere; quum accensus ira Menedemus, *nihil salute imperatoris magis esse necessarium* regerens, ambabus manibus repulit hominem. U. c. 681. A. C. 71.

XXIV. Quare, ne suspectus haberetur, veritus Scytha, equis, quos ante portam castrorum paratos stare jusserat, ad Mithridatem refugit, aliumque Scytham, nomine Sobadacum, transfugere ad Lucullum conari detulit, qui statim jussu regis comprehensus est. *Insidiator fugit.*

XXV. Dum his aliisque rebus bellum trahitur, longe lateque omnibus circum evastatis, inopia utrumque exercitum incessit. Idcirco Lucullus, quo re annonaria commodiore uteretur, in planum degressus, quia patentibus locis equitatum regis timebat, ita metatus est castra, ut munimenti vicem uliginosum paludibus solum hosti objiceret; et regnum Ariobarzanis, intactum bello, a tergo haberet, unde commeatus subveherentur. Crebra inter haec equestria proelia fiebant. Semel etiam, quum suos fugientes obviam egressus e castris Mithridates acerbe corripuisset, iis animis in pugnam redierunt, ut Romani fusi fugatique, etiam, reversis a persequendo hostibus, suum quisque contubernalem pro victore metuentes, vix aliquando facerent fugae finem: tantus eos pavor occupaverat. *Mithridates equestri proelio victor.*

XXVI. Hanc victoriam, missis ad vicinos reges nationesque nunciis, magnificentius, quam verius, Mithridates extollebat, promptumque Romani exercitus exitium augurabatur. Sed eventus contra dedit. Quum enim haudquaquam reprehendendo consilio hoc ageret, ut Lucullum, commeatibus exclusum, ad eas redigeret angustias, in quibus ipse ad Cyzicum fuisset; negotium equitibus suis dedit, ut frumentatores e Cappadocia redeuntes (nec enim aliunde Romanus alebatur) exciperent. *Lucullum inopia premere nititur.*

Cap. XXIV. Frontin. Plut. Appian. Cap. XXV. Memnon. Sall. Hist. 4. in Ep. Mithrid. Appian. Sallust. Appian.

U. c. 681. A. C. 71. *Sed, suorum nimia ferocia, spe excidit.*

XXVII. Neque desidia regiorum res corrumpebat: sed nimius pugnandi ardor non sinebat a suis locis aliena discernere. igitur primo Sornatius, cum una legione ex Cappadocia redux, praefectum regis Menandrum, alacritate majori, quam consilio, congressum, cum magna hostium caede in fugam egit.

Mithridatici fugiunt.

XXVIII. Fabius deinde Adrianus, quum ex eadem Cappadocia magnum annonae modum adveheret, a Menemacho et Myrone, quos Taxiles et Diophantus cum quatuor peditum duobus equitum millibus immiserunt, lacessitus est. Et si, donec in aequa loca descensum esset, exspectare regii potuissent, fortassis in periculo et cohortes Romanae, et, quam adducebant, annona fuerat. in ipsis adhuc angustiis invadente hoste, et suum sibi equitatum efficiente inutilem, haud aegre restiterunt, donec auxilium Lucullus submitteret. Tum vero effusa fuga Mithridaticorum versus eum locum, ubi Taxiles et Diophantus tendebant, eodem etiam victorem deduxit. et post acre, sed minime obstinatum, certamen dissipata barbarorum acies diversa fuga disparuit: pauci cum ipsis ducibus ad Mithridatem pervenerunt. Magna eo die caedes regiorum fuit, et a quinque Romanorum millibus triginta millia, totius exercitus regii robur, fusa referuntur.

Mithridatis et amicorum consternatio.

XXIX. Mithridates, hac accepta clade, veritus, ne destitutum equitatu quamprimum Lucullus circumveniret, statim convocatis amicis aperuit, *sibi in animo esse discedere, priusquam itinera ab hoste clauderentur.* Illi, suarum rerum anxii, non exspectata luce, pecunias suas supellectilemque emittebant e castris: et, quum hoc a multis et divitibus fieret, brevi angustiae circa portam erant, et rixae agasonum, uno quolibet ante alios exire properante, audiebantur.

Et totius exercitus fuga.

XXX. Exercitus, re cognita, visisque ducum sarcinis, metu et indignatione commotus, prodique se vociferans, vallo proruto, qua cuique proximum erat, sine duce, sine imperio evadebat. Inter eum tumultum direptae multorum praefectorum sarcinae sunt, custodibus interemptis: Dorylaus quoque, magni nominis ductor, nihil praeter purpuram, qua erat ami-

Cap. XXVII. Plut. Cap. XXVIII. Phlegon. Memnon. Appian. Memnon. Appian. Eutrop. Cap. XXIX. Appian. Plut. Appian. Cap. XXX. Plut. Strabo, l. 10. p. 477. Plut.

ctus, habens, propter illam interfectus est. Hermaeus aruspex, qui et ipse exercitum duxerat, in porta castrorum pedibus hominum jumentorumque obtritus. U. c. 681. A. C. 71.

XXXI. Rex ipse, extremis proximus, inter turbam pedes profugit: (nec enim quisquam ministrorum apud eum remanserat) donec impulsu turbae humi stratum Ptolemaeus eunuchus conspexit, equumque, desiliens ipse, praebuit. Ne sic quidem expedita fuga erat, Gallograecis equitibus, qui Lucullo militabant, terga prementibus. sed forte, an consilio Mithridatis, objectus mulus ex iis, qui aurum et argentum regium portabant, avaritiam persequentium praedae dulcedine distinuit, tempusque evadendi dedit. Ceteri plerique caesi sunt. nam Lucullus, cognita suorum victoria, e vestigio equitatum ad persequendos hostes miserat, legiones circumdederat castris, ut ibi fugientes, hic resistentes internecione delerentur. Amplius sexaginta Ponticorum millia his cladibus exstincta creduntur. *Mithridates effugit.*

XXXII. Praeter ereptum triumpho Mithridatis corpus confectique belli gloriam extortam, aliud quoque non leve incommodum Lucullo militum avaritia attulit. Callistratum, qui regi a secretis fuerat, comprehensum in castra ducere jussi, quum aureis quingentis succinctum sensissent, interemerunt. Castra tamen regis diripi, praedamque militis esse passus est, quo insolentiam illorum molliret, nuper etiam in Amisena obsidione invidiose querentium, *quod nullam civitatem vi caperet, conditionibus omnes acciperet in deditionem, ne milisi pro labore tanto periculisque fructus ullus usquam esset.* Sane vix ulli imperatorum justior victoria flagitio militari de manibus excidit: meritumque virtute decus ingratus impiusque exercitus, varie vexato, et ad postremum relicto Lucullo, intercepit. *Romanorum militum avaritia adjutus.*

XXXIII. Dum haec diversissimis locis aguntur, Romae haud exiguum metum Pompejus atque Crassus faciebant exercitus retinendo. nam ille se Metellum exspectare dictitabat ad triumphum venientem; Crassus aequum esse dicebat, priorem Pompeji exercitum *Pompejus atque Crassus exercitum dimittere nolunt.*

Cap. XXX. Memnon. c. 42. Plut. Cap. XXXI. Memnon. Plut. Cic. pro Lege Manil. c. 9. Appian. Liv. Epit. Cap. XXXII. Plut. Eutrop. Plut. Cap. XXXIII. Appian. Civil. l. 1.

U. c. 681. A. C. 71. dimitti. Sed Pompejus eam quidem dubitationem sustulit, ſtatim a triumpho miſſos facturum milites pollicitus.

Multi simul triumphi. XXXIV. Igitur, quum ex Hispania Metellus adveniſſet, multi sub finem anni hujus triumphi fuerunt. Sub idem enim tempus et ex Macedonia C. Curio, et ex Iſauria P. Servilius, et ex Macedonia M. Lucullus triumpharunt: ex Hiſpania Q. Metellus, et Cn. Pompejus, hoc nomine quoque gloriosius, quod iterum eques Romanus triumphabat. Craſſus, de fugitivis triumphum petere pudore prohibitus, ovans iniit urbem, hoc novo honore magna ambitione impetrato, ut pro myrtea corona, qualem ovantes sumere conſueverant, laurea uteretur.

U. c. 682. A. C. 70. M. Crasso, Cn. Pompejo Coſſ. XXXV. Consules deinde M. Craſſus, Cn. Pompejus Magnus facti. Eo tempore Pompejus, quod per militiae tempora senatus habendi conſulendique rationem ignorabat, M. Varronem familiarem suum rogavit, uti commentarium faceret Iſagogicum, ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, quum senatum conſuleret. Conſul enim fiebat ex equite Romano, priusquam quaeſturam geſſiſſet. tanta hujus adoleſcentis gratia et virtus erat, ut quibuslibet legibus facile solveretur. Latum ex senatusconsulto ad populum eſt, *ut Cn. Pompejum conſulem fieri liceret, quum curulem magiſtratum nullum per leges capere potuiſſet.*

Pompejus legibus solutus.

XXXVI. Nec illud tamen plus adjicere magnitudini videbatur, quam quod M. Craſſus, contemptor omnium, et divitiis facundiaque inter primores excellens, non erat auſus conſulatum petere, priusquam Pompejum rogaviſſet: et Pompejus, olim cupidus demerendi hominem potentiſſimum, adeo enixe gratiam suam interpoſuerat, ut non pro Craſſo minus, quam pro semetipso, laborare teſtaretur. Discors tamen magiſtratus fuit: nec quidquam magnopere ab iis domi forisve memorabile geſtum eſt, nisi quod Craſſus Herculi decimas solvens, decem menſarum millibus epulum populo praebuit, ac frumentum gratuitum in trimeſtre dimenſus eſt.

Craſſus Herculi decimas solvit.

Cap. XXXIII. Plut. Pomp. Cap. XXXIV. Eutrop. 6, 4. Cic. in Pis. capp. 19. et 24. Vell. 2, 30. Plut. Craſſ. c. 21. Cic. in Pis. c. 24. Cap. XXXV. A. Gell. 5, 6. Plin. 15, 20. A. Gell. 14, 7. Liv. Epit. Plut. Pomp. Vell. 2, 30. Cic. pro Lege Manil. c. 21. Cap. XXXVI. Plut. Pomp. et Craſſ. Plut. Crasso.

XXXVII. Pompejum illa dies magno honore illustravit, qua militiae vacationem a censoribus postulavit: quod, expletis stipendiis, equites Romani facere consueverant. Sedebant pro tribunali L. Gellius, Cn. Lentulus censores. ad hos Pompejus descendit in forum, equum manu ducens, ceterum insignibus nitens magistratus sui. Ubi stitit equum ad tribunal, major natu censor, *Quaero ex te*, inquit, *Pompei Magne, ecquid omnia stipendia expleveris?* Cui Pompejus alta voce, *Explevi*, inquit, *et quidem, me imperatore.* Tum vero mixtus laetitia et admiratione clamor populi ortus vix sedari potuit, donec surgentes de tribunali censores, ut populo applaudenti gratulantique gratum facerent, Pompejum consulem domum deduxerunt. Magnus enim ejus apud populum favor erat, quum plus in senatu Crassus polleret. Et erat in invidia Pompejus, quod, plebi potius, quam senatui, gratificatus, tribunitiam potestatem restituerat: adsentiente quidem Crasso, quia prohibere nequibat: sed Pompejus solus pertenderat, nec sibi glorioso, nec in rempublicam utili facinore, quae iterum ab eo principio tribunitiis seditionibus periculose vexata est, donec hac quoque non ultima impellente caussa concideret.

U. c. 682. A. C. 70. *Pompejus militiae vacationem a censoribus impetrat.*

XXXVIII. Tribunitia potestas restituta traxit et judiciorum ordinem, quod eorum levitas flagitandae potestatis ejus permagnum desiderium fecerat. Igitur L. Aurelius Cotta praetor, favente et adnitente Pompejo, judicia ad equites transtulit, non ut penitus excluderentur senatores, sed ut major esset equitum potentia, communicatis inter tres ordines judiciis, senatum, equites, et tribunos aerarios, qui ferme erant ex equitibus. Iisdem consulibus P. Virgilius Maro natus perhibetur Idibus Octobris; ut publicorum actum monumentis natalis ejus inseretur, ingenii opemque praestantia meritus.

Judiciaria lex L. Cottae.

XXXIX. Interea Lucullus Cabirorum castellum, cum iis multis, custodias thesaurorum vinctorumque, in ditionem accepit, passim ad victorem praefectis reis deficientibus: quorum ex numero Srabonis ejus,

Mithridates uxores sororesque interfici jubet.

Cap. XXXVII. Plut. Pomp. et Apophth. Rom. c. 35. Plut. Pomp. Ascon. in Divin. Sall. Catil. c. 38. Liv. Epit. Cic. de Leg. 3, 9. Cap. XXXVIII. Cic. Divin. c. 3. et in Verr. 5, 69. Liv. Epit. Plut. Pomp. Cic. pro Cluent. c. 47. Ascon. in Divin. et in Cornel. et in Pison. Cap. XXXIX. Ant. August. Legib. Phlegon. apud Phot.

U. c. 682. A. C. 70. qui Geographiae pulcherrimum opus edidit, avus maternus quindecim castella, fide accepta, tradiderat. Magnae in iis opes, tetri quoque carceres reperti, quibus Graeci barbarique multi olim, desperata salute, attinebantur. Inter hos et Nysa liberata est, soror regis, eademque ob Nicomedem, cui nupta fuerat, hostis. Hanc igitur, nihil nisi extrema exspectantem, inopinata salus respexit. at alias mulieres regias, quum procul omni metu abesse viderentur, triste fatum comprehendit. Mithridates enim, desperatione rerum suarum Ponto profugus, quum venisset in Armeniam, nec admitti se in conspectum Tigranis videret, immani tristitia et moerore percussus, Bacchidem eunuchum misit, ut sorores uxoresque et concubinas regias tolleret, quae Pharnaciae servabantur, quod oppidum haud procul Trapezunte aberat.

Monimus et Berenices fata.

XL. Multae erant, sed prae caeteris insignes Roxane et Statira, quae circiter annos quadraginta in virginitate exegerant, conjugesque duae, Iōnici ambae generis, Berenice Chia, et Monime Milesia, cujus praecipua inter Graecos fama erat. Hanc, ubi Bacchides arbitrium mortis dedisset, detractum capiti diadema obvolvisse collo ferunt, ut inde suspenderet corpus; abruptoque, exclamasse, *O exsecrabilis fascia, ne ad hoc quidem usui eris?* consputum deinde abjecisse, jugulumque praebuisse percussori. Berenice, veneno temperato, partem praesenti rogantique matri dederat. Ergo remissior et divisa vis potionis, quum in senili corpore viam lethi haud difficulter invenisset, juvenculam diu cum anima luctantem Bacchides strangulavit.

Roxanes querelae de fratre.

XLI. Sororum regis longe dispar ut animus, ita sermo extremus, fuisse traditur. Roxane, quum venenum miscuisset, *Hoc igitur*, inquit, *extremum a fratre munus teneo, invisum certe, nisi esset odiosior, qui misit. Ha igitur erat, cur me felicem praedicarent homines, tantis majoribus, in hac fortuna genitam, sororem magni Mithridatis. Ergo igitur, si quoslibet de vulgo parentes, quemlibet fratre sors dedisset, viverem. quia regibus orta sum, et hunc co sanguineum habeo, moriendum est. At illum, tanta, ut aj*

Cap. XXXIX. Euseb. Chron. Plut. Lucull. Memnon. Sa Hist. 4, 1. Appian. Mithrid. Strabo, l. 12. p. 557. Plut. Me non. Plut. Liv. Epit. Appian. Cap. XL. Plut. Stephan Strabo, l. 12. p. 548. Plut.

bant, potentia, tanta virtute praeditum, tutelam omnium, etiam minimorum, fore crediderant; nedum ut sororum suarum proditor, sororum interfector esset. U. c. 682. A. C. 70.

XLII. *Sane jam tum satis esset miser, si ex tanta fiducia tantum in metum venisset. Sed fac metuere. quam procul adhuc absunt Romani? cur non servamur in spem melioris fortunae, numquam defuturo veneno, si sequius consuli necessum sit? cur non in Bosporum aut Colchos mittimur, quo populi Romani non modo arma, sed etiam nomen vix penetravit? cur hostis et carnificis officium ipse occupat? quid facerent Romani crudelius? Sed aliud nimirum exspectare sorores non oportuit, ab isto quidem, qui matrem venenum coëgit bibere? Sed, age, age, bibamus, soror, si nihil aliud, hoc certe consequuturae, ut postea nihil in nos tali tyranno liceat. At tu, pessime omnium et perfidiosissime parricida, in hoc per annos quadraginta virgines asservasti, ut, ubi tu summam rerum ad desperationem adduxisses, veneno moreremur! Tibi vero scelerum ultores Dii eamdem aliquando necessitatem moriendi imponant, facultatem negent!* *Consilii eius temeritatem arguit.*

XLIII. Haec dicentem Statira consolabatur, fratrem simul excusans. *Summae fortunae, sicuti singularem honorem, potentiam, gloriam, ita nec vulgares molestias adjacere. Deorum imperium in reges, quemadmodum in ceteros homines potestatem regum, esse. nullum tanta sapientia aut prudentia umquam exstitisse, ut destinatum sibi a potentiore exitum vitare quiverit.* *Statira defendit fratrem.*

XLIV. *Idcirco minime imputandum Mithridati, sive quod vinci debuerit, omnibus frustra tentatis; sive quod victus ultima cura providerit, ut, quod suorum servari non posset, honeste saltem et in libertate moreretur. Sibi quoque minime laetam mortem esse. verumtamen hanc malle, quam quae timenda essent in potestatem hostium venientibus. In bello nemini parci. multos adeo intervenire casus, quibus vilissimum quidem calonem coërcere ne suus quidem imperator possit. Saepe et alias, et hoc bello audivisse, quanta in captis urbibus esse licentia militis, quanta cum crudelitate libido soleat. sibi quidem vel millies mori satius esse, quam ut hanc, non dicere sortem, sed vel periculum subeat.* *Qui provideriit, ne hostium in potestatem inciderent.*

XLV. *Non igitur maledicendum esse fratri, qui sanguinem suum, per longissimam temporum seriem deductum a regibus, contaminari aut servire nolit. Sed gratias potius agendas curanti, ut, quatenus omnibus molestiis liberari nequirent, maximis certe et gravissimis eriperentur. Magnum in eo fraterni amoris curaeque specimen inesse, sed et vere regii animi,* *Insigne fraterni amoris specimen inesse.*

U. c. 682. A. C. 70. *quod inter suos casus laboresque, de sororum periculo, deque domus suae dignitate cogitasset. Neque dubium esse, quin aliud nihil viderit pro his melius. nam eadem mandata dedisse ad uxores, quas utique non odisset.* Post haec et talia verba, sumpto veneno, exanimatae sunt.

Luculli acta post fugam Mithridatis.

XLVI. Haec audita moerore adfecerunt Lucullum, clementem virum, et plurimae humanitatis; praefectos autem Mithridatis, velut signo dato, ad tradenda, quibus praeerant, praesidia, paucis exceptis, incitaverunt, ultimae necessitatis id facinus esse reputantes. Lucullus, Mithridatem usque ad Talaura (castelli nomen est) insequutus, ubi quatriduo ante illum in regnum Tigranis perfugisse intellexit, Chaldaeis, qui et Chalybes vocantur, Tibarenisque subactis, receptaque minore Armenia, quae in ditione Mithridatis fuerat, ad obsidionem Amisi reversus est. Amisenis conditiones respuentibus, Callimachus enim praeerat, machinarum mirus artifex, consilioque et audacia promptus; ad Eupatoriam se contulit: quam haud procul Amiso regiam Mithridates struxerat, et ex suo cognomento voluerat appellari.

Eupatoria et Amisus captae ardent.

XLVII. Quum et hic impigre resisteretur, Lucullus, per aliquot dies languidiori oppugnatione usus, propugnatorum negligentiam felici consilio aluit. quum enim stata quasi diei hora soleret abducere ab oppugnatione suos, ubi opportunum visum est, eodem tempore corripere scalas et in moenia eniti jussit. Infrequentes defensores aderant, plerisque jam de more per hospitia dilapsis. Statim igitur capta Eupatoria, statimque deleta est. Neque multo post Amisus, eodem ferme modo, in potestatem venit, parique fato incensa est, Callimacho injiciente ignem, ut interea facilius abnavigare posset, an quia praedam Romanis invidebat.

Invito et miserante Lucullo.

XLVIII. Nec eripere oppidum, licet summa ope adniteretur, Lucullus poterat; jussique ignem restinguere milites minaci cum clamore arma quatiebant: donec exercitui se praedam concedere edixit, modo ab incendio aedificia protegerentur. sed intentus rapinis miles auxit magis, quam exstinxit, ignem, quum mul-

Cap. XLVI. Plut. Appian. Strabo, l. 12. p. 557. Plut. Eutrop. Plut. Memnon. Appian. et Plin. l. 6. c. 2. Cap. XLVII. Memnon. Plut.

multi quoslibet angulos cum facibus perſcrutando ultro succenderent aedes, ingentemque in urbe paullo ante frequentiſſima vaſtitatem facerent. Idcirco poſtridie ingreſſus urbem Lucullus non tenuit lacrimas, dixitque amicis, *ſaepe ſibi fortunam Sullae admirabilem viſam, eo maxime quod Athenas ſervare, quum vellet, potuerit. ſe, parem gloriam magno ſtudio expetentem, ad L. Mummii ſortem detrudi, ut everſor potius magnarum urbium, quam ſervator, praedicetur.* Bona tamen pars urbis erepta flammis eſt pluviae miſeratione, quae opportunae velut ex machina prorupit. Et Lucullus, priusquam inde discederet, operam dedit, ut pleraque corrupta reſtituerentur: edictoque collegit Amiſenos, qui e patria profugerant, novisque colonis Graecis, quibus ibi habitare placebat, auctos, agro quindecim millium paſſuum urbi adjecto locupletavit: Alexandrum imitari ſtudens, qui eamdem urbem, quum Persicis regibus parentem inveniſſet, liberaverat. U. c. 682. A. C. 70.

XLIX. Amiſum Athenienſes condiderant, quo tempore claſſibus validi, non proxima tantum, sed et jam longius sita maria pervagabantur. eoque nuper multi, ut tyrannidem Ariſtionis fugerent, velut in aliam patriam, conceſſerant: ignari, eodem quoque, quam metuebant, belli perventuram tempeſtatem eſſe. Sed illos Lucullus honeſte veſtitos, ducenis distributis denariis, in patriam remisit. *Amisi conditores.*

L. Tunc etiam inter captivos Tyrannio fuit, celeberrimi nominis Grammaticus. eum Lucullus gentili suo Murenae, praecipuo legatorum, rogatus conceſſit. Ille, magnanimi doctiſſimique et ob hoc doctorum ſtudiosi imperatoris munere perquam illiberaliter uſus, manumisit hominem, ut ab eo commoda, quae patronis liberti praeſtant, adipisceretur. Alia quoque similia multa idem Murena designavit, bello non spernendus, vita moribusque multum ab imperatoris sui nobilitate discrepans. Rebus Amisi ex praesenti copia conſtitutis, Lucullus in Asiam hibernatum abiit, ut civitatibus illis, sub aeris alieni pondere graviſſime anhelantibus, succurreret. Interea misit ab Tigranem, Mithridatem sibi dedi poſtulans. Eam legationem Ap. Claudius obiit, qui uxori imperatoris frater. et liberis ejus avunculus erat. *Tyrannio celebris Grammaticus.*

Cap. XLVIII. Memnon. Plut. Appian. Cap. XLIX. Meurs. de Fort. Athen. c. 6. Plut. Cap. L. Suidas in *Τυραννίων*. Strabo, l. 12. p. 548. Plut. Memnon. Plut. Sall. Hiſt. 5, 1. et 1, 20.

EPITOME
LIBRI NONAGESIMI OCTAVI.

Machares, filius Mithridatis, Bospori rex, ab

Lachares filius Mithridatis] Vet. lib. *Machares*. Dio [lib. 36. pag. 25.] *Μαχάρης*. SIG. *Bacares* Boend. *Jachares* Norv. *Maccares* ed. Camp. *achares*, omissa prima litera, et relicto spatio, ubi deinceps minio pingeretur, edd. reliquae usque ad Ascensium, qui primus vulgatum procudit. Sed recte *Machares* restituit Sigonius: neque aliter est in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Hoc etiam nomine passim apud alios vocatur. Ita apud App. in Mithrid. p. 216. ubi a patre Mithridate Ponti rege regem Bospori constitutum refert, et pag. 241. ubi mortem ejus narrat: apud Plutarch. in Lucull. pag. 507. ubi in amicitiam Luculli receptum memorat: et apud Oros. 6, 5. Mithridates *Exipodram filium suum interfecit, quum antea jam alium, Macharem nomine, parricidio trucidasset*. Ita Fabricius id nomen, quod in prioribus edd. varie corruptum erat, ex Mstis et auctoribus Graecis restituit. Et ita emendandus Freculph. in Chron. part. 2. lib. 7, 3. ubi perperam nunc legitur *cum ante jam Aliomacharem*. Mox *ab L. Lucullo* Gronov. anno 1665. edidit; quum antea fuerit *a L. Lucullo*; quod servant Boend. et, teste Hearnio, Exc. Pithoei, ac Norv. *ab Lucullo* legit Lov. 2. *a Lucullo* Berg.

C. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt] *Cn. Lentulus*, ut ante. SIGON. Ita est in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et nonnullis edd. antt. nisi quod quaedam earum legant *Gn. Lentulus*. Male *C. Lentulus* praeferunt Boend. et ed. Campani. Dein *L. Lelius* perperam Leid. et Berg. Nec melius *C. Gellius* edidit Doujatius, quod tamen Clericus et Crevierius servarunt. At *Cn. Lentulus et L. Gellius* in consulatu et censura collegae saepius memorantur. Vide Pighium in Annal. ad A. V. ıɔcLxxxi. pag. 307. et ıɔcLxxxiii. pag. 311. Consules memorati sunt supra Epit. 96. Deinde *censuram gesserunt* Boend. et ed. Camp. sed invitis reliquis scriptis et editis. Adscribenda igitur lectio illa errori librariorum, qui passim haec verba confuderunt. V. ad 22, 28, 1. Mox *quatuor et quadraginta*, vel *IV. et XL. senatu motis* Berg. V. ad Epit. praec. *quatuor et sexaginta e senatu motis* Lov. 2. *quatuor et sexaginta a senatu motis* ed. Camp. Sed vide ad 39, 42, 5. *quatuor et sexaginta senatores moverunt* Voss. At passim obcurrit locutio *movere senatu*, numquam vero *movere senatorem*, pro movere eum senatu.

A quibus lustrum conditum est. Censa sunt] Vet. lib. *a quibus, lustro condito, censa sunt*. SIG. Pariter Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp.

Censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia] *Ὑπερβολικώς* vet. lib. *DCCCCL millia*. DELR. Phlegon Trallianus in fragmentis Synagoges Olympiorum in Bibliotheca Photii cod. 92. scribit, anno tertio Olympiadis cLxxvii. id est,

L. Lucullo in amicitiam receptus est. Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis: a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia. L. Metellus prae-

A. V. IↃCLXXXIII. his censoribus *nonaginta et unam myriadas*, quae *nongenta et decem millia* sunt, Romanorum censas fuisse. Hujus auctoritate Rualdus ad Plutarch. Animadv. XXCV. Is. Vossius in Observationibus confirmari putant scripturam librorum, qui hic *IↃCCCL.* (ita Rualdus, Vossius *IↃCCCC.* Lipsius 1. Elect. 27. et unus MS. Hearnii *IↃCCCCL.*) *millia* habent. Addit Rualdus ex Epit. 60. quum jam ante multos annos, puta, A. V. IↃCXXVIII. non multo minus *CCCC millia* censa, ac deinde socii in civitatem recepti fuerint, numerum civium per annos paullo minus LX, omnibus rebus florentissimis, facile tantum potuisse crescere. Haec etsi probabiliter disputari videntur, tamen scriptura editionum, quae hic *CCCCL millia* exhibent, nonnihil praesidii in eo habet, quod Eusebius in Chronico prodidit, anno quarto Olympiadis CLXXIII. descriptione Romae facta, inventa fuisse hominum CCCCLXIII. millia. Nam, quum census ille non alius esse possit, quam qui L. Marcio Philippo et M. Perperna censoribus actus est, ut Scaliger ad Euseb. et Pighius in Annal. ad A. V. IↃCLXVII. adnotant, vix credi potest, quindecim annis, qui inter horum et Lentuli ac Gellii censuram interfuerunt, numerum civium prope *quadringentis millibus* capitum auctum fuisse. Civitate Italicis data, quod ante A. V. IↃCLXVII. factum est, multum crevisse numerum civium, quo argumento, praeter locum Phlegontis, praecipue nititur Rualdus, facile concedi potest. Sed hoc quoque considerandum est, bellis, quae paullo post A. V. IↃCXXXVIII. quo censa fuisse civium capita *CCCXCIV millia, trecenta triginta sex* ex Epitoma 63. constat, fere continua usque ad A. V. IↃCLXXXIII. et censuram Lentuli et Gellii gesta sunt, incredibilem multitudinem, tam Romanorum, quam Italicorum, periisse. Bello Cimbrico quinque consulares exercitus victos, et uno proelio LXXX millia civium et sociorum cecidisse, testantur historici. Bello sociali amplius CCC. millia juventutis Italicae absumpta prodit Vellejus 2, 15. Bello civili, quo Italicorum et civium alia a Marii, alii a Sullae partibus stabant, Mithridatico, quo uno die CL millia Italici sanguinis, civium ac sociorum, trucidata sunt, servili in Sicilia, et gladiatorio, quanta strages hominum facta sit, e scriptoribus, qui proelia bellis illis pugnata, et saepe numerum ex utraque parte caesorum referunt, intelligi potest. Unde non valde mirum videri debet, neque A. V. IↃCLXVII, vixdum exstincto bello sociali, amplius quam CCCCLXIII millia, neque A. V. IↃCLXXXIII, post finita anno priore bella civilia et gladiatoria, plus CCCCL millia civium censa fuisse. Non decerno, utrum in Photio et libris Epitomarum Livii, quorum scripturam probat Rualdus, an in Eusebio et vulgatis libris Epitomarum corrupti sint numeri; sed hoc tantum ostendere volui,

tor in Sicilia adversus piratas prospere rem gessit. Templum Jovis in Capitolio, quod incendio consumtum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus in Armenia Mithridatem et Tigranem, et ingentes utriusque regis copias, pluribus proeliis

dubitari posse, an satis certa sint, quae de tot myriadibus civium hoc tempore censis dicuntur. Rualdus etiam in eo non nihil servit sententiae, quam tuetur, quod ex Epitoma 60. scribit, quum jam A. V. IↃCXXVIII. fere *CCCC millia* civium (*CCCXC millia septingenta trigenta sex* habet Epitoma) censa fuerint, populum Romanum, omnibus rebus florentissimum, per annos paullo minus LX non difficile in illam multitudinem excrescere potuisse. Primum enim, quo probabilius faceret, tot annis plurimum augeri potuisse sobolem stirpis Romanae, maluit ex Epit. 60. eligere A. V. IↃCXXVIII. quam ex Epit. 63. A. V. IↃCXXXVIII. quo paullo plus *CCCXCIV. millia* censa fuerunt; ne, si XLV. annos dixisset, qui ab hoc anno ad A. V. IↃCLXXXIII. fluxerunt, minus credibile esset, iis numerum civium plus altero tanto crescere potuisse, qui ab A. V. IↃCXXVIII. ad annum IↃCXXXVIII. nondum quatuor millibus auctus fuerat. Deinde frustra jactat florentissimas illis annis res Romanas, quibus assiduis bellis et multis gravissimis cladibus tantam multitudinem civium interiisse constat; ut mirum videri possit, eorum his censoribus *CCCCL millia* superfuisse. Graevius quidem in Praefatione tom. 1. Antiq. Rom. ita scribit, ut non videatur credidisse, rationem librorum habendam esse, qui hic numerum civium in immensum augent. Sed Rualdo praeivit Lipsius, qui 1. Elect. 27. ad bonam causam defendendam (vide Epitom. CXV.) undique argumenta conquirens, certis et gravibus hoc quoque dubium et leve admiscet. DUK. Omnes editi vulgatum constanter servant: id contra in nullo cod. superest. *civium capita DCCC* legit Lov. 2. *civium capita nongenta millia* Leid. et Voss. *civium capita DCCCCL*^{m}. Berg. Boend. et Exc. Pithoei.

L. Metellus praetor in Cilicia adversum piratas prospere rem gessit) Scribe *Sicilia*. Hic est enim Metellus, qui Verri in Sicilia successit. Paedianus. SIGON. Praenomen omittit Berg. quod a praecedente numeri quinquagenarii nota interceptum est. Tum *in Cicilia* Lov. 2. *in Sicilia* Voss. Leid. Berg. Exc. Pithoei, et omnes typis inpressi usque ad Frob. qui anno 1535. ejus loco substituit *in Cilicia*. Male. Oros. 6, 3. *Metellus, Siciliae praetor, quum foedissima illa C. Verris praetura Siciliam adflictam invenisset, maxime Pyrganione archipirata nefariis praedis et caedibus dilacerante, qui, pulsa classe Romana, Syracusanum portum obtinuerat, quem mox navali terrestrique proelio comminutum Sicilia decedere compulit. in Siciliam* legit Boend. Sed vide ad Epit. 84. Deinde *adversus piratas* Leid. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. V. ad Epit. 47. et infra hac Epit. *in Sicilia bellum prospere gessit* Voss.

Quod incendio consumtum erat, refectum a Q. Catulo de-

fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi adversus Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius, legatus Luculli, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem, summamque victo-

dicatum est] Vet. lib. *quod incendio consumptum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est.* SIG. Ita etiam omnes Msti nostri, Exc. Pithoei, et ed. Camp. Prior lectio innuit, Catulum non modo *dedicasse* Capitolium, sed *refecisse:* idque verum est. Hinc *curator restituendi Capitolii* vocatur apud Gell. 2, 10. Hinc etiam Caesar apud Suet. ejus vita cap. 15. *Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgata, qua curationem illam in alium transferebat.* qui deinde actionem hanc deposuit. An tamen ideo codd. lectio praeferenda est, quia Capitolii refectio ante Catulum Sullae data est; quo, antequam absolveret, mortuo curam hanc Catulus accepit? Vide Tacit. 3. Hist. 72. Deinde vox *quod* deest in Voss. et Exc. Pithoei. Id si placet, locum ita distingue: *Templum Jovis in Capitolio (incendio consumptum ac refectum erat) a Q. Catulo dedicatum est.* Insuper *ab Q. Catulo* Gronov. anno 1665. edidit, et recentiores servarunt. Antea legebatur *a Q. Catulo;* quod superest in omnibus scriptis meis. Exc. Pithoei, et Norv.

Et inmensas utriusque regis copias] Voss. et Gudiani *ingentes.* J. FR. GRONOV. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Campani: quod recepi. Vide ad Epit. 51.

Multis certaminibus fudit] Vet. lib. *pluribus proeliis.* SIGON. Eamdem lectionem praeferunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Idem etiam voluerunt Exc. Pithoei. Sed ibi librarii errore datum est *floribus proeliis. multi* et *plures* alibi quoque confunduntur. Vide ad Epit. 80. Similiter *certamen* et *proelium.* Vide ad Epit. 129.

Bello sibi adversum Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit] Pronomen *sibi* deest in omnibus scriptis meis: qui cum ed. Campani praeferunt *adversus Cretenses.* Vide supra hac Epit. Dein, pro *mandato Cydoniam,* una voce, scribae errore, *Macedoniam* legit Voss.

L. Triarius, legatus Luculli] Triario praenomen *Cnaeus* tribuit Berg. at *Cajus,* vel *Gajus* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, Norv. et edd. usque ad Gruterum, qui in ultima ed. reposuit *L. Triarius.* In eo secutus est Pighium, ita emendantem in Annal. ad A. V. ɔɔcLXXII. pag. 267. Verum *L. Triarium* quaestorem urbanum memorat quidem Cic. 1. in Verr. 14. eum tamen Luculli legatum hoc tempore fuisse, vel legatum Luculli *Lucii* praenomen habuisse, non constat. Certe Ascon. in Arg. Orat. Cic. pro M. Scauro, Appian. in Mithrid. p. 231. Plutarch. in Lucull. pag. 515. in Pompej. p. 639. quae loca Pighius laudavit, et Dio Cass. 35. pag. 4. et 5. omisso praenomine, eum simpliciter *Triarium* vocant. Contra Γάϊος Τριάριος, qui ἐπεῖχιζε τὴν Δῆλον, memoratur Phlegonti Tral. apud Photium in Bibl. pag. 147. quem verisimiliter Luculli legatum re-

riae inponeret, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant: id est, quia legiones Valerianae, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

fert Freinshem. in Supplemento hujus lib. c. 88. Priscam igitur lectionem revocavit.

Lucullum, ne persequeretur etc.] *L. Lucullum* Berg. Tum *ne sequeretur* Voss. *Lucullus ne persequeretur Mithridatem, seditio militum tenuit*, reliquis omissis, Leid.

Qui sequi nolebant, quia legiones Valeriae, impleta] Veteres lib. *id est, legiones Valerianae, quae impleta a se stipendia dicentes.* SIGON. Gud. uterque; *quia sequi eum nolebant, id est, quia legiones Valerianae, impleta ab se stipendia dicentes.* Dio lib. 35. [pag. 6.] Οἱ γὰρ Οὐαλέριοι οἱ τῆς τε στρατείας ἀφεθέντες, καὶ μετὰ τοῦτ' ἀνθις στρατευσάμενοι ἐκινήθησαν. Et rursus [pag. 7.] Καὶ ὅτι τε Οὐαλέριοι μαθόντες, ὅτι τῆς στρατείας παρὰ τοῖς ὁικοις τέλεσιν ἀφεῖνται, παντελῶς ἀπεχώρησαν. J. FR. GRON. *Legiones Valerianas* dicit duas illas, quas, a L. Valerio Flacco consule A. V. ıɔcLXIX. in Asiam adductas, Valerio occiso, Fimbria occuparat. Eas deinde Sulla, ex Asia discedens, ibi cum Murena reliquerat, et Lucullus postea exercitui suo junxerat. Vide Appianum in Mithrid. pag. 204. 210. et seqq. et Dousam ad Sallust. lib. 5. Histor. Earum contumaciam et seditiones Plutarchus quoque in vita Pompeji refert. DUKER. Lectionem, quam Sigonius ex vett. libb. produxit, in Exc. Pithoei superesse, Hearnius monuit. *quia sequi nolebat, id est, quia legiones Valerianae, quae impleta a se stipendia dicentes Lucullum reliquerunt* legit Berg. *quae sequi nolebant, id est, quae legiones Valerianae quod impleta a se stipendia dicentes Lucullum reliquerunt* Voss. *quia sequi nolebant, id est, quia legiones Valerianae, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt* Leid. Lov. 2. et Berg. *Valeriae*, quod in capite Scholii Sigoniani legitur, ex errore operarum ibi ortum videtur: in nullo enim, vel manu, vel typis descripto, libro obvium fuit. Omnes servant *Valerianae*.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXIII.

IN LOCUM LIBRI XCVIII. T. LIVII.

I. Oppressam aere alieno Asiam, et, quo recreata est, Luculli consilium traditurus, cohibere animum nequeo, quin praesentibus temporibus ingemiscat, Germaniam intuens, nullo miserante deterius propemodum ab hac peste, quam sub tricennalis belli nefandis cladibus pereuntem. Quum enim ad omnes prorsus homines, quibus aliquantum rei est, aut fuit, malum istud pertineat, a plurimis annis, sine cura, sine lege, ut cuique potentia aut debilitas aderat, extorquebantur a debitoribus nummi, aut negabantur. Ita dum alii, partem sortis offerendo, tamdiu usurpatae pecuniae alienae mercedem postulant, alii, quamquam praeter suam culpam fortunis eruti, etiam usuras repraesentare coguntur; justitia et concordia, quae in medio esse debuerant, miserandum in modum lacerabantur: donec prorsus Alexandrino more nodum hunc secari placuit: utinam durabili ad pacem remedio! Sed his quoque calamitatibus nostris finem aliquem viderit Deus! U. c. 682. A. C. 70. *Deploratio status Germanici.*

II. Asiae acerba ob impotentiam foeneratorum conditio erat: quod imperatam a Sulla pecuniam, viginti millia talentorum, civitates a publicanis maxime sub gravibus usuris acceperant. Erat illa potentissima factio, et plerumque magistratus Romanos opibus et gratia sic habebant obnoxios, ut illorum auctoritate ad quodvis desiderium suum abuti possent. Ergo servilem in modum vexati provinciales, quo exedentem omnia voraginem interdum placarent, privatim liberos suos, virgines, puerosque formosos; publice, quidquid ornamentorum in civitatibus erat, vendere *Asia usuris oppressa.*

Cap. II. Plut. Lucull. Appian. Mithrid. Plut.

U. c. 682. A. C. 70. cogebantur. quae omnia quum insatiabile foenus haussisset, nec ideo expungi debita possent, ad extremum ipsi creditoribus in servitutem addicebantur.

Luculli aequitate et prudentia liberatur.

III. Adversus haec Lucullus prime constituit, ne majores centesimis usurae ducerentur. deinde usuras, quae sortem excesserant, amputavit, non ad invidiosum illud et inverecundum alterius tanti commentum, quo nuper ex Orco revocato, et interpretatione aucto, perfidiosissimi seculi turpitudo ad exstinguendas fidei et justitiae tenues reliquias erudiri gaudet. Sed quia rem suam creditoribus salvam praestabat, jamque providerat, ut expensam pecuniam brevi recuperarent, tam gravibus usuris ulterius aggravari provinciam non patiebatur. Quippe, quod longe utilissimum apparuit, creditorem in bona obaerati hactenus misit, ut quartam redituum partem perciperet. ita neque debitor egebat, et foenerator haud longo tempore, quod erat ab ipso profectum, cum usuris ad praescriptum a Lucullo modum recuperabat. Quod si quis usuras applicuisset sorti, et sortem et usuras amittebat. Hac aequitate rem paullo ante desperatissimam confecit, ut intra quadriennium omni debito liberaretur Asia, et possessiones obligatione solutae ad eos, qui antea tenuerant, reverterentur.

Ea re foenuratores irritantur.

IV. Hoc pacto duplum ejus, quod dederant, paucis annis adsequuti foeneratores non ideo quiescebant. nam, ut ipsi subduxerant calculum, non quadraginta ipsis, sed centum viginti talentorum millia debebantur. Ceterum in provincia novare nihil poterant. Romam scripserunt ad suos, tribunosque plebis, commodum pristinam omnia turbandi licentiam adeptos, mercati sunt, ut actis desideriisque Luculli obstreperent. At ille, magna, non apud suam modo provinciam, sed universos, gloria (justos enim magistratus rebus ipsis cogentibus unaquaeque civitas laudat) Ephesi residens, Asiam constituebat legibus, cumulabat fidae pacis bonis, spectaculis etiam ludisque triumphalibus seque et illam recreabat. vicissim in honorem ejus Asiatici instituerunt Lucullea, celebraruntque.

Legatio ad Tigranem.

V. Dedit deinde Ap. Claudio operam de legatione sua referenti. eum regii viarum duces longo circum-

Cap. IV. Appian. Plut.

itu et sinuosis itinerum amfractibus detinuerant, donec a servo doctus, quem natione Syrum secum habebat, illis valere jussis, paucis diebus ad Euphratem, et, amne superato, Antiochiam pervenit. U. c. 682. A. C. 70.

Reguloſ et civitates quasdam a Tigrane alienat Appius.

VI. Aberat Tigranes, et, Ptolemaïdo capta, cui se regina Syriae Cleopatra incluſerat, reliquas Phoenices urbes obibat. Idcirco Appius, dum illum opperitur, nonnullos regulorum haudquaquam aequo animo Tigranis opes intueri cernens, illorum animos Romanis conciliabat. quorum et Zarbienus fuit, Gordyenorum rex, quam gentem Gordys condidiſſe traditur, Triptolemi filius. Civitates etiam multas, nuper a Tigrane domitas, quum ad ipſum clam misiſſent legatos, in praeſentia quieſcere juſſit, ut advenienti Lucullo se reservarent. Graecarum enim urbium spiritus Armenium jugum haudquaquam animo aequo patiebantur. Et super omnia inviſa erat intolerabilis superbia Tigranis! qui, fortuna inflatus, neque cupiditatis suae finem, neque magnitudinis modum reperiebat.

Tigranis incrementa.

VII. Nam, a mediocribus initiis profectus, annis viginti quinque multas gentes domuerat. Mesopotamiam, Syriam, Phoenicen occupaverat. Parthos gravius, quam quisquam ante eum aliis. vexaverat: infinita prope millia Graecorum, e Cilicia Cappadociaque abactorum, in Mesopotamia collocarat, Scenitis etiam Arabum transferre sedes in loca sibi placentia coactis. His rebus ita erat elatus, ut multos in quotidiano miniſterio reges haberet: quorum quatuor, si equo veheretur, juxta incedebant pedites; si responſa legatis gentium redderet, conſertis pectinatim manibus adſtabant taciti.

Appii Mithridatem a Tigrane reposcentis oratio.

VIII. Nihil hac scena perturbatus Appius, quum ad edenda mandata in conſpectum veniſſet, *L. Lucullus*, inquit, *populi Romani imperator, Mithridatem, ob multas et graves injurias juſto pioque bello petitum, regno ſuo expulit, rex Tigranes. Quem igitur nobis hoſtem ſua improbitas, ſervum victoria et virtus noſtra fecit, eum, quoquo fuga ſe proripuit, jure gentium repoſcimus. Non arbitramur te, ut hominem, donec opibus et fortuna floruit, omnibus iniquum, gravem tuearis, cum victo et exſule communia habere*

Cap. VI. Joseph. 13, 24. Plut. Strabo, l. 16. p. 747. Plut.
Cap. VII. Eutrop. l. 6. Plut.

U. c. 682. A. C. 70. *fata velle. nec enim ignoras, eamdem caussam esse eorum, qui fugiunt heros, et qui fugitivos recipiunt.*

Libera et minax. IX. *Etiamsi te prae multis regibus potentia valere scio, non tamen opinor tam levi de caussa facturum esse quidquam, quo de illa dimicare cogaris. Quanto plura possides, tanto gravius periclitabere. Quid arma Romana valeant, si Magnus nuper Antiochus, et Magna Carthago parum grandia aut recentia documenta sunt; Mithridates docere potuit, qui et ipse vulgo jam coeperat Magnus usurpari. Et tamen ille in ea tempora incidit, quibus arma civilia, aut socialia, aut servilia denique, vires imperii nostri divisas atque districtas tenebant. nunc intestina bella penitus quieverunt. nullus usquam Sertorius est, nullus Spartacus, qui adferre impedimentum queant, ne, quod senatui populoque Romano visum fuerit, paribus animis viribusque exsequamur.*

Tigranis ad eam commotio. X. Notarunt, qui adstiterant, hac juvenis audacia tactum hominem, qui tot ab annis liberam vocem nullam audiverat, non tenuisse vultus, quem induerat, aequalitatem; sed, quamquam serenum placidumque fingeret, commotionem animi prodidisse. Respondit, *sibi quoque non ignotam Mithridatis pravitatem esse: sed necessitudinem revereri, et commune apud omnes homines opprobrium, si socerum suum ad exitium dedidisset.* In eamdem sententiam et literas ad Lucullum dedit; in quibus, imperatoris omissa appellatione, hanc caussam homo vecors attulit, quod se quoque regem regum appellare Romanus neglexisset. Misit tamen multa et splendida dona Appio; et, illo recusante, plura etiam et pulchriora adjecit. e quibus Appius, ne quasi professis odiis superbum et potentem regem irritaret, una phiala accepta, cetera remisit, celerique cursu ad imperatorem suum est revectus.

Heracleotae arguuntur ab Romanis. XI. Toto illo tempore cum Heracleotis negotium M. Cottae fuerat. isque, iterum tentata improspere oppugnatione, Triarium advocavit, ad prohibendos commeatus, qui obsessis mari subvehebantur. Triarius cum suis tribus et viginti triremibus, viginti Rhodiis, quum Cottae nunciandum curavisset, qua die esset adfuturus, in idem tempus suum exercitum paravit Cotta: acciditque, ut simul terra Romani, simul navibus ad Heracleam accederent.

Proelio navali vincuntur. XII. Heracleotae, re inexspectata perterriti, tamen triginta naves semiplenas deducunt: ceteri ad pellen-

Cap. X. Memnon. Appian. Plut. Cap. XI. Memnon.

dum moenibus hostem accinguntur. In agmine Romano primae Rhodiae naves ibant: in quas illati Heracleotae statim depresserunt tres hostiles; ipsi vicissim quinque perdiderunt. Superveniente deinde Triario, quum aliquamdiu restitissent, in majorum portum coacti sunt refugere, navibus amissis quatuordecim. U. c. 682. A. C. 70.

XIII. Idcirco, licet irritus tum quoque conatus Cottae fuisset, inopia tamen rerum necessariarum, quod Triarius, quotidie cum triremibus oberrans, subvectionem commeatuum impediebat, brevi in maximas calamitates obsessi inciderunt: donec choenix frumenti octoginta drachmis Atticis veniret. Tandem, ut solet, ex fame pestilentia accessit: quae et Lamachum, omnium malorum patriae auctorem, prae caeteris longius et acerbius excruciatum, absumpsit; et in praesidiarios praecipue saeviens, de tribus millibus, qui tum adhuc superfuerant, trientem demessuit. At Romani, quibus aura liberior et annona sufficiens erat, intacti ab his suppliciis manserunt. *Famem patiuntur et pestilentiam.*

XIV. Inde Connacorigi tempus visum de deditione agendi, quo suae saluti vel per interitum Heracleae consuleret. Igitur, assumpto in societatem consilii Damophele, qui, partium Lamachi quum fuisset, etiam in praefecturam ejus successerat, Cottae ingenium, ut ferox et infidum, aversati, cum Triario agere coeperunt. Ea re per epistolam quamdam interceptam prodita, magno cum tumultu in theatrum populus concurrit, cunctisque metu trepidantibus, Brithagoras e primoribus civium oravit, Connacoriga, *siquidem deditio cordi esset, at saltem ne ignaris oppidanis res tanta agitaretur;* seque in illud negotium legatum offerebat: quum negaret Connacorix, *deditionem sibi placere; esse meliorem salutis viam, sibique ex diu emansura auxilia.* Sic decepto populo, Connacorix intempesta nocte milites suos cum sarcinis (id enim Triarius permittebat) imposuit triremibus, simulque cum iis abnavigavit. *A praesidio deserunntur.*

XV. Sub idem tempus Damopheles, apertis portis, Triarium accepit: nonnulli milites, sive taedio morae, sive quo vi capta civitas videretur, per muros transcendere maluerunt. Sic occupata Heraclea, crudeliter in oppidanos saevitum. Romanique memores. quae longam inter obsidionem fastidia, quos labores *A suis proditi capiuntur.*

Cap. XV. Appian. Memnon.

U. c. 682. A. C. 70.

toleraſſent, vel ab aris et simulacris abſtractos jugulabant. quo metu magna pars, per moenia desiliens, per univerſam regionem, ut quisque latebras speraverat, diſſipata eſt, aut ad Cottae caſtra perfugit. Ille, hactenus rei, quum captam urbem direptamque ex his didiciſſet, ira fremens excivit exercitum, protinusque contendit ad urbem, poenam sumpturus a Triario, a quo eſſet et Heracleae capiendae gloria, et manubiarum utilitate spoliatus: concurſumque civilibus armis foret; nisi Triarius, Cotta exercituque multis lenibusque verbis placato, praedam communem omnibus fore spopondiſſet. Sic redintegrata amicitia, quum Tion et Amaſtrin ab Connacorige teneri didiciſſent, Triarius, in iſtam expeditionem profectus, utrumque oppidum, pacto securum abitum Connacorige, nullo negotio recepit.

Cotta crudeliter et avare se gerit Heracleae.

XVI. Inter haec Cotta captivos Heracleotarum, et qui eorum ad se perfugerant, retinens, crudeliter et avare praeſentibus utebatur, omnibus abreptis templorum donariis, simulacrisque numinum, ut nec Herculi parceretur, cui sacram urbem suam, et in illius honorem oraculi juſſu conditam Heraclienſes ferebant. Ejus effigiem antiquitus talem poſuerant, ut nihil ad summam magnificentiam pretiumque ac pulchritudinem reliquum videretur. Clavam addiderant auro obrizo solidam: et ex eodem metallo leoninam ingentem finxerant, plenamque sagittis pharetram. Haec et alia quum ad naves deportaſſet, injici tectis ignem juſſit: quo pleraeque urbis regiones conflagrarunt. Hic fuit Heracliensis obsidionis exitus, alterum in annum protractae.

Romam proficiscens tempeſtates patitur.

XVII. Cotta, miſſis ad Lucullus, qui iterum in Pontum movebat, cohortibus aliisque Romanis, permiſſoque sociis, ut suam quisque in patriam reverterentur, cum claſſe Romam inſtituit iter. sed pars navium onere gravata, quum haud procul litore proceſſiſſet, subſedit: alias flantes forte Aquilones in brevia compulerunt, ut facere jacturam cogerentur.

Lucullus Sinopen obsidet.

XVIII. Quum ita quotidie in deterius res Mithridatis ruerent, motus iterum ex Asia Lucullus validius eas impulit, ira quoque inſtigante, ob superbas

Cap. XVI. Juſtin. 16, 3. Memnon. Cap. XVIII. Plut. Lucull.

Tigranis literas. Idcirco, postquam iterum in Pontum irrupisset, Sinopen obsedit, clarissimam Ponticarum urbium, quam caput regni Mithridates, natus in ea et educatus, effecerat. Leucippus et Cleochares spado urbi praeerant; eratque Seleucus, a quo vectus Heracleam rex fuerat, pari auctoritate additus. horum Leucippum, die ad populum dicta, proditionis collegae reum egerant, et, quum nihil accusando profecissent, noctu interfecerant per insidias. Hinc, irritatis magnopere Sinopensibus, unam effugiendae vindictae viam creditam, tyrannidem invaserunt. U. c. 682. A. C. 70.

XIX. Quum in eo res essent, annonam a Bosporo ad castra Luculli vehentes onerariae naves apparuerunt: quas cum triremibus quindecim praefectus classis Censorinus deducebat. Igitur Seleucus, cum Cilicibus suis et Sinopensium navibus longis provectus, superatis Romanis, onerarias aliquot abstraxit. Haec fortuna magis adhuc inflavit, asperioresque fecit tyrannorum animos, multique ab iis oppidanorum, indicta plerumque caussa, jugulati. Sed et inter ipsos parum conveniebat, Cleochare resistendum Romanis contendente; Seleuco, trucidandos Sinopenses, acceptisque ingentibus praemiis tradendam Lucullo urbem. Quum neuter cederet, re in medio relicta, opes suas onerariis navibus impositas ad Macharem miserunt, Mithridatis filium, qui tum apud Colchos agebat. *Sinopensium praefectorum discordia.*

XX. Circum haec occupatis Lucullus supervenit, castrisque ad Sinopen positis, obsidionem coepit. venerunt mox a Machare legati, societatem et amicitiam petentes. quos ille comiter receptos omnia sperare a se et populo Romano jussit, dum ne commeatu rex eorum Sinopenses aut ulla re alia juvaret. Machares, responso Luculli cognito, fecisse imperata non contentus, ut se bene et gnaviter destinasse probaret amicitiam Romanam colere, quidquid in usum Mithridaticarum partium paraverat, ultro in castra Luculli misit. *Macharis legatio ad Lucullum.*

XXI. Ea res non solum obsessoribus fecit animos, sed et tyrannos penitus adegit ad desperationem. Igitur nocte quadam per milites urbe jussa diripi, levioribusque navigiis delectis, cum magnis divitiis ad in- *Sinope a Lucullo occupatur.*

Cap. XVIII. Appian. Strabo, l. 12. p. 545. Memnon. Oros. 6, 3. Memnon. Cap. XIX. Plut. Memnon. Cap. XXI. Appian.

U. c. 682. A. C. 70. teriora Ponti, ubi Sanni Lazique accolunt, profugerunt, ignibus antea reliquas in naves injectis. Lucullum ortus in urbe clamor (multam enim caedem inter diripiendum Cilices ediderant) simul flamma visa admonuit, ut ad urbem duceret, cujus jam etiam partes aliquas ignis comprehenderat. scalis admotis, facile transcensum: et Cilices, quos praeda tardaverat, passim occisi. ne oppidanis quidem parci inter tumultum potuit; donec, octo ferme hominum interfectis millibus, caedibus abstineri imperator jussit.

Luculli somnium de Autolyco.

XXII. Deinde consolatus Sinopenses privatim sua cuique reddidit, publice dedit libertatem: praeter ingenium beneficum ac mite, somnio quoque motus. Proxima ante capiendam urbem quiete videre visus est habitus ignotioris hominem, paullisper jubentem progredi, ut Autolico occurreret. id somnium inter tantarum rerum occupationes quum exfluxisset animo, forte, dum Cilicas ad mare fugientes persequitur, obvolutam panuis statuam vidit. hanc ubi solvi eximique jussit, statim agnovit speciem, quae obversata noctu fuerat: simul praesentium aliquis Autolycum esse, Sthenidis opus, confirmavit. Heroëm Autolycum Sinopenses colebant, quod sive Jasonis in expeditione Colchica, sive Herculis adversus Amazonas profecti socius, quum forte naufragium iis locis fecisset, Sinopen cum suis pervenerat, eamque urbem prioribus incolis, a Syro (quem Apolline et Asopi filia Sinope genitum ferebent) ibi collocatis, ademptam obtinuerat.

Somniorum vanitas captiosa.

XXIII. Ea res admonuit Lucullum commentariorum, quos ei Sulla inscripserat, inserueratque monitum, *ut per quietem oblata praecipue firmitudinis existimare meminisset.* Quae fatua et puerilis hominum credulitas quid aliud, quam theatrum, est, in quo fabulas suas deceptores genii pro lubitu instruant, erroresque omnes, in quos demergere miseram mortalitatem student, nullo negotio stabiliant? Hanc igitur statuam Lucullus abstulit, una cum Billari sphaera: ceteris ornamentis oppidi abstinuit injuriam. Sinope recepta, nihil jam iis regionibus hostile, praeter Amasiam, supererat.

Cap. XXI. Memnon. Plin. 6, 4. Appian. Memnon. Plut. Memnon. Oros. Plut. Memnon. Plut. Memnon. Cap. XXII. Plut. Appian. Plut. Strabo. Plut. Appian. Plut. Cap. XXIII. Strabo.

Sed ipsa quoque paullo post in ditionem populi Romani concessit. U. c. 682. A. C. 70.

XXIV. Haec agenti Lucullo legati a rege Bosporano advenerunt, coronam auream dono adferentes. quibus ille benigne exceptis, Macharem illorum regem socium amicumque populi Romani appellavit. *Machares socius amicusque populi Romani appellatur.*

XXV. His rebus patratis, quum finem imposuisse Pontico bello videretur, rege fugato, nemine praeterea morante victorem; Sornatium cum sex millibus militum praesidio reliquit provinciae. ipse cum reliquis duodecim millibus peditum, equitum haud totis tribus millibus, Tigrani bellum illaturus, castra movit. Tigranes enim, postquam per annum integrum, octoque praeterea menses, in regno suo versari Mithridatem passus non admisisset in conspectum, sed, custodia corporis attributa, in remotissimis locis magis captivi, quam regis, modo habuisset; sive misericordia ductus, sive metu Romanorum, et legatione irritatus Appii, perquam honorifice acciverat. *Tigranes Mithridatem arcessit.*

XXVI. Triduum inter se arcanis sermonibus transduxerant, conciliataque plenissime gratia, quod ex factis deprehendi potuit, priorum offensiuncularum caussas in amicos rejecerunt. Ex quibus statim interfectus est a Mithridate Metrodorus Scepsius, vir facundia et eruditione clarus, quem in eum amicitiae gradum Mithridates receperat, ut regis patrem appellari pateretur. Sed Tigranes exposuerat Mithridati, quemadmodum ad se missus ille, quum mandata regis sui de belli adversus Romanos societate edidisset, interrogatus a Tigrane, quid igitur ipse suaderet, in haec verba responderit: *Ut legatus, suadeo; ut consilium rogatus, alia omnia.* Nec oderat Metrodorum Tigranes. idcirco, suam per culpam interfectum dolens, magnifice extulit funere, et suprema ei magnis sumptibus persolvit. Splendidis dein epulis omnique comitate socerum quum excepisset, attributis decem millibus equitum dimisit, in Ponto res novaturum. *Unde Metrodoro exitium.*

XXVII. Haec, ut solet, in majus distulerat fama, regesque junctis viribus jamjam in Lycaoniam Ciliciamque irrupturi ferebantur: quum miratus Armenium Lucullus, quod non stantem potius Mithridatem susti- *Lucullus regibus obviam ire statuit.*

Cap. XXIII. Memnon. Cap. XXIV. Appian. Plut. Liv. Epit. Cap. XXV. Plut. Memnon. Appian. Plut. Cap. XXVI. Memnon. Plut. Memnon. Cap. XXVII. Plut.

U. c. 682. A. C. 70. nuisset, quam ut erecturus prostratum idem ipse discrimen adiret; occupare ejus adventum proposuit, et ultro in Armeniam procedere. Gravabantur milites, alioqui plus aequo turbulenti, in regionem hostilem, gentesque bellicosas, et innumerabili equitatu instructas, terramque vastis amnibus et nivosis montibus septam, sequi. Romae quoque a tribunis plebis consilium imperatoris carpebatur, *hominem imperii et opum cupidum bella serere ex bellis, ut publico periculo privatis libidinibus satisfaceret*, invidiose querentibus. Sed ille, placatis utcumque militibus, in Cappadociam duxit, ut ibi, Ariobarzanis opibus amicitiaque apparandis, quae usus belli poscebant; instructior, ubi primum tempus anni pateretur, Euphratem transcenderet.

Tristis censura. XXVIII. Hoc anno tristem in urbe censuram L. Gellius Poplicola, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis. In his et C. Antonius fuit, Marci oratoris filius. cui caussas subscripserunt censoris, *quod socios diripuerit; quod judicium, apud M. Lucullum praetorem accusatus, recusarit, turpi allegatione, se cum Graecis hominibus in urbe non posse aequo jure contendere; quod propter aeris alieni magnitudinem praedia manciparit, bonaque sua in potestate non haberet.* Etiam P. Lentulus Sura, qui nuper consul fuerat, senatu motus est, et Q. Curius, notissimus aleator, ceterique, mox ad Catilinariae conjurationis scelus non tam hac censoria nota, quam caussis aliis, impulsi. *Census auctus.* Lustrum deinde conditum est. civium amplior, quam ante, numerus, receptis in idem jus sociorum populis, fuit. capita nongenta quinquaginta millia censa, principem senatus Q. Lutatium Catulum legerunt.

XXIX. Per idem tempus L. Metellus Siciliae praetor rem adversus piratas prospere gessit. Nam inter foedissimam C. Verris praeturam Pyrganio archipirata Syracusanum portum, pulsa classe Romana, obtinuerat, insulamque inde caedibus rapinisque misere vexabat. Hunc igitur Metellus, terrestri navalique proelio victum, profugere ex Sicilia coëgit, pacemque provinciae reddidit.

XXX. Fi-

Cap. XXVII. Memnon. Cap. XXVIII. Liv. Epit. Ascon. in Tog. Candid. Plut. Caes. c. 5. Ascon. Plut. Cic. c. 22. Dio, l. 37. Ascon. in Tog. Candid. Sall. Catil. c. 23. Liv. Epit. Cap. XXIX. Lips. Admirand. 1, 7. et Elector. 1, 27. Dio, l. 36. Liv. Epit. Oros. 6, 3.

XXX. Finem hujus anni laetum urbi, reditu suo in gratiam, duo potentissimi viri Pompejus Crassusque consules fecere. Illi hactenus retinuerant exercitus suos, neque populum, extrema quaeque inter discordes et praevalidos metuentem, quum eos rogaret, ut reconciliari paterentur, audiverant. Sed, postquam, alio tempore sedentibus pro tribunali, C. quidam Aurelius, equestri loco natus, sed qui vitam procul negotiis egerat, ad eos ascendit, *Jovemque sibi per quietem imperasse* dixit, *moneret consules, uti in gratiam redirent*, populusque gemebundus et supplex eadem precari coepit; Pompejus restitit tacens; at Crassus, prior porrigens dextram, *Nihil*, inquit, *me indignum aut vile facere reor, si huic Pompejo aliquid defero, quem vos imberbem adhuc appellare Magnum sustinuistis; quem bis triumphare jussistis, priusquam in senatum legeretur.* Tunc et Pompejus occurrit Crasso, junctisque dextris fecerunt redintegratae gratiae fidem. ergo populus, in laetas acclamationes votaque et preces effusus, non ante destitit, quam dies ab utroque mittendis exercitibus diceretur. Id ubi est factum, magistratu consules abiverunt.

U. c. 682. A. C. 70. *Pompejus et Crassus in gratiam redeunt.*

Exercitus dimittunt.

XXXI. Q. deinde Hortensio, Q. Caecilio Metello, qui postea Creticus appellatus est, consulibus, templum Jovis in Capitolio, quod ex Sullanorum temporum injuria super iisdem fundamentis refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est: quem solum honorem felicitati suae defuisse confessum questumque L. Sullam ferunt. In ea dedicatione, quum vehemens aestus esset, Q. Catulus velis expansis umbram fieri populo jussit, quod deinceps in theatris est frequentatum.

U. c. 683. A. C. 69. Q. Hortensio, Q. Caecilio Coss.

XXXII. His consulibus, Romanae copiae, imperatore Lucullo, maximis itineribus per regnum Ariobarzanis contenderunt ad Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur: et, quamquam ad id naves codicariae occulto per hiemem fabrefactae aderant, tamen hibernis aquis tumidus amnis transeundi metum faciebat. sed mira felicitate circa vesperam ejus diei subsidere flumen coepit, et fluctus intra alveum coërcere. Igitur accolae, quum, reddita

Lucullus ad Euphratem movet.

Cap. XXX. Plut. Pomp. et Crasso. Appian. Civil. l. 1. Plut. Appian. Plut. Appian. Plut. Pomp. Cap. XXXI. Liv. Epit. Dionys. Halic. 4, 69. Cassiod. Chron. Cic. in Verr. 4, 31. Cap. XXXII. Plin. 7, 43. Tac. Hist. 3, 72. Plut. Poplic. c. 23. Plin. 19, 1. Val. Max. 2, 4.

U. c. 683. A. C. 69. luce, non inflatior solito Euphrates parvas in mediis aquis insulas ostenderet, adoraverunt Lucullum, amicum Deo imperatorem rati, cujus honoris caussa praeter solitum tam cito amnis detumuisset.

Ei sacrificaturo ultro se sistit hostia.

XXXIII. Alia deinde haud minus insolita res, oblata transgresso, opinionem hominum firmavit. Pascebat in ea regione Persicae Dianae sacrum armentum, peculiari nota insigne, et humanis usibus exemptum. ex eo, ubi tempus sacrificii venisset, plerumque non sine magno labore victima capiebatur. Sed tum ultro ad petram, quae sacra Deae habetur, insigni specie bos concedens, eo loco constitit, demissoque capite, tamquam reste traheretur, hostiam se praebuit Lucullo. Ille et hoc peragit sacrum, et propter facilem transitum taurum immolavit Euphrati. His eodem die perfectis, postero sequentibusque per Sophenen iter fecit, pacato agmine, quod incolas pacificis animis imperata facientes nulla re violari voluerat. sed et militibus, castellum quoddam, ubi magnos esse thesauros audierant, capere volentibus, ostenso procul monte Tauro, *Istud potius*, inquit, *exscindendum nobis praesidium est. nam haec quidem victoribus servantur.* Magnis deinde itineribus ad Tigrin, et, hoc quoque superato, in Armeniam processit.

Tigranis vecordia.

XXXIV. Nec quisquam ibat obviam, ignaro omnium Tigrane, cui nunciare Luculli adventum audebat nemo, quod, qui primus id fecerat, tamquam civitatibus turbandis nuncium fingeret, capitali supplicio erat adfectus. Et adulatores blanditiis et laudibus vanos spiritus inflabant, *egregium fore ducem Lucullum*, dictitantes, *si vel Ephesi exspectet regis regum impetum, nec ad primum conspectum innumerabilium copiarum diffugiat.* Tandem unus amicorum Mithrobarzanes, verum indicare ausus, e vestigio adsumptis tribus equitum millibus, et ingenti peditum numero, Romanos obterere jussus est, solum ducem vivum adducere.

Qui Mithrobarzanem cum stolidis mandatis emittit.

XXXV. Forte castra metari primum suorum agmen Lucullus jusserat, donec reliqua pars exercitus, quae adhuc erat in itinere, successisset; quum adesse illi hostes nunciatur. idcirco, ne distractas copias Armenii opprimerent, ipse ad castra permunienda substitit.

Cap. XXXII. Plut. Lucull. Sall. Hist. 4, 9. Cap. XXXIII. Plut. Appian. Mithrid. Plut. Cap. XXXIV. Appian. Plut. Appian. et Plut.

Sextilium legatum cum mille sexcentis equitibus, militumque et velitum haud multo majore numero praemisit; mandato, *ut, quum appropinquasset hostis, citra pugnae periculum distineret eum, donec munita esse castra didicisset.* Imperium ducis quum servare Sextilius vellet, impetu ferociter invehentium se hostium dimicare est coactus. pugna prospera Romanis fuit. Mithrobarzanes in proelio cecidit: barbari plerique fugientes caesi: pauci ad regem redierunt incolumes. Is, hoc nuncio territus, neque minus nunc ad timorem praeceps, quam paullo ante superbia tumidus fuerat, Tigranocerta Mancaei fidei committit. ipse ad Taurum montem se confert, omnes imperii vires eo contracturus, Mithridate quoque revocato.

U. c. 683. A. C. 69.

Sed is a Romanis caeditur.

XXXVI. Lucullus interea urbem, in qua concubinas regis adservari audiverat, obsidebat, Sextilio ad Tigranocerta claudenda, aliis quoque ducibus circum insigniora castella dimissis. Mancaeus Sextilium arcere instituerat. sed, repulsus intra moenia, suburbanam regiam diripi, seque et urbem circumvallari, adduci machinas, effodi cuniculos tulit. Interea sex equitum millia, jussu Tigranis ad concubinas eripiendas profecta, per medias Romanorum copias, quum imbre sagittarum clausissent iis exitum, eduxerunt mulieres, praemiseruntque per noctem. sed, orta luce, Romanisque et Thracum auxiliis acerrime proeliantibus, magna multitudo Armeniorum caesa captaque, praemissum tamen agmen, quia jam aliquantum viae praeceperat, in loca tuta pervenit.

Tigranes concubinas suas eripiendas periculo curat.

XXXVII. At Lucullus, ne spatium regi per otium contrahendarum virium concederet, Murenam ad carpendos, qui ad illum accelerabant, misit. ipse quum ad Tigranocerta venisset, Sextilium occurrere Arabum exercitui jussit, qui conjungere se Tigrani cupiebat. Et horum plerique oppressi sunt a Sextilio, quum forte castra ponentibus supervenisset. Murena, in arcta quadam et confragosa valle Tigranem nactus, loco audaciam dante, conseruit manus: neque spernenda victoria potitus, impedimentis omnibus regem exuit.

XXXVIII. Sed Lucullus, ut ad pugnam eum eliceret, acriter Tigranocerta premebat, non sine peri-

Lucullus Tigranocerta oppugnat.

Cap. XXXV. Appian. Plut. Cap. XXXVI. Memnon. Appian. Memnon. Cap. XXXVII. Plut. Xiphilin. Plut. Cic. pro Mur. c. 9. Plut.

U. c. 683. A. C. 69.

culo militum; in quos obsessi, praeter solita defendendis urbibus, ignes omnia comburentes, nec restingui faciles, ejaculabantur. Naphtam vocant bituminis genus, adeo cognatum ignibus, ut eminus rapiat flammas, et momento vel in longa spatia diffusum inardescat. similis natura malthae, cujus in Commagenes urbe Samosatis stagnum est; qua etiam, oppugnante Lucullo, muros defendisse oppidani traduntur.

Ejus urbis opulentia.

XXXIX. Urgebat tamen inceptum Lucullus, haud dubitans, succursurum ei urbi Tigranem, quam tantae curae semper habuisset, totque ac tantis nobilitasset ornamentis. Namque Tigranes, ut hanc omnium efficeret opulentissimam, proceribus suis, ut ibi haberent domicilia, praeceperat, mulcta quoque imposita, ut, quidquid pretiosarum rerum in eam urbem non transtulissent, publicaretur. Huc coactis Graecorum, Adiabenorum, Assyriorum, Gordyenorum, eque Cappadocia et Cilicia multis millibus, quorum patrias non aliam ferme ob caussam exciderat, murum curaverat exaedificandum cubitorum quinquaginta altitudine, in cujus ambitu stabula equorum erant disposita. Regiam quoque hortosque in suburbiis, ferarumque et piscium vivaria, itemque arcem validam juxta struxerat.

Mithridates Tigranem dehortatur a pugna.

XL. Neque Mithridates aliud, quam quod in exspectatione Lucullo erat, metuebat. crebris ergo nunciis literisque monebat Tigranem, *ne in discrimen res daret: tantum intercipere commeatum niteretur. unam hanc victoriae viam. collatis signis insuperabilem vim Romanam esse.* Eadem Taxiles, dux Mithridatis, qui tum Tigrani aderat, praecipere non desinebat.

Sed ille, viribus et adulationibus inflatus, consilium spernit.

XLI. Tigranes ab initio praebebat aures. sed, postquam Armeniorum Gordyenorumque coacta multitudo adfuit, exercitusque numerosos Medorum Adiabenorumque reges adduxerunt, praeterea a Babylonio mari Arabum, a Caspio Albanorum et Iberorum magnus numerus advenit, accedentibus quoque liberarum gentium auxiliis, quae ab Araxe fluvio, partim donis aut gratia motae miserant, partim ea opinione, quod ad diripiendum nobilissimum iis oris fanum Romani

Cap. XXXVIII. Xiphilin. Sall. Hist. 4, 13. Plin. 2, 105. Plut. Alex. c. 54. Cap. XXXIX. Plin. 2, 104. Plut. Lucull. Appian. Plut. Dio, l. 35. Appian. Cap. XL. Plut. Appian. Plut. Cic. pro Lege Manil. c. 9.

existimabantur venisse; omnia apud barbaros audacia minisque personare coeperunt; neque in conviviis regis, neque in consilio, aliis erat sermonibus locus. Taxiles, quia tum quoque pugnam oblique dissuadebat, in periculum vitae adductus est: Mithridates pro aemulo traductus, qui tantam gloriam socero invideret. Igitur, non exspectato illo, ne veniret in victoriae societatem, Tigranes toto cum exercitu movit, nihil aeque apud amicos, ut ferebatur, questus, quam *quod cum uno tantum Luculło, ac non simul omnibus Romani populi ducibus, dimicatio instaret.* U. c. 683. A. C. 69.

XLII. Et erant eae vires, quae modestiorem etiam animum efferre potuissent. funditores et sagittarii viginti millia expleverant; equites millia quinque et quinquaginta: quorum (ut ad senatum scripsit Lucullus) septemdecim millia cataphracti erant, ferrea omni specie. His gravis armaturae milites centum quinquaginta millia accesserant. calonum quoque et munitorum, ad pontes sternendos, caedendamque materiem, et similes usus, triginta quinque millia sequebantur. Hoc tantum agmen ubi primum, superato Tauro, conspici a Tigranocertis potuit, obsessi, ex metu in audaciam versi, Romanos respicere minitabundi jubebant. *Tigranis copiae.*

XLIII. At in principiis Romanis diversae sententiae dicebantur: quibusdam occurrendum regi, aliis non esse deferendam obsidionem affirmantibus. Lucullus, utrosque recte censuisse dicens, et neutros, divisit copias, Murenaque cum sex peditum millibus in castris relicto, quatuor et viginti cohortes, in quibus haud erant amplius decem armatorum millia, cum omni equitatu, et funditorum sagittariorum mille ducit in Armenios. *Luculli copiae.*

XLIV. Illi, patenti in campo juxta flumen castra metantem conspicati, contempta paucitate, ludum jocumque faciebant. neque quisquam erat regum ducumve, quin, adito Tigrane, sibi seorsim pugnam posceret: *neque enim attinere, tantum exercitum tam levi operae pretio fatigari.* Etiam Tigranes facetus esse voluit, et, *Siquidem hi pro legatis*, inquit, *adsunt, oppido multi sunt; sin vero pro bellatoribus, oppido pauci.*

Cap. XLI. Plut. Cap. XLII. Sall. Hist. 4, 9. Plut. Cap. XLIV. Appian. Memnon. Xiphilin. Plut.

U. c. 683. A. C. 69.

Lucullus ad pugnam educit suos.

XLV. Longe alia aestimatione suas Tigranisque vires Lucullus pensabat: inhabilem hostium multitudinem sua mole perituram ratus, si, priusquam ordinari posset, turbaretur. Idcirco simul cum luce copias armatas instructasque castris educit, amnem transiturus. Erat in aversa ab hostibus parte commodum transgressuro vadum. id dum petit, speciem fugientis praebuit Tigrani: isque, prae voluptate gestiens, Taxilem compellabat, *Ecce autem invicti tui Romani fugiunt*, inquiens. Rursus ille, *Utinam ita sit, o Rex! at vero comptis illos signis armisque fulgentibus incedere video. hoc ad pugnam eunies faciunt, in itinere coriaceis tegumentis arma condere soliti.* Vix finierat, quum prima aquila flectentis agmen Luculli versus Tigranem ire visa est, manipulatimque cohortes sequi. Tum vero, tamquam ex profunda ebrietate reversus ad se Tigranes, bis terve exclamato, *Itane in nos illi?* propere suos instrui jubet.

Pugnae initium et progressus.

XLVI. Mediam aciem regendam sibi sumit: laevum cornu Adiabeno regi permittit; dextrum, ubi plerique cataphracti primis in ordinibus stabant, Medo. Hoc in cornu primum invectus Lucullus reperit victoriae viam. Tumulum enim quemdam, sub quo cataphracti collocati erant, conspicatus, hoc situ, ut in vertice planus et patens, aditu haud valde aspero passuum non ferme quingentorum adscendi posset, Thracum Gallograecorumque alas ex obliquo in cataphractorum ordines incurrere jubet, ensibusque contos, in quibus omnis illorum vis est, detorquere. Interim ipse, conspicuis armis indutus, exserto gladio ante prima signa in tumulum enititur; locoque capto, *Vicimus*, exclamat, *vicimus, milites!* simul ruit in cataphractos, omissis pilis enses stringi, petique crura et femora, quae sola patebant vulneribus, praecipiens. Sed hostes, non exspectato congressu, foedam prorsus fugam praecipitant: ipsique et equi armis graves intolerabili pondere incumbunt suorum ordinibus.

Armeniorum fuga.

XLVII. Omnia statim tumultu et terrore complentur, alios aliis turbantibus. neque fugae locus est: conferta constipataque acies a paucis impune caeditur. Multum ibi sanguinis fusum est, quia Lucullus spoliari

Cap. XLV. Frontin. 2, 1, 14. Plut. Cap. XLVI. Memnon. Appian. Frontin. 2, 2, 4. Plut. Apophth. Rom. Appian. Plut. Lucull. Memnon. Appian. Cap. XLVII. Plut. Appian.

corpora, nisi post consummatam victoriam, severo proposito edicto, vetuerat. igitur per quindecim millia passuum, armillas torquesque aureos calcando, insequuti hostem sunt: sub noctem demum reversi, Lucullo jam permittente, legerunt spolia. Peditum ad millia centum interfecta traduntur, equites valde pauci effugisse; quum victores omnino quinque cecidissent, centum essent vulnerati: ut ipsos propemodum puderet victoriae suae, qui cum talibus mancipiis, quasi cum viris, signa contulissent. tam levi momento dejectus conculcatusque potentissimi regis, ejusdemque superbissimi, fastus fuit. U. c. 683. A. C. 69.

XLVIII. Atque ipse inter primos fugiens, vix centum quinquaginta equitibus comitatus, quum filium in eadem fortuna conspiceret, diadema capiti detractum porrexit lacrimans, jussitque alia, qua videretur, via salutem quaerere. Adolescens, imponere sibi tiaram non ausus, servandum uni ex fidissimis dedit. atque, eo capto, diadema quoque cum dependentibus vittis pervenit in potestatem victoris. *Ipsiusque Tigranis.*

XLIX. Pugnatum est pridie nonas Octobres, quamvis illa dies, ob cladem Caepionis Cimbricam, inter atras haberetur. Sed Lucullus id submonenti cuipiam, *ex atra facturum*, respondit, *candidam;* idque cum ingenti sua gloria praestitit. Numquam tanto inferiores numero Romani pugnaverant. nec enim vicesimam hostium partem Luculli exercitus adaequabat. Sed apud peritos belli hoc summi ducis argumentum habebatur, quod duabus diversissimis artibus celeberrimos duos aetatis ejus reges, Mithridatem fregisset mora, Tigranem celeritate obtrivisset. *Pugnae dies, et de ea dictum Luculli.*

L. Atque res tam improvisa etiam Mithridatem fefellerat, qui, Lucullum priore belli gerendi ratione usurum ratus, non maturaverat ad Tigranem accedere. Tendenti ad illum occurrerunt in itinere pauci primum, deinde plures profugorum ex proelio. unde, cognito Tigranis casu, requisivit eum diligenter: neque reddidit contumelias, sed, ex equo desiliens, vestem ei regiam, haud inferiorem, quam gestare erat solitus, suique comitatus partem dedit; bonoque ani- *Mithridates Tigranem consolatur.*

Cap. XLVII. Plut. Cap. XLVIII. Oros. 6, 5. Memnon. Plut. Xiphilin. Cap. XLIX. Plut. Apophth. Rom. et in Lucull. Cap. L. Memnon.

U. c. 683. A. C. 69.

mo esse jussum ad parandas alias copias bellumque resumendum confirmavit.

Discordia Mancaei cum Graecis Tigranocerta aperit Lucullo.

LI. Inter haec, reverso ad Tigranocerta Lucullo, Mancaeus Graecis militibus mercenariis, quod suspectos haberet, arma ademit. Unde illi, acerbiora veriti, dies noctesque congregati permanebant, fustibus armorum loco arreptis. idcirco Mancaeus cum armatis in eos impetum fecit, eventu prorsus inopinato. Namque, brachia veste obvoluta clipeorum vicem objicientes, fustibus haud impigre se defenderunt; occisorumque barbarorum armis celeriter inter se divisis, moeniorum partem occuparunt. Cum iis magna quoque pars Graecorum urbem incolentium sentiebat. Ea discordia Romanis urbem aperuit, thesaurosque regis, et aliorum amplissimas opes tradidit. Octo millia talentum signatae pecuniae inventa sunt. urbs diripienda militibus data, et insuper distributi in singulos denarii octingenti. Multi scenici artifices capti erant, quos ad dedicandum theatrum Tigranes contraxerat. iis Lucullus ad ludos victoriae suae usus est. Convenas deinde variarum gentium, quibus Tigranes urbem suam frequentaverat, in suam quosque patriam dimisit, Graecis etiam viatico dato. Ita, cujus urbis incrementum multarum aliarum ruina fuerat, ejusdem interitus vicissim illas magna ex parte recreavit.

Tigranes summam rerum permittit Mithridati.

LII. Interea reges magna cura nationes obeundo novum exercitum colligebant, summam rerum, permissu Tigranis, in se recipiente Mithridate, quod animo ac prudentia praestare, et belli contra Romanos gerendi per adversa ac prospera peritior habebatur.

Ad Phraatem Tigranis legatio.

LIII. Misit etiam Tigranes ad Phraatem, qui Deus cognominatus nuper Sinatruci successerat. *cum patre ejus quas gessisset inimicitias, ipsius morte exspirasse. adversus novum regem integra sibi omnia; quoque magis fida inter utrumque sit amicitia, et adversus communes regum hostes Romanos societas, Mesopotamia se, et Adiabene, et regione, quam Convalles Magnas vocant, cedere.*

Ad eumdem literae Mithridatis.

LIV. Mithridates quoque literas addidit, quarum sententia in Sallustii Crispi fragmentis ita est exposita.

Cap. LI. Plut. Appian. Dio, l. 35. Memnon. Plut. Strabo, l. 11. p. 532. Plut. Cap. LII. Appian. Memnon. Cap. LIII. Dio. Phlegon apud Phot. Appian. Dio. Memnon. Strabo, l. 11. p. 532. Cap. LIV. Sall. Hist. 4.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere: dein, quod quaeritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni, et scelestissimi. egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. neque petere audeam societatem: et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atqui ea, quae te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli, et meae res parum prosperae, si vera aestimare voles, maxime hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem accipiet: mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi; et, quod florentibus optabile est, ego non validissimus praebeo exemplum, quo rectius tua componas. U. c. 683. A. C. 69.

LV. *Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum: qua primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere, dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes. Ei subvenientem Antiochum concessione Asiae per dolum avertere: ac mox a Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro, et quindecim millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde Philippi filium, post multa et varia certamina, apud Samothracas Deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiae, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem. Post, Attalum custodem agri captivi sumptibus et contumeliis ex rege miserrimum servorum effecere: simulatoque impio testamento, filium Eumenis Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est. Postremo totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere; quum filius Nusae, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie esset.* *Reges a Romanis eversos commemorantis.*

LVI. *Nam quid ego me appellem? quem, disjunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris eorum haud ignarum, et ea, quae accidere, testatum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemaeum? Atque ego ultus injurias Nicomedem Bithynia expuli; Asiamque spolium regis Antiochi recepi; et Graeciae dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus, exercitu prodito, impedivit: illique, quos ignavia, aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas poenas solvunt: Ptolemaeus pretio in dies bellum protatans; Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi excidio, habituri.* *Et sua cum illis certamina.*

U. c. 683. A. C. 69. *Iteratoque sumptum bellum.*

LVII. *Equidem quum mihi ob ipsorum interitu mala dilata proelia magis, quam pacem datam, intelligerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum cepi; Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherrima. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente: simul hiems mari prohibebat. ita sine vi hostium regredi coactus in patrium regnum, naufragiis apud Parium et Heracleam militum optimos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Cabira exercitu, et variis inter me atque Lucullum proeliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego, vastatis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: sequutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvertendi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant.*

Ex his Phraatem capere consilium jubet.

LVIII. *Nunc, quaeso, considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum, et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. ceterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore per nostra corpora bellum conficere; quando neque vincere, neque vinci sine tuo periculo possumus.*

Romanos omnium esse hostes inculcat.

LIX. *An ignoras, Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem oceanus fecit, arma huc convertisse? neque quidquam a principio, nisi raptum, habere, domum, conjuges, agros, imperium? convenas olim sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum? quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, inopes potentesque trahant excidantque; omniaque non serva, et maxime regna, hostilia ducant. Namque pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt: nos suspecti sumus, aemuli, et in tempore vindices adfuturi. Tu vero, cui Seleucia, maxima urbium, regnumque Persidis inclitis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in praesens, et postea bellum, exspectas? Romani in omnes arma habent: acerrima in eos, quibus victis spolia maxima sunt.*

Sed illos tamen vinci posse.

LX. *Audendo, et fallendo, et bella ex bellis serendo magni facti, per hunc morem exstinguent omnia, aut occident. quod difficile non est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna, aut nostris vitiis adhuc incolumem. teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gentium oppressisse.*

Quod uti facias, moneo hortorque, neu malis pernicie nostra unum imperium prolatare, quam societate victor fieri. U. c. 683. A. C. 69.

LXI. Romae, his rebus auditis, haudquaquam pro merito Luculli gratia fuit. quin elapsum Tigranem imputabant, et imperii certe dulcedine hoc agi, ut perpetua iis locis bella essent. Igitur tum quidem *praetores sortiri* jusserunt *Asiam;* deinde decreverunt, *ut alter sequentis anni consulum succederet:* quamquam sine ulla aerarii molestia, bello semet alente, tot amplissimae provinciae populo Romano quaerebantur. Sed invidia, quae plerumque bonum publicum vincit, tum quidem potior ad minuendam summi imperatoris dignitatem, quam ad augendam virtus fuit. *Luculli invident senatores Romani.*

LXII. Alienis quoque vitiis miscebatur; *Ponticos imperatores sibi prospicere posse, rempublicam post privata commoda ducere*, clamantibus multis; quod M. Cotta nuper cum invidiosis opibus redierat. Et, quamquam, minuendi rumoris caussa, magnam pecuniam in aerarium intulerat, manebat opinio, de multis eum pauca populo Romano dedisse. Neque aliam veriorem caussam fuisse volebant, cur quaestorem a se P. Oppium dimisisset. Atqui Oppius, quum ob pecunias male captas, et cibaria militum fraudata, a proconsule ablegaretur, etiam insidiatus illi fuerat, deprehensusque, dum tectum veste pugionem conatur expedire. Sed apud iratos etiam, quae sublevare hominem debuerant, ultro in crimen vocabantur. *M. Cotta Romam reversus.*

LXIII. Idcirco propter illius offensam Heracleotis aequiores, dimitti captivos illorum, libertatique restitui jusserunt. Quorum Thrasymedes, quum ei concionem inimicus Cottae Carbo praebuisset, Heracliensium defleta calamitate, innocentiam illorum, saevitiamque et aviditatem Cottae exposuit. Simul captivorum multitudo, promiscuus sexus aetasque, protensis supplicum ramis, velut publica comploratione, populum movebant. Cotta deinde pauca pro se loquuto, et ad populi jussum vocante, surgens Carbo, *Capi*, inquit, *Heracleam, non exscindi, jussimus.* Aliis quoque Cottam incusantibus, praecipuo Carbonis studio damnatus est. Exsilio tamen remisso, senatoriis insignibus caruit: Heracleotis ager portusque, et quod *Accusatur.*

Cap. XLI. Dio. Plut. Lucull. Cap. LXII. Memnon. Dio, l. 36. Cap. LXIII. Memnon. Val. Max. 5, 4, 4. Memnon.

U. C. 683. A. C. 69. in mari juris habuerant, redditum: civitasque libera esse et suis uti legibus jussa est.

Luculli justitia et humanitas.

LXIV. At Lucullus imperator, rebus gerendis intentus, non armis modo, sed justitiae et humanitatis blandissima vi, barbaros subigebat. Tigranocertis multas nobiles feminas captas honestissime habuerat. per has mariti earum adducti sunt in fidem; quos inter Antiochus Commagenae rex fuit, et regulus Arabum Alchaudonius. Armeniae quoque multae partes se dediderunt, Sophenorum tota natio, et regis sui casum acerbe ferentes Gordyeni.

Zarbieno facit exsequias.

LXV. Zarbienus is fuerat, jam, ut praediximus, per Ap. Claudium adjunctus Lucullo, et hoc crimine, postquam res prodita est, ab Tigrane interemptus. Huic insignes exsequias Lucullus fecit, *amicum sociumque populi Romani* appellans, monumentumque locavit splendidissimum. Nam in thesauris ejus auri argentique magnam vim repererat; praeterea conditi in horreis frumenti medimnorum tricies centena millia.

Parthos petituros a milite destituitur.

LXVI. Cognitis deinde regum ad Phraatem legationibus, ipse quoque sociorum nonnullos ad eum misit, ut amicitiam ei Romanam utiliorem bello fore ostenderent. Parthus, utrisque spe societatis clam facta, legatos dimisit. Deinde, quum missus a Lucullo Sextilius venisset, virum militarem ad speculandum regionis viriumque habitum accessisse suspicatus, neque promissa Romanis auxilia, neque contra eos regibus misit: quod, illis inter sese bellantibus, sibi certissimum cum securitate emolumentum pollicebatur. Neque impunita ei astutia maneret, ni Luculli animum ignavia et seditio militaris destituisset. Quum enim ille ad Sornatium ceterosque legatos ac tribunos suos scripsisset, adduci jubens, quas reliquerat in Ponto, copias, quod per Gordyenen in Parthos irrumpere cogitabat, dilatis interim Tigrane et Mithridate regibus; milites neque ad Lucullum ituros responderunt, neque diutius futuros in praesidiis.

Militum seditiosae voces.

LXVII. Quod ubi in castris Luculli est cognitum, eadem contumacia in praesentem exercitum pervasit. omnes mirari ac laudari Ponticorum militum animos: *bos vere liberos*, *bos viros* dicere. *at se*, *tamquam vilia mancipia*, *quocumque inquieti domini cupiditates jussissent*, *sub*

Cap. LXIV. Plut. Dio, l. 35. Plut. Cap. LXVI. Memnon. Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Plut. Eutrop. Plut.

alium pene solem, ignotas in terras trahi, etiamsi impervia ferro membra haberent, sento et itinerum labore defecturos. Ita Lucullo quiescendum aliquamdiu contra animi sententiam fuit. Interea Romae iisdem consulibus M. Pupius Piso ex Hispania triumphavit, non admodum magnis gestis rebus. Sequens annus unum tantummodo consulem habuit, Q. Marcium Regem, quia L. Metellus collega ejus principio anni obiverat, et post eum alius, qui fuerat in locum Metelli subrogatus; eaque ex re postmodum suffici quemquam religio incesserat.

U. c. 684. A. C. 68. Q. Marcio, L. Caecilio Coss.

Consuli suffecto morienti alium suffici religio est.

LXVIII. Interea Mithridates, armorum officinis per oppida institutis, omnique fere Armeniorum juventute contracta, delectus agebat: unde retentis, quorum alacritas et robur eminebat, septuaginta millibus peditum, triginta quinque equitum, ceteram multitudinem dimisit. Eas copias, in cohortes alasque proxime Romanum morem tributas, per homines Ponticos, gnaros ejus militiae, exercebat. Spatium ei dabant Romanorum militum vitia, jam velut precario parentium. Haec verior caussa dilatae expeditionis Lucullo fuit, quam frigora, quae obtendebantur.

Mithridates novum exercitum cogit.

LXIX. Igitur non ante mediam aestatem motis castris, quum persequendi Tigranis caussa Taurum transcendisset, licet opinione sua falsus, in plana deduxit exercitum. Quam enim ille messem ob anni tempus jam maturam adepturam existimaverat, adhuc in herba erat, propter coeli asperitatem tardius ibi canescente segete. Quapropter, ut ad proelium eliceret hostem, vastare partem regionis coepit: et nihilominus cunctantibus Armeniis, ad illorum castra contendit. Erant illa in colle quodam sita, ubi peditatum omnem cum parte equitatus Mithridates continebat: cum reliquis equitibus Tigranes frumentatoribus insidiatus, bis terve repulsus a Romanis est, levi cum jactura hominum, quia Romano superior barbarus equitatus, simul accedere pedites senserat, vertebat terga, fugamque inibat hostibus damnosiorem, emittendis a tergo sagittis, multosque aut interficiebant statim, aut gravissimis adficiebant vulneribus. Duplices enim aculeos illorum sagittae habebant, sic aptatos, ut, si arundinem vel-

Lucullus Taurum transcendit.

Cap. LXVII. Cic. in Pis. c. 26. et ibi Ascon. Dio. Cap. LXVIII. Appian. Phlegon apud Phot. Appian. Plut. Dio. Plut. Cap. LXIX. Appian. Plut. Dio.

U. c. 684. A. C. 68. leres, una tantum ferri particula sequeretur; altera, quod prehendi trahique non posset, caeca peste corpus ad perniciem ureret.

Descriptio sagittarum, aculeos in corpore relinquentium. LXX. Neque poenitet, quo clarius intelligatur ejus ingenii ratio, rem ex usu remotam, praeterea perquam obscure traditam, pluribus verbis et manifestioribus exposuisse. Praefixum arundini ferrum non erat solidum, sed duabus ex laminis ita compositum, ut altera fibulam haberet, qua ligno adnecteretur, altera huic sic jungeretur, ut coïret in unius aculei speciem, ceterum leviter tantum esset alligata, quo emitti quidem arcu posset, et simul penetraret in vulnus; sed tracta evulsaque sagitta, hamulis suis retenta facile se vinculo educeret.

Lucullus Artaxata petit. LXXI. Ceterum illae, quamquam modicae, victoriae submovebant tamen hostem, vicosque liberius populandi copiam Lucullo faciebant. atque ille, intercepto, qui regibus apportabatur, commeatu, quam timuerat inopiam, in eam hostes redegit. Reges tamen nulla re ad universum certamen eliciebantur, quum nihil intentatum Lucullus reliquisset; etiam castra circumvallare orsus. Igitur, annona jam deficiente, quum praeterea milites, qui inter levia certamina sagittis vulnerabantur, aut inter curandum morerentur, aut mutilarentur membris; Artaxata versus instituit iter, ubi regia Tigranis, et cum parvis liberis uxores erant.

Proelium committit cum Tigrane. LXXII. Igitur, quod quaesitum a Lucullo fuerat, Tigranes obviam progressus, quarto die ad Arsaniam fluvium ostendit se Romanis, qui transeundus erat Artaxata petentibus. Quum proelium instaret, Lucullus, egregie litato, tamquam certus de victoria, duodecim cohortes in fronte statuit: reliquos, ne circumveniretur a multitudine hostium, collocavit in subsidiis. Nam multum lectumque equitatum in adversa acie conspiciebat: sagittarii erant equites Mardi, et hastati Iberi, cujus generis auxiliis Tigranes plurimum confidebat. Nullam tamen insignem ediderunt pugnam: sed, cum equitatu Romano paullisper velitati, simul succedere peditem viderunt, in fugam dissipati sunt.

Et egregie vincit. LXXIII. Ostenderunt se deinde Armenii, proprius Tigranis miles, egregia specie armorum virorumque.

Cap. LXXI. Plut. Dio. Plut.

Idcirco Lucullus, jussis acciri equitibus, qui primo proelio pulsos insequebantur; ipse, adjuncto promptissimo quoque, oppositos sibi Atropatenos invasit, eo terrore, ut, priusquam ad manus veniretur, hostes, solutis ordinibus, fugerent. De tribus regibus, qui ei pugnae adfuerant, turpissime fugit Ponticus Mithridates, (nam et Medo Mithridatis erat nomen) quum ne clamorem quidem hostium sustinuisset. Reliqua parte diei, totaque deinceps nocte, caesi captique fugientes sunt; maximaque relata spolia, donec fatigatus persequendo miles conquievit. Plures priore proelio hostes, hoc insigniores, morte aut captivitate desiderati sunt. Praeter ignobile vulgus, de robore exercitus quinque millia ceciderunt; capti aliquanto plures sunt. U. c. 684. A. C. 68.

LXXIV. Attamen victoriae fructum Lucullo, quum speraret amplissimum, tempus anni et natura locorum inviderunt. Sub aequinoctium frequentes nives gelu jam adstringebant flumina. ea praecipue equis infesta res erat, quibus et insalubris rigore potus fiebat, et inter transeundum rupta glacie crura convulnerabantur. Neque exercitui faciles aut dies iter facienti erant, aut noctes in humenti solo silvosisque locis stativa habenti. *Sed victoriae fructum tempus anni negat.*

LXXV. Aliquot tamen dies militum patientia tenuit: inde, per tribunos imperatorem deprecati, quum nihil proficerent, tumultuosius egerunt; frustra obtestante Lucullo, *hunc saltem extremum laborem sumerent, donec infensissimi hostis monumentum, velut alteram Carthaginem, evertissent.* Nam Artaxata condendi auctor Hannibal Poenus fuerat, quum ad Artaxiam Armeniorum regem profugus patria se contulisset. *Et miles laborem gravatur.*

LXXVI. Igitur, per alia juga, quam venerat, reducto cis Taurum exercitu, imminente hieme Mygdoniam intravit, fertili amoenitate, Nisibique urbe (*Antiochiam Mygdoniae* Graeci vocant) nobilem. Eam Parthis quum ademisset Tigranes, thesaurorum suorum, aliarumque rerum, quas diligenter adservari oportebat, custodiam fecerat, Gura fratre praeposito. Eodem nuper Callimachus venerat, diu defensa contra Lucullum Amiso notior. *Lucullus in Mygdoniam intrat.*

Cap. LXXIII. Dio. Plut. Phlegon apud Phot. Cap. LXXIV. Plut. Cap. LXXVI. Oros. 6, 3. Plut. Dio. Plut.

U. c. 684. A. C. 68. *Nisibin oppugnat.*

LXXVII. Oppugnabat urbem acriter Lucullus: sed munita duplici muro lateritio non vulgari crassitie, fossaque altissima, quae et machinarum vim omnem, et cuniculorum dolos a muro defenderet, expugnari nequibat. donec, quae rerum humanarum est fragilitas, hiems superveniens, exploratam prope spem salutis in pestem et exitium Nisibenorum vertit.

Capitque.

LXXVIII. Obsessi enim, nihil credentes certius, quam propter anni tempus paullo post abituros Romanos esse, negligentius agebant excubias: quum Lucullus, observata nocte illuni, quam insuper pluviae et tonitrua exsurdaverant, ad murum suggressus est. Oppidani, quidlibet potius praestolati, paucis admodum in exteriore muro et ad fossam, quae post illum erat, relictis, in urbem concesserant. Igitur per aggeres, quos ante murum jecerat, deinde scalis adhibitis in moenia enisus, custodibus facile oppressis, fossae partem (pontes enim barbari removerant) ingesta terra compleri jubet. Quod ubi majori cum labore, quam periculo, perfectum est, quia neque sagittas neque ignes jacere barbari, pluvia utrumque impediente, potuerant; alter quoque murus, qui priori haudquaquam firmitudine comparandus erat, superatus est.

Arx a fratre Tigranis deditur.

LXXIX. Urbe sic capta, Guras, qui in arcem confugerat, cum ceteris, fide accepta, in potestatem venit, comiterque est ab imperatore habitus. Diversa Callimachi sors fuit, quem, licet maximos thesauros absconditos indicaturum promitteret, compedibus vinciri jussit, poenas daturum, quod, desperata Amisi defensione, fugiens oppidum incendisset. Tanta felicitate capta Nisibis non solum magnis opibus ditavit imperatorem, sed etiam fatigatis labore et frigore copiis abundantissima hiberna praebuit.

Q. Metellus Cretensibus bellum infert.

LXXX. Dum in Armenia L. Lucullus Mithridatem, et Tigranem, et immensas utriusque regis copias pluribus proeliis fundit; Q. Caecilius Metellus proconsul cum tribus legionibus in Cretam est provectus. Cretenses, victo Antonio, legatos Romam miserant, magna spe fore, ut non antiquis modo legibus amicitia redintegrari posset, sed etiam ultro aliquod beneficium adjiceretur, ob servatum comiter quaestorem mili-

Cap. LXXVII. Dio. Cap. LXXIX. Eutrop. Oros. Dio. Plut. Dio. Cap. LXXX. Liv. Epit. Plegon. Euseb. Chron. Diodor. et Appian. et Dio apud Fulv. Ursin.

militesque Romanos, qui in potestatem illorum pervenerant. Atqui apud Romanos plus irarum erat, quod Cretenses non essent dediti, quam gratiae, quod deditis pepercissent. U. c. 684. A. C. 68.

Legatio Cretensium Romam.

LXXXI. Nihilo tamen secius legati (triginta ex senioribus missi principes erant) obeundo sigillatim senatorum domos, blandisque sermonibus utendo, partem Patrum in sententiam suam traxerunt. In Curiam deinceps introducti, quum, apte refutatis criminibus, quam enixe omnibus bellis populi Romani imperatores adjuvissent, exponerent; motus est senatus, ut *populi Romani socios amicosque Cretenses appellandos esse* censeret.

Duras conditiones propositas Cretensibus.

LXXXII. Ei senatusconsulto P. Lentulus Spinther intercessit, adnitentibusque aliis inclementius senatusconsultum factum est: captivi omnes transfugaeque repetiti: pecuniae talenta quatuor millia, et trecenti insuper obsides postulati: naviumque majorum usque ad quatuor scalmos, Lasthenisque et Panaris imperata deditio. Nec exspectatum, donec suorum sententiam legati exquirerent, alterique consulum ea decreta provincia est, ut jussa recusantes vi ad obsequium cogeret. Simul, quia non obscurum erat, legatos operam daturos, ut intercessores pretio pararent, senatusconsultum factum est, *ne quis Cretensibus pecuniam crederet.*

Deliberatio Cretensium.

LXXXIII. His tam duris imperiis in insulam perlatis, anxia erat et sollicita deliberatio. Seniores, vim Romanam veriti, quam ne maximi quidem reges potuissent sustinere, omnia, quam bellum, malebant. Lasthenes ejusque factio, quibus praecipue auctoribus bellatum cum Antonio fuerat, timentes, ne dederentur, populum commovebant; *ab omni memoria retentam libertatem prodi* vociferantes. *praeterea absurdum indignumque esse, si, quod rebus integris numquam facturi fuissent, id bello superiores post insignem victoriam facere sustinerent.*

Et bello placente delectus.

Facile persuaso vulgo, delectus habiti, et ad viginti quatuor millia coacta egregiae juventutis, et tam pernicitate corporum, quam laborum patientia, sagittarumque usu, praestantissimae.

LXXXIV. Ita conflatum bellum Creticum fuit: culpa haud minima Q. Hortensii, qui tum designatus

Cap. LXXXII. Dio ibid. Ascon. in Corn. Cap. LXXXIII. Appian. ibid. Diodor. ibid. Vellejus 2, 34. Cap. LXXXIV. Cic. in Verr. 2, 31.

U. c. 684. A. C. 68. provinciam eam sibi destinabat. Sed idem postea consul, quum sortitus Cretam esset, amore urbis et judiciorum, in quibus regnabat, Metello exercitum provinciamque transdidit. Metellus, quum fecisset exscensionem, occurrentem sibi cum copiis in Cydoniatarum agro Lasthenem primo adventu fudit: et, ex eo proelio Imperator appellatus, incolas intra Cydoniae moenia compulsos obsidione clausit. Ei tum oppido Panares praeerat, quod elapsus fuga Lasthenes Gnossum petivisset.

Tigranes et Mithridates multa recuperant.

LXXXV. Inter haec Lucullo ad Nisibin, neque magis in vincendis hostibus, quam continendis suis, occupato, magna pars Armeniae Pontique a regibus abstracta est. Etenim Tigranes, quod munimentis Nisibis confideret, in alia verterat impetum, pulsumque L. Fannium, receptis, quae ille tenuerat, plerisque, in munito quodam loco circumsedit. Sed ille quidem Luculli auxilio exemptus est. Mithridates cum quatuor millibus suorum militum, totidemque submissis a Tigrane, minorem Armeniam vicinasque ei regiones obiens, multos Romanorum, necopinantibus superveniens, interficiebat; permultis oppidis castellisque magna celeritate recuperatis. Nam hominum animos ei non adsuetudo tantum parendi, et morum originisque communio conciliabat, sed etiam hostium vitia. quippe relicti a Lucullo, ut victas provincias et jam Romanas tuerentur, negligenter et avare se gerebant.

Fabius Adrianus vincitur a Mithridate.

LXXXVI. Perniciosum id M. Fabio Adriano fuit, locis illis praesidii caussa cum parte copiarum relicto. Ille speculatum praemiserat Thracas, qui prius apud Mithridatem meruerant stipendia, atque iterum in partes illius inclinabant. Igitur, quum nihil sani renunciassent, Fabium cum militibus longius progressum Mithridates ex improviso est adortus: et Thraces, inter proelium mutata fide, Romanam aciem exterruerunt: amissisque circiter quingentis militibus, Fabius in castra sua se recepit.

Mithridates vulneratur.

LXXXVII. Postridie, data servis, quotquot ade-

Cap. LXXXIV. Xiphilin. Cic. Divin. in Caecil. c. 7. Plegon apud Phot. Cic. pro Mur. c. 35. Phlegon. Appian. apud Fulv. Ursin. et Liv. Epit. Cap. LXXXV. Dio, l. 35. Appian. Mithrid. Dio. Eutrop. Cap. LXXXVI. Dio. Cap. LXXXVII. Appian.

rant, libertate, denuo eduxit copias, totumque fere diem dubio Marte certavit: donec servi, ad regis partes, qui et ipse promittebat libertatem, transeundo, extremum in periculum adduxerunt rem. deletaeque Romanae copiae forent, nisi Mithridates, dum inter primos pugnat, licet septuagenario major, lapide in genu, sagitta sub oculo saucius, curam suis injecisset. Idcirco, his inter trepidationem cessantibus, Fabius cum reliquis militum evasit, neque prius desiit fugere, quam munimenta Cabirorum attigisset. Mithridates, ob sua suorumque vulnera multis diebus quiete transmissis, donec ab Agaris, Scythica gente, qui serpentum virus curationi vulnerum adhibent, persanaretur, adducto ad Cabira exercitu, M. Fabium coepit obsidere. Sed illum improvisa sors ita servavit, ut vicissim depulsis ab hoc calamitatibus implicaret servatorem. U. c. 684. A. C. 68.

LXXXVIII. C. Triarius ex Asia, postquam direptam ab Athenodoro Delon muro cinxerat, ad Lucullum proficiscebatur. Is, audito, Fabium obsideri, contractis undique, quantas potuerat, copiis, ad eum obsidione liberandum properans, terruit Mithridatem, ut, priusquam veniret in conspectum (justum enim exercitum Romanum adduci putabat) omissa obsidione discederet. *C. Triarius Fabium obsidione liberat.*

LXXXIX. Neque pulso contentus rege Triarius, recedentem longius in Commagenos usque persequutus, acie vicit. Quum enim, ut fessis ex itinere hostibus occurreret, flumine, quod in medio erat, cum parte copiarum transito, ceteris, ut per alium pontem subsidio sibi venirent, Mithridates praecepisset; pugna commissa dubioque eventu tracta, exspectatum regi subsidium procella, quantam vix vidisse quisquam meminerat, intercepit. Per hanc in utrisque castris disjecta sunt tentoria, jumenta in transversum acta, militum etiam quidam rapti praecipitatique. Eadem pontem, sub mole transeuntis exercitus laborantem, abrupit, exterritumque regem excedere proelio coëgit. Sed eadem tempestas, quae fugae caussa fuerat, prohibitis sequi Romanis, tutum regi abitum praestitit. Jam hiems aderat. igitur, nulla praeterea re tentata, in hiberna discessum est. *Et Mithridatem acie vincit.* *Gravis tempestas.*

Cap. LXXXVII. Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Cap. LXXXVIII. Phlegon apud Phot. Dio. Cap. LXXXIX. Appian. Dio.

U. c. 685. A. C. 67. M? Acilio, C. Calpurnio Coss.

Mithridates iterum lacessit Triarium.

XC. Vere demum reddito, quum M? Acilius Glabrio, C. Calpurnius Piso consulatum gererent, Mithridates ad Gaziura, veterem Ponti regiam, castris Triario oppositis, Romanos pugnam detrectantes, tum aliis rebus, tum in conspectu eorum exercendo suos, provocabat: quo, priusquam Lucullus adventaret, his, uti sperabat, superatis, recipere regnum atque constituere posset.

Et tandem ad pugnam allicit.

XCI. Quietis ad haec Romanis, partem copiarum ad oppugnanda Dadasa misit, quo in castello impedimenta exercitus sciebat adservari. Haec ei ratio processit, invitumque ducem coëgerunt milites exire, *ni faceret, injussu ejus ad sua defendenda ituros* minati. Alii, quo ante Lucullum cum rege confligeret, gloriamque reportaret victoriae, festinasse Triarium tradiderunt. Quo tamen falleret hostem, per tenebras profectus, jamque castello adpropinquans, in excubias regis incidit, paullo longius millibus passuum tribus ab oppido Ziela, quod antiquitus Persicorum Deorum cultu celebre, ab illa clade Triarii magnam deinceps in illis partibus nobilitatem habuit.

Vincitque.

XCII. Cum his contractum ante lucem certamen quum totam Mithridaticarum virium molem attraxisset; multitudine barbarorum, et initium victoriae faciente rege, circumventa Romanorum acies est, multique in loco interfecti: multos, quum in campos se recepissent, ignari fluminis partem (Iris per ea loca labitur) in eos derivatam esse, compulsos in coenosam fossam, quia repugnare lapsantibus vestigiis nequibant, impune cecidit hostis.

Sed ipse per insidias atrociter vulneratus.

XCIII. Nec effugisset quisquam, nisi persequentem equites Mithridatem centurio Romanus atroci vulnere in femur adacto stitisset. Transfugae Romani apud regem multi erant. ex eo genere hunc etiam esse, juxta equum suum diu currentem conspicatus, crediderat: deinde se praebuerat tamquam dicere aliquid cupienti. Percussor e vestigio concisus est a proximis. Regem in extremum agmen amici receperunt, signumque dederunt receptui. Milites, subita re perturbati, postquam vulneratum esse regem audierunt, inter-

Cap. XC. Strabo, l. 12. p. 547. Dio. Cap. XCI. Appian. Plut. Appian. Hirt. de B. Alex. c. 72. Strabo, l. 12. p. 559. Hirt. Cap. XCII. Dio. Strabo, l. 12. p. 556. et Plin. 6, 3. Cap. XCIII. Appian. et Dio. Appian.

fectum rati, ſtatim in campo circumdederunt lecticam. Igitur, ut spirantem cognoscerent, Timotheus medicus jam cohibito sanguine reſocillatum de superiore loco oſtendit. Rex, simul ad se rediit, signum receptui datum tulit graviter, eademque adhuc die ad caſtra Romana duxit. Sed illa quoque fuga jam deſerta erant. Quum spoliarentur mortui, tribunorum quatuor et viginti, centurionum centum quinquaginta dicuntur agnita cadavera; militum quoque Romanorum plus septem millia cecidiſſe. U. c. 685. A. C. 67.

XCIV. At Mithridates, percurato vulnere, plures hoc genus insidiatores in caſtris suis agere suspicatus, convocatos milites subito in contubernia juſſit discedere. quod quum eſſet factum, et Romani, quo se reciperent, non haberent, deprehensi, supplicioque adfecti sunt. Inde regreſſus in minorem Armeniam, quo adventanti Lucullo inopiam commeatuum faceret, absportata quanta poterat annona, quod erat reliquum, corrumpebat. Tum detectae sunt aliae adverſus regem insidiae, ab Attilio paratae, Romano senatore ex proscriptis. Eum rex, priſtinae dignitatis reverentia torqueri non paſſus, simplici morte; ceteros, qui cum eo conſpiraverant, excruciatos necavit: libertos hominis dimisit illaeſos, debuiſſe illos patrono morem gerere praefatus. *Alios insidiatores bello strategemate deprehendit. Aliae itidem adversus eum insidiae detegunturr.*

XCV. Caſtris deinde circa Talaura aſpero et montuoſo situ positis, Lucullum exſpectabat. Neque defuit ille accedere, caſtra conjungere caſtris, modisque omnibus ad pugnam barbaros elicere. Contrà Mithridates suos intra munimenta continebat, Tigranem opperiens. Et per eosdem dies alius Mithridates Mediae rex, palantibus forte Romanis ex improviſo superfusus, multos interemit.

XCVI. Haec omnia, semel exacerbatis militum animis, augebant iras, seditionesque alias super alias excitabant. Erant jam ab initio male erga Lucullum adfecti milites, quod per duas continuas hiemes, ad Cyzicum prius, deinde ad Amisum, sub pellibus eos attinuerat. Sed et ceteram militiam sic exegerant, ut aut inter hoſtes eſſet hibernandum, aut sub dio tendendum apud socios. nam in oppidum Graecum et pa- *Luculli milites succensent imperatori.*

Cap. XCIII. Plut. et Appian. Cap. XCIV. Dio. Appian. Cap. XCV. Dio. Appian. Plut. Dio. Cap. XCVI. Plut.

U. c. 685. A. C. 67. *Nonnulla ipsius culpa.*

catum numquam hiemandi caussa intulerant pedem. Ad haec ipsius Luculli inter maximas viri virtutes desiderabatur comitas, adeo non parata vulgo, ut nec pari quidem dignitate viris exhiberetur, quos despiciebat prae se atque contemnebat. Nec erat omnino ab imperii et pecuniae cupiditate immunis.

XCVII. Haec etiam in urbe a tribunis plebis, et L. Quinctio praetore, qui et ipse in tribunatu adversatus Lucullo fuerat, taxabantur. A. Gabinius, ad augendam invidiam, villam Luculli pictam explicabat in concionibus, ipse mox aedificaturus longe pulchriorem. Nec ante desierunt, quam imperii diuturnitati modum statuendum esse populo persuasissent: ejusque scito Valerianae legiones, quod jam completis stipendiis essent, dimitti juberentur.

Sed magis P. Clodii malitia.

XCVIII. Sed nihil aeque milites adversus imperatorem animavit, quam P. Clodii sermones, jam in Nisibenis hibernis. Is, uxoris Luculli frater, erat perditus adolescens, et praeter cetera flagitia incestu sororum infamis. Idcirco aliis se posponi sentiens, quum esset primi loci cupidissimus, milites, praesertim Fimbrianos illos, seditiosis vocibus instigabat; illorum fortunam cum his, qui sub Pompejo militassent, conferens. *Eos Luculli stipare camelos et plaustra, auratis gemmatisque onusta poculis: contra Pompejanos domi cum uxoribus et liberis copiosam tranquillamque vitam agere, fertili agro donatos, quamquam illi neque Mithridatem, neque Tigranem in solitudines inviias exegissent; sed in Hispania cum exsulibus, in Italia cum mancipiis habuissent negotium. Quod si igitur nulla sit umquam speranda missio, at illi potius imperatori, quod reliquum esset vigoris, servent, qui summum suum ornamentum esse existimat militum divitias.*

Ejusque seditiosis susurris.

XCIX. Hoc genus susurris ita corruptus exercitus est, ut nec in Tigranem cupientem ducere Lucullum, nec in Mithridatem sequeretur. Hiemem causati, tempus in Gordyena trahebant, successorem Luculli opperientes. Ad famam deinde cladis Triarianae, cujus ne nuncius quidem penetrare potuerat, pudore moti

Cap. XCVI. Dio. Plut. Vell. 2, 33. Cap. XCVII. Plut. Cic. pro Sext. c. 43. Cic. pro Lege Manil. c. 9. Plut. Dio. Cap. XCVIII. Cic. de Har. Resp. c. 20. Dio. Plut. Cap. XCIX. Dio. Plut.

sunt, ut signa sequerentur. Postea Triarium, quum a militibus ad necem quaereretur, clam eripuit Lucullus. U. c. 685. A. C. 67.

C. Haec res iterum offendit contumaces animos: auditoque, venire successorem Lucullo consulem Acilium, cui lege Gabinia Bithynia et Pontus data erant, missasque Valerianas legiones esse; Lucullum pro privato habere coeperunt contemtui. Nam et ipse Acilius vulgari per populos jusserat; *Populum Romanum Lucullo finisse imperium: discedere jussisse milites, poena quoque addita, ut manentium bona publicarentur.* Has inter angustias, et quia, audito, Q. Marcium Regem pro consule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere, cohortium aliquem numerum frustra ab illo petierat, Tigrani, qui cum maximis copiis juncturus se Mithridati ferebatur, statuit occurrere: ea potissimum spe, ut, si fatigatum itinere nec opinantem vicisset, reperturum se aliquam ad placandos militum animos viam confideret. *Successor Lucullo venit Acilius Glabrio.*

CI. Sed milites, aliquousque sequuti, postquam in Cappadociam iri viderunt, ne voce quidem ulla emissa, retro verterunt agmen: et Valerianae legiones, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt. Hic ille nihil non indignitatis subiit, prehendendo singulos, rogando universos, tentoria cum squalore et lacrimis obeundo, ut contumaciam eorum flecteret. At illi, manus tendentis preces aversati, vacuas ostentabant zonas, solum jubentes dimicare cum hostibus, ex quibus solus sciret ditescere: donec, reliquo jam exercitu jungente preces, hactenus expugnati sunt, ut ea adhuc aestate mansuros promitterent: quod si nulli interea comparuissent hostes, discessuros a signis praedicerent. *Lucullus suppliciter rogat exercitum.*

CII. His oportebat adquiescere Lucullum, qui alias facile mederi acceptis incommodis potuisset; et interea vastari a Tigrane Cappadociam, recipi a Mithridate Pontum pati: quod tamen dedecus ita dissimulabat, ut, propinquo jam Glabrione, nullas in eo suas partes esse diceret. quum vicissim Glabrio, cognitis Luculli rebus, ex magna festinatione cunctator factus, in Bithynia desideret. *Glabrio interim cunctatur.*

Cap. XCIX. Cic. pro Lege Manil. c. 9. Cap. C. Plut. Dio. Sall. Hist. 5, 1. Appian. Sallust. ibid. Dio. Plut. Dio. Cap. CI. Liv. Epit. Plut. Cap. CII. Cic. pro Lege Manil. c. 2. et 5. Dio.

U. c. 685. A. C. 67.

CIII. Q. etiam Marcius, nullis ad Lucullum missis militibus, quod eos ad illum nolle proficisci diceret, quum in Ciliciam venisset, Menemachum quemdam a Tigrane deficientem recepit; et Clodium, Lucullo deserto, ad se venientem praefecit classi: nam alteram Clodii sororem in matrimonio Marcius habebat. Sed Clodius, captus a piratis, ad Ptolemaeum Cypri regem misit, pretium redemptionis petens. Allatum est; sed adeo parcum et illiberale, (talenta duo erant) ut piratas accipere puderet. Igitur, remissa ad regem pecunia, Clodium sine pretio, Pompeji, ut creditur, metu dimiserunt. quae res postmodum exitiosa Ptolemaeo fuit, Clodio suam, ut putabat, injuriam in tribunatu crudeliter vindicante. Sed is quidem liberatus a praedonibus, quum quiescere turbulentus et audax animus nequiret, Antiochiam Syriae pervenit, tamquam adversus Arabum regem Aretam bellum gerentibus auxilio futurus: atque ibi etiam quum seditiose ageret, propemodum interfectus est.

Clodius capitur a piratis.

Cap. CIII. Strabo, l. 14. p. 684. Appian. Civil. l. 2. Dio. Appian. ibid. et Dio, l. 38. Dio, l. 35.

EPITOME

LIBRI NONAGESIMI NONI.

Q. Metellus proconsul Gnosson, et Lyctum, et Cydoniam, et alias plurimas urbes expugnavit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi ad-

Gnosson, et Lyctum, et Cydoniam] Copulam priori loco omittit Boend. Sed vide ad Epit. 46. In nominibus urbium magis variant libri. *Cinoson* legit Boenderm. *Corson* Voss. quae indicare videntur, olim *Cnoson* scriptum fuisse. *Gnosum* est in Lov. 2. *Gnoson* in Leid. Berg. Exc. Pithoei, Norv. omnibusque edd. ante Gron. qui anno 1665. *Gnosson* dedit. Vide ad 37, 60, 3. Tum *Liciam* Voss. *Licion* Berg. *Litium* Lov. 2. et Boend. *Licium* Leid. *Lycium* Exc. Pithoei, et ed. Campani. *Lyctium* Norv. et pleraeque reliquae edd. usque ad Moguntinos, qui recte *Lyctum* ediderunt. Tandem *Adoniam* Voss. *Sidoniam* Boend. Mox *plurimas urbes*, pro *civitates*, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani; quod tot testium auctoritate praetuli. Voces *urbs* et *civitas* etiam supra commutantur a librariis 1, 59, 6.

L. Roscius tribunus plebis] *L. Rosius* Lov. 2. Norv. et plures edd. vett. *L. Rostius* Berg. et Boend.

Quatuordecim gradus proximi] Non intelligo, quomodo *gradus proximi* dici possint, ubi antea non significatum est, quid illud sit, cui proximi fuerint. Duplex conjectura mihi in mentem venit. Una, excidisse aliquid, v. g. *orchestrae*, e qua senatus spectabat: nam huic proximi erant quatuordecim gradus, lege Roscia equitibus in theatro adsignati. Unde Petronius cap. 126. *Usque ab orchestra*, inquit, *quatuordecim transilit, et in extrema plebe quaerit, quod diligat.* Altera, quae probabilior videtur, pro *proximis* legi posse *primis:* primi enim post orchestram erant quatuordecim gradus, e quibus spectabant equites; quos etiam *sedilia prima* dicit Horat. Epod. 4, 15.

Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contemto, sedet.

Nam quod ibi Scholiastae veteres de sedilibus tribunorum commenti sunt, merito explosit Pet. Faber 2. Semestr. 6. *primus* autem et *proximus* etiam in Livio et Suetonio permutari, adnotarunt viri Clarissimi Jac. Gronov. ad Livium 2, 33. P. Burmann. ad Suet. Caes. 50. et Drakenb. ad Liv. 5, 47. DUKER.

signarentur. Cn. Pompejus, lege ad populum lata, persequi piratas jussus, qui commercium annonae intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit; belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros et urbes dedit. Praeterea res gestas a Q. Metello adversus Cretenses

Persequi piratas jussus] *prosequi* Voss. Berg. Boend. et edd. Campani, ac Rom. anni 1472. Verba haec in Mstis Livii commutantur innumeris in locis, quae cumulare operae non est. Vide Bentl. ad Hor. 1. Sat. 9, 16. Burmann. ad Ovid. 4. Met. 151. Broukh. ad Tib. 1, 9, 28. Corte ad Plinii 4, 9, 21. Torren. ad Valer. Max. 3, 2. princ. et Viros doctos ad Suet. Caes. 27. Mox *interclusus erat*, pro *intercluserant*, obvio errore, Voss. Vide ad Livii 23, 29, 16.

Intra quadragesimum diem toto mari eos expulit] *intra LX diem* Boenderm. De hac varietate notae numeralis vide ad Epit. 97. Quod vulgo exstat, firmatur testimonio Flori 3, 6. *Quid prius mirere in hac victoria? velocitatem, quod quadragesimo die parta est? an felicitatem?* ubi vide Freinsh. Alii tamen longius paullo temporis spatium bello conficiendo Pompejum inpendisse narrant. Id enim *intra paucos menses* ingenti felicitate et celeritate confectum dicit Eutrop. 6, 12. ubi vide Cellar. Eodem anno, quo coeptum est, etiam finitum fuisse, refert Dio Cass. 36, 81. [c. 20.] *Πᾶσαν ἅμα τὴν θάλασσαν, ὅσην οἱ καταποντισαὶ ἐλύπουν, τὰ μὲν αὐτός, τὰ δὲ καὶ διὰ τῶν προστατῆγων περιέπλευσε. καὶ τὰ πλείω αὐτοετὲς ἠμέρωσε.* Pronomen *eos* ignorat Voss. Mox *bello quoque* Leid. et Boend. V. ad Livii 5, 27, 1. Praeterea *in Cicilia* Lovel. 2. *in Sicilia* Boend. et edd. Rom. princeps, teste Hearnio, ac Campani. Vide ad Epit. 68.

Res gestas a Q. Metello adversus Cretenses] Vocabulum *gestas* exsulat à Norv. et plerisque edd. antiquis, nisi quod in ed. Campani invenerim. Addidit deinde ed. Paris. anni 1573. et post eam recentiores omnes servarunt. Superest etiam in omnibus scriptis meis. In sequentibus *et epistolas Cn. Pompeji et Metelli missas in vicem* legit Leid.

Queritur Metellus, gloriam rerum a se gestarum a Pompejo sublatam praeteriri] Et Voss. et Gudiani ignorant *τὸ sublatam*. Ergo pro *praeteriri* fac *intercipi*. Duo tamen *gloriam sibi rerum*. Ita forte melius foret *praeripi*. J. FR. GRON. *queriturque Metellus* Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. *queriturque*, sequenti voce omissa, Voss. *queritur Q. Metellus* Exc. Pithoei. Vide ad 22, 31, 7. Tum *sibi gloriam rerum a se gestarum a Pompejo sublatam praeripi* ed. Camp. *gloriam sibi rerum a se gestarum a Pompejo praeteriri* Lov. 2. et Boend. *gloriam sibi rerum gestarum a Pompejo praeripi* Berg. quod recepi. Mox *ad accipiendum urbium deditiones* Boend. Vide ad Livii 40, 49, 1.

continet: et epistolas Metelli et Cn. Pompeji in vicem missas. Queritur Metellus, gloriam sibi rerum gestarum a Pompejo praeripi, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompejus rationem reddit, hoc se facere debuisse.

Pompejus Romae rationem reddit] *Romae* supervacaneum, praesertim cum dicat, per epistolas rem esse actam. Abest certe a vet. libris. SIGON. Abest etiam a Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Campani. Tum *reddidit* Boend. Ita passim librarii syllabae *di* vel additione vel omissione in hac voce variant in Mstis. Vide ad 2, 15, 6. 3, 26, 2. cap. 60, 5. 28, 8. 6. 38, 13, 4. Idem in *tradit* ac *tradidit* obvenisse, vidimus ad Livii 34, 29, 13.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXIV.

IN LOCUM LIBRI XCIX. T. LIVII.

U. c. 685. A. C. 67. *Cretensis victoria Q. Metelli.*

I. Interim in Creta Q. Metellus proconsul, prosperis rebus usus, multas in potestatem civitates redegit. Cydonia, Cretae metropolis, (quae hodie sub Caneae nomine Turcarum imperium, erepta Venetis, patitur) post obsidionem aliquamdiu toleratam a Panare est dedita, impunitatem veniamque delictorum pacto. Inde transductus Cnossum exercitus, ubi domicilium Lasthenes habebat. Sed ille, sedibus cum omni suppellectile concrematis, ex oppido profugit. illo deinde similiter dedito, Lyctus; et, hac recepta, pleraeque aliae civitates et castella in fidem venerunt.

Lucullus militum plerosque dimittere cogitur.

II. Sed in Asiam Pontumque missi a senatu populoque Romano decem legati, (quia debellatum cum Mithridate Lucullus scripserat) postquam in castra venerunt, res repererunt turbatas, et imperatorem prae militum insolentia ne sui quidem potentem. Nam illi, postquam aestas, in quam promiserant operas, transiit, sumptis armis, strictisque gladiis egressi provocarunt hostem: et, postquam comparebat nemo, diu enim ante ille se receperat, impletam testati fidem, quam Lucullo dedissent, praeter exiguum aliquem numerum, castra reliquerunt. Lucullus, quod aliter se facere non posse videbat, Valerianas legiones dimisit: ceterorum militum quod erat turbulentius, Glabrioni tradidit: alios, quibus nihil erat domi, quod neglecto plebiscito adimeretur, aliquanto aequiores sub signis continuit.

Cap. I. Liv. Epit. Flor. 3, 7. Appian. apud Ursin. Liv. Epit. Cap. II. Plut. Lucull. c. 73. Dio, l. 36. Plut. Cic. pro Lege Manil. c. 9. Appian. Mithrid.

III. Eodem anno Romae L. Roscius Otho tribunus plebis legem tulit, *ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim ab orchestra citimi gradus adsignarentur: excepto tamen, si quis autem ludicram exercuisset, aut suo fortunaeve vitio decoxisset, ut minorem quadringentis rem haberet.* Fuit illa lex gratissima plerisque equitum, cujus ordinis dignitatem adaugebat; populo graviter ferente discrimen sedis, quum antea promiscue plebs equitesque spectassent. U. c. 685. A. C. 67. *Lex Roscia theatralis.*

IV. A. Gabinii tribuni plebis lex de piratico bello, quemadmodum majorum rerum habebat molimina, sollicitum senatum habuit. Sane non erant exiguae caussae, cur ad bellum istud summis viribus capessendum properari oporteret. Ita enim piratarum invaluerat quasi quaedam respublica, ut jam multi magnis opibus et claro genere viri, ad hoc prudentiae laude celebres, nomina societati darent. Igitur classes praedatoriae per maria oberrabant, non solum multitudine et robore sociorum navalium, et gubernatorum arte terribiles; sed etiam magnifica ornamentorum specie plus propemodum doloris offerentes intuentibus. aureis columellis, purpureis cortinis adornata naves, inargentatis remis movebantur: tibiae cantusque et compotationes circum litora erant, et inter haec principum virorum, interdum matronarum quoque ac virginum captivitates, urbium oppressarum redemptiones, insignia imperii Romani probra, frequentabantur. Usque ad mille naves numerabant: oppida plus minus quadringenta ceperant. *Piratarum potentia.*

V. Tum et ab omni antiquitate sanctae inviolataeque aedes et oracula profanata ac direpta sunt: Colophone capta, Clarium; Didymaeum apud Milesios, et in Samothrace Castorum, et juxta Hermionem in Peloponneso Chthoniae Cereris fanum, et Aesculapii templum ad Epidaurum; tria quoque Neptuni, Isthmicum, Taenarium, et quod erat in Calauria; duo Apollinis, alterum Actii, alterum Leucade; tria Junonis, Samium, ipsa quoque urbe capta, Argivum, Lacinium. *Et maleficia.*

Cap. III. Vell. 2, 32. Liv. Epit. Dio. Laber. apud Macrob. Sat. 2, 7. Cic. Phil. 2, 18. Hor. Ep. 1, 1. Cap. IV. Cic. pro Mur. c. 19. Plin. 7, 30. Cic. post Redit. in Sen. c. 5. et pro Leg. Manil. c. 17. Plut. Pomp. c. 37. Cap. V. Cic. pro Lege Manil. c. 12. Plut. Aemil. c. 39. Pausan. l. 2. Plut. Pomp. Arnob. l. 6. fin.

U. c. 685. A. C. 67.

Etiam in Italiae ora.

VI. Nam non longinqua modo, sed etiam Italiae, intuta ora erat: et saepe, exscensione facta, milites viae latrociniis infestabantur, adsitaeque divitum villae direptioni et praedae erant. Tantusque jam erat metus, ut etiam exercitus Romani Brundisio numquam, nisi summa hieme, transmitterent; legati populi Romani pecunia redimerentur; duodecim secures, cum praetoribus Sextilio et Bellieno, in praedonum potestatem pervenirent; portus Cajetae celeberrimus atque plenissimus navium, inspectante praetore, diriperetur; ad Ostiam classis ea, cui consul populi Romani praepositus esset, opprimeretur; ex Miseno abriperetur M. Antonii filia, ejus ipsius, qui cum praedonibus antea bellum gesserat, rus forte exspatiata.

Eorumdem ludibria in cives Romanos.

Et acerbiora malis ludibria erant. quippe, ubi quis exceptus Romanum se civem esse testabatur, femur feriebant, tamquam timore perciti, genibusque ejus accidentes orabant errori veniam. mox aderant, qui calceos inducerent homini, togamque darent, ne videlicet ignotus ultra civis Romanus esset. Ubi tandem ludibriorum eos satietas cepit, scalis ab ora navis in mare dimissis, abire jubebant incolumem: cunctatum et resistentem praecipitabant.

VII. Ob haec pericula quotidie res frumentaria in urbe fiebat deterior, et ingens erat in tanta hominum turba famis et inopiae metus. Nec erat facile bellum in homines, subito magnis navigantes classibus, eosdemque, ubi voluissent, tamquam momento disparentes, et in latebras non inaccessas modo, sed etiam incognitas aliis, dilapsos. Neque Murena igitur coërcere licet victos potuerat; neque majori deinceps mole per aliquot continuos annos incumbens Isauricus.

Gabinii lex de piratico bello.

VIII. Igitur magno plebis applausu legem Gabinius promulgavit, *uti ex omni consularium numero unus deligeretur, cui imperium in triennium esset: idemque legatos, quotquot ex usu fore putaret, adscisceret.* Idne Pompeji voluntate Gabinius, an ultro, fecerit, ut tanti viri aucuparetur gratiam, incertum est: illud certissimum, non esse inductum amore reipublicae, quam homo pessimus in nullo numero ducebat. Licet autem nominatus in lege Pompejus non erat, dubitari tamen ne-

Ad Pompeji potentiam

Cap. VI. Plut. Pomp. Cicero. Plut. Cicero. Appian. Plut. Cicero. Dio. Cicero. Plut. Cicero. Plut. Cap. VII. Appian. et Dio. Appian. Cap. VIII. Dio.

quibat, quin ante omnes illum electurus populus esset. idque, simul atquê recitata lex erat, apparebat futurum esse, cunctis statim ad Pompejum respicientibus. U. c. 685. A. C. 67. *augendam pertinens.*

IX. Sed Patres, quamquam in M. Antonio similem ante potestatem tulerant, partim aemulatione, plures metu correpti, ne acceptum semel imperium Cn. Pompejus, quamdiu vellet, retineret; ita resistebant, ut potius omnia piratici furoris incommoda, quam istam legem, passuri viderentur. Quippe totius pene terrarum orbis imperium uni viro deferebatur, quod adscriptum legi erat, *uti toto mari, et ad quinquagesimum a mari milliarium, proconsularem potestatem haberet: reges nationesque omnes auxilia petenti mitterent: pecuniae quantum vellet, ex aerario et a publicanis sumeret: militum sociorumque navalium delectus suo arbitratu haberet.*

X. Igitur tanta contentione pugnatum est, ut parum abfuerit, quin Gabinius in ipsa curia discerperetur. Quod ubi forensis turba comperit, impetu in senatum facto, ceteris salutem fuga tutantibus, C. Pisonem consulem corripuit, qui forte in altercatione Pompejo dixerat, *Romuli sequentem vestigia non effugiturum illius exitum esse.* Territi periculo Patres, nam consulem exitio proximum vix servare Gabinius potuerat, abstinuere contentionibus: ceterum saepe usurpato remedio contra vim tribunitiam ex collegio intercessores coeperunt quaerere. Duo tantum reperti, ceteris metu deterritis, L. Trebellius, L. Roscius. *Cui repugnant Patres.*

XI. Die comitiorum Pompejus, imperandi cupiditatem ficta modestia tegens, quum appetitam potestatem invidiosam fore, tamquam recusanti ingestam honestissimam cerneret, hujusmodi orationem orsus est. *Gratias equidem pro benevolentia vestra vobis ago, semperque agam, Quirites, quorum in me ornando perpetuo indefessa studia fuerunt. Ceterum et vobis in tribuendis honoribus imperiisque, et mihi in accipiendis modus aliquis esse debet.* *Pompejus ficta modestia*

XII. *Quae populi Romani principes omni aevo vix post longam aetatem consequuti sunt, ea in me prope puerum, certe adolescentem, congessistis. Quibus annis tirocinium esse aliorum solet, imperatorem agere coactus, vix umquam postea interquievi, quum ceteras continuas expeditiones gravissimum* *Provinciam eam deprecatur.*

Cap. IX. Vell. 2, 31. Dio. Plut. Zonaras. Vell. Appian.
Cap. X. Dio. Plut. Dio.

U. c. 685. A. C. 67. *et diuturnum cum Sertorio bellum excepisset. Neque annos meos computaveritis: stipendia potius numerate; et, quem longissimae vitae spatio fructum ex homine sperare potuisseris, jam ex me captum esse reputate. Non potest a mortalium conditione postulari, ut, si ante annos robur aliquod ostenderunt maturitatis, idem ad ulteriora vitae tempora perferant. Etiam fructus paullo praecociores minime durabiles sunt: et animalia, quorum magnitudo viresque velox incrementum habent, citius consenescunt.*

Anteactos labores et invidiam obtendens.

XIII. *Quod si forte robur animi corporisque nondum ita consumptum esset, ut periculis laboribusque belli hujus impar existimari deberet; invidiosum tamen erat, inter tot egregios viros ad me potissimum populum Romanum respicere. Magnum est et intolerabile aemulationis onus, cui, se quum potest subducere, humeros nemo prudens subjecerit. Igitur jampridem haud minus bonorum laborumque, quam invidiae satur, consul, uti meministis, juravi,* nullam in provinciam ex eo magistratu iturum: *idque servavi. Nunc, exsolutis, ut spero, quae patriae debebantur, rem non arduam nec iniquam a vobis puto me petere, ut aliquando bellicis laboribus me vacuum mihi meisque suavis vivere.*

Et esse alios his negotiis pares.

XIV. *Neque rempublicam praetexueritis. non ita oderunt negliguntque Romam Dii, ut non habeat multos, quibus eadem sit peritia rei militaris, idemque in patriam amor. quorum ego nominibus abstineo, et quia vos non possunt fallere, et quia nolo dicta mea sic accipi, tamquam potius in gratiam singulorum, quam ob utilitatem publicam, essem loquutus.*

A. Gabinius Pompejo respondet.

XV. Tacentem post ista Pompejum A. Gabinius tribunus plebis sic excepit. *Rem plane dignam moribus suis Pompejus facit, imperium, quod offertur, recusando. Nec enim boni viri est omnes promiscue honores appetere; nec prudentis, nisi re probe considerata, tantae molis suscipere negotium. Igitur hunc ego quidem minime reprehendo, Quirites: vos hortor, ut potius ad ea, quae publice sunt utilia, quam quae gratiora Pompejo sunt, respiciatis.*

Illum satis quievisse dicit.

XVI. *Sane indulsit tibi patria, Cn. Pompei, ut, confecto Hispaniensi bello, quietum consulatum ageres; deinde jam tertium in annum non invidendo post tot labores otio reficereris. Sed tuae vicissim virtutis, tuaeque aequitatis est, ut tam benignam atque indulgentem patriam iterum audias, non ad translatitii cujusdam belli labores, quibus et alii multi pares esse possunt, revocantem; sed ad liberandum fame populum, ad*

Cap. XIII. Vell. 2, 31. Dio.

ad exsolvendum ignominia imperium, ad generis humani continendam confirmandamque societatem, quae piratarum audacia propemodum convulsa his annis et interrupta est. U. c. 685. A. C. 67.

XVII. *Neque labores, fractumque iis animum corpusque objeceris. Magna illa gloria, ad quam genitus, quamque praestantissimis factis adeptus es, neque quaeri sine labore, neque conservari potest. igitur exprobrare, quae feceris, populo Romano noli: ne sit ei commemorare opus, quot et quanta ab eo acceperis. Neque persuaseris cuiquam ea aetate, qua vulgo homines animis corporibusque maxime valere consueverunt, te, singularem ad omnia virum, marcescere. Quod si tamen unus ita fortasse sentis, otio debes, quod illa pristina tua virtus languet: quam quia deperdere summa calamitas et tibi videretur, et omnibus, excitanda tibi negotiis est, facile pristinum recuperatura vigorem, ubi digna se negotia senserit.* *Negotiis iterum excitandam virtutem esse.*

XVIII. *Sed alii quoque sunt, quibus ista recte committantur! Jamprimum a te peto, Pompei, ut de te tuisque laudibus populo potius Romano permittas judicium, quam tibi sumas. quid in unoquoque spei habere debeat respublica, omnium, quam singulorum, aestimationem esse aequius est. An oblitos existimas, quid prima adolescentia Cimano bello, quid deinde in Sicilia Africaque rerum gesseris? Nam Sertorium hostem, quum omnes nostri duces reformidarent, propemodum ipsa tibi necessitas dedit: eoque experimento populus Romanus didicit, non esse certius minusque fallax indicium, te unum praefici negotiis oportere, quam ubi tanta eorum difficultas esse coepit, ut a nemine uno sustineri posse videantur. Tibi vero, Pompei, pro ceteris moribus tuis, proque hac mutua tua populique Romani benevolentia, nihil recusandum est oneris, quod ob necessitatem publicam a civibus tuis carissimis simul amantissimisque imponitur. Operam, opes, labores, spiritum denique, si sit opus, impendenda patriae utilitatibus esse, praeclari illi viri, quorum tu ita sequeris vestigia, ut propemodum antevertas, constanti professione statuerunt.* *Illi populum omnia tribuere debere; illum accipere, quae tribuantur.*

XIX. *Invidiam autem ne expaveris. opprimi a virtute potius illa potest, quam virtutem opprimere. neque ejus est, qui amore patriae cetera terribilia omnia contemnat, ad livoris terriculamentum expallescere. Ego optimum quemque eo esse animo puto, ut potius virtute sit tecum certaturus, quam ut ea vilitate animi gloriam tuam illustret, suam miseriam augeat. Quod si tamen aliqui tam perversis sunt moribus, an ideo te imperatore carebit respublica? Quin tu vel ideo promptius oblata suscipis, ut aegre facias pessimis hominibus, inimicorumque oculos adspectu fascium tuorum atque laurearum maceres.* *Invidiam non esse extimescendam.*

U. c. 685. A. C. 67.

Trebellii Gabinio repugnantis periculum.

XX. Contra haec L. Trebellius quum coepisset disserere, nec silentium fieret, tribus in suffragia mitti vetuit. Tum vero Gabinius, omisso in praesens Pompeji negotio, de L. Trebellio rogare populum coepit. Jamque tribus septemdecim tribunatum ei abrogaverant, et in eo erat, ut etiam duodevicesima suffragium ferret, plebiscitum factura; quum vix dimoveri a proposito passus Trebellius, tandem incitatae concionis fluctibus cessit.

Itemque Roscii.

XXI. Deinde Roscius loqui orsus, quum animum nemo adverteret, digitis sublatis duos esse designandos significavit: ut vel sic potentiae Pompeji terminum figeret. Ad ejus conspectum tantus indignantis populi sublatus clamor est, ut forte praetervolans corvus, tamquam fulmine ictus esset, ex alto rueret.

Q. Catuli oratio.

XXII. Ita quiescente Roscio, Gabinius Q. Catulum excitavit, ut diceret. Sperabat enim tribunorum periculo territum nihil, praeterquam volentia plebi, dicturum; et, quia princeps ille senatus erat, ceteros haud gravatim auctoritatem ejus sequuturos. At ille, dignitatis suae memor, attento ob reverentiam viri populo, in hunc modum verba fecit: *Si quidem tantarum rerum potestatem ad unum aliquem deferendam existimarem, Quirites, neminem certe Pompejo eram praelaturus. Quem enim aut peritia rei militaris ei viro conferam, quem adhuc pene puerum imperatores hostium timuerunt, nostri ornarunt, externi omnes admirationi habuerunt? Aut in quo lubentius conspiciam novorum bonorum imperiorumque insignia, quam qui a L. Sulla victore Magnus est appellatus; qui vestro jussu, quum adhuc eques Romanus esset, semel iterumque triumphavit; qui, quum alium magistratum neque gessisset, neque ferme per aetatem potuisset gerere, consul factus est? Praeterea tanta est Cn. Pompeji modestia, ut, si cuiquam tuto concedi immoderata potentia posset, huic rectissime credi videatur. Quam lubenter ille vobis petentibus dimisit exercitum? quam facile cum M. Crasso rediit in gratiam? quam prudenter a se cupitae provinciae invidiam, jurejurando interposito in nullam ex consulatu iturum, amolitus est?*

Negat uni credendam esse tantam potentiam.

XXIII. *Verum enimvero negotium mihi potius, quam homo, displicet: neque Pompejo hoc adimendum esse imperium, sed nemini mortalium concedendum existimo. Jamprimum majores nostri, sapientissimi mortales, quum ante omnia vide-*

Cap. XX. Cic. pro Corn. et ibi Ascon. Dio. Cap. XXI. Plut. Pomp. c. 41. et Dio. Cap. XXII. Dio. Vell. 2, 29.

rent habendam esse libertatis curam, quam qui amisissent, ceterorum nihil essent in potestate habituri, diligentissime providerunt, ne nimia potestas uni homini, aut certe ut locis temporibusque constricta daretur. U. c. 685. A. C. 67.

XXIV. *Summum in republica nostra dictatoris imperium fuit; sed illud cohiberi intra Italiae terminos, finiri sex mensium angustia placuit. sic quoque centum viginti annis est intermissum, quum illud L. Sulla dictator ita accepit perpetuum, ut magis in perpetuum aboleret. Nec enim ipse diu sustinuit invidiam, nec tanta laboraturos insania posteros nostros crediderim, ut, donec Sullanorum temporum exstabit memoria, creare dictatorem concupiscant. Marii quoque paucos intra annos multiplicati consulatus quid aliud, quam continuae potestatis amorem, et per hunc acerbissimas reipublicae calamitates, pepererunt? Praetereo jam, quod ejusmodi leges statum convellunt civitatis. nam, si aequa libertate fruimur, laborum certe praemiorumque neminem haberi exsortem convenit.* *Ab hac caussa dictaturam varie apud majores fuisse limitatam.*

XXV. *At non est praeterea, qui negotiis sufficiat. Dura profecto vox, et adversus tot excellentes viros injuriose procax. Sed demus esse paucos. jam etiam pauciores effeceritis, si ad res gerendas nemini, praeter unum aliquem, relinquetur aditus. nemo enim imperator nascitur: magno labore, multis periculis, longo etiam tempore, tentando, experiundo, facultas ea comparanda est. Quod si adversus Sertorium dux nobis defuit, (quamquam non poeniter Q. Metelli) minus equidem mirum est, quia tum, divisa intestinis bellis civitate, multi suorum armis interierant: nec adversus Sertorium duce habuissemus opus, si retinere Sertorium respublica potuisset. Tamen etiam tum fuissent haud dubie plures, nisi, superioribus annis tradita paucis hominibus republica, ceterorum virtus in otio, tamquam sub cineribus flamma, obtorpuisset.* *Alios etiam esse duces idoneos.*

XXVI. *Quorsum autem magistratus creatis annuos, si nullam ad rem insignem eorum opera estis usuri? majoremne vobis illi gratiam habebunt ob beneficium, quod honore dignos habuistis, an succensebunt ob injuriam, quasi in hoc eos creaveritis, ut majori dedecore homini privato postponerentur?* *Magistratuum ad injuriam pertinere extraordinaria imperia.*

XXVII. *Sed hae quidem civitatis leges atque instituta sunt, quae fortasse, si omnino volueritis, moveri poterunt. At naturae leges qui mutabitis, cujus providentia sic sunt res ordinatae, ut id negotium, cui vos unum praeficitis, multos postulet? Diffusum per omnia maria, per omnes prope terras* *Sed nec ab uno tantum negotii geri posse.*

Cap. XXIV. Dio.

U. c. 685. A. C. 67. *bellum ab uno regi omnibus locis poterit? idem Italiae litora tutabitur? defendet Graeciam? in Syria, quum postularis usus, in Hispania, in insulis erit? idem eodem tempore geret in Cilicia bellum? At habebit legatos praefectosque. Cur autem ille potius, quam populus Romanus, habeat? cur tot clari viri unum potius respiciant, quam rempublicam? Si quidem eo redeundum est, et multorum ingeniis manibusque res administranda, quippeni jam ab initio plures creentur, qui, nullius alterius imperio obnoxii, quum pro cujusque merito propriam sibi gloriam ignominiamque futuram esse reputabunt, omnia diligentius cordatiusque gerent? quando natura ita comparatum est, ut lubentius pro suis commodis homines, quam pro alienis, laborem ac pericula capessant.*

XXVIII. *Quae omnia si minus apud vos habebunt ponderis, quam habere debebant, at ipsi tandem Pompejo consulite, cujus paullo ante orationem audivistis. Tot profecto laboribus meruit, ut aliquando tempori ejus salutique parcatis. Nam certe iisdem, quibus ceteri homines, legibus vivit; nec invulnerabile ferro corpus, nec inexpugnabilem morbis valetudinem geris. Huic porro si quid humani evenerit, in quo deinde spem estis habituri?* Haec dicente Catulo, universa concio succlamavit, *In te, Q. Catule.* Quo ille tam honorifico testimonio delinitus, simul obstinatos hominum animos flecti posse desperans, e concione discessit. Multa quoque Q. Hortensius in senatu contra Gabinium, multa pro rostris contra legem, pro summa sua facultate, graviter ornateque dixerat. sed vana omnis adversus populi favorem contentio fuit.

Judicium populi Romani de Q. Catulo.

Lex Gabinia perfertur.

XXIX. Qua die suffragia laturae tribus erant, Pompejus clam in praedium aliquod suum est profectus. Audito deinde perlatam jussamque rogationem esse, noctu introiit urbem, ut gratulantium coetus, et ex ea re invidiam declinaret. Prima deinde luce progressus in forum sacrificavit: et, concione praebita, sic egit cum populo, ut lege datis multa adjicerentur, geminareturque propemodum apparatus. nam pro ducentis navibus quingentae sunt concessae: centum viginti millia peditum, equites quinque millia. pro legatis quindecim legit ex omni senatu quinque et viginti; quaestores duos; pecuniae praesentis accepit millies quingenties.

Cap. XXVIII. Sall. Hist. 5, 2. Cic. pro Lege Manil. c. 20. Vell. 2, 32. Plut. Pomp. Val. Max. 8, 15. Cic. ibid. c. 17. Cap. XXIX. Plut.

XXX. Ejus tanti apparatus fama quum minime latere potuiſſet, jam tum ita terruit piratas, ut parcius excurrentes mercatoribus liberiorem navigandi copiam facerent. Unde subito decrescentia rerum venalium pretia magnam Pompejo claritudinem circumdederunt, tamquam solo nominis sui terrore belli partem profligaſſet. Sed ille, poſthabitis inanibus, admirabili prorſus induſtria negotium complexus, quum suis et Rhodiorum socialibus navibus abundaret, in tredecim sortes distribuit maria, singulisque legatos praefecit, attributis navibus, peditibus, equitatu, et praetorum insignibus: ut unusquisque in parte sibi credita imperium haberet, ipſe, tamquam rex regum, praeeſſet omnibus, et summam rerum consilio praeceptoque moderaretur.

U. c. 685. A. C. 67.

Pompejus in tredecim sortes distribuit maria.

XXXI. Hispaniam et, quod circa Gades eſt, mare Ti. Nero; Balearicum Manlius Torquatus sortiti sunt; M. Pomponius Gallicum; Libycum Lentulus Marcellinus; P. Atilius Liguſticum sinum et mare, quod Sardiniam alluit et Corsicam; L. Gellius, Cn. Lentulus circa Italiam excubare juſſi; Siciliam Iöniumque pelagus ad Acarnaniam usque Plotius Varus, M. Terentius Varro cuſtodiebant; Achajae Macedoniaeque L. Sisenna praesidebat; Insulas Aegaei maris omnemque ejus ambitum cum Helleſponto L. Tubero obtinebat; Bithyniam, Thraciam, Propontidem, et ipsum os Ponti P. Piſo; Lyciam, Pamphyliam, Cyprum, et Phoenicen Metellus Nepos. Ceterorum in obscuro res sunt: M. Varroni, tamquam homini doctiſſimo, hoc tribuerunt literae, ut geſtorum ejus meritorumque nonnullam servarent memoriam. Intervallum ab Italia Appolloniam verſus, ubi tantum quinquaginta millibus paſſuum dirimuntur, ponte conjungere inſtituit: sed aliis curis, quominus deſtinata perficeret, eſt impeditus. Per idem tempus quum Corcyrae esset exercitus, ac claſſis et omnes domus repletae essent aegrotis ac funeribus, immiſſo feneſtris novis Aquilone, et obſtructis peſtilentibus, januaque permutata, ceteraque ejus generis diligentia, suos comites ac familiam incolumes reduxit. Insignis etiam virtutis documentum corona navalis eſt, quam ex illo

Legatorum ejus nomina et sortes.

Varro coronam navalem meretur.

Cap. XXX. Plut. Flor. 3, 6. Vell. Appian. Cap. XXXI. Appian. et Flor. Plin. 3, 11. Varro de re Ruſt. 1, 4. Feſtus in *Naval. coron.*

U. c. 685. A. C. 67. Cn. Pompejus ei dedit: quod pauciſſimis omni aevo contigit decus.

XXXII. Sed Pompejus, rebus ita ordinatis, quum velut indagine cinxiſſet maria, brevi tempore piratarum perplurimas naves cepit: et intra dies omnino quadraginta mare Tuscum, Libycum, Sardoum, Corsicum, Siculum, totumque tractum occidentis ita repurgavit, ut nulla praeterea praedonum navis usquam compareret. Inde Romam recurrit, ubi conſul Piso per invidiam et iram apparatus ejus impediebat; acceptusque eſt summa gratulatione populi, tamquam ex diuturna peregrinatione revertiſſet. jam enim pacato longe lateque mari annona laxaverat. Id enim praecipue curae habuerat Pompejus, ut Siciliam, Africam, Sardiniam, tria frumentaria urbis subsidia, confirmaret: et, nondum tempeſtivo ad navigandum mari, omnes illas provincias ipse adiverat: magnaque vi frumenti in naves imposita, quum ob tempeſtatem ortam gubernatores cunctarentur, primus conſcendit, anchoramque velli juſſit, nobili voce edita, *Navigare neceſſum eſſe; vivere non neceſſum.*

Praeclara vox Pompeji.

XXXIII. Tanto major ex merito gratia apud populum fuit: eoque adverſatus ei conſul graviorem expertus eſt indignationem omnium; nihilque propius factum, quam ut magiſtratu dejiceretur: eamque in rem conſcriptam jam rogationem Gabinius habebat. Sed, deprecante Pompejo, res omiſſa. ipsi, quidquid voluerat, liberaliſſime jam etiam ab senatu quoque decretum eſt, poſtquam fruſtra cum periculo fortunae gratiaeque Pompeji se obniti sentiebat. Néque tamen retinendi conscriptas in Ciliciam legiones praetextu conſul carebat, quia coloniae Latinae, quas bello Marsico Cn. Pompejus Magni pater trans Padum deduxerat, inſtigante C. Caeſare, consilia de petenda civitate Romana agitantes, suspicionem rerum novarum exciverant.

Pompejus Ciliciam brevi tempore subigit.

XXXIV. Pompejus, haud diutius, quam neceſſum erat, Romae moratus, Brundisium, ubi claſſem opperiri juſſerat, et inde verſus orientem profectus eſt.

Cap. XXXI. Plin. 7, 30. et 16, 4. Cap. XXXII. Flor. Liv. Epit. Appian. Plut. Appian. Dio. Plut. Cic. pro Lege Manil. c. 22. Plut. Apophth. Rom. in Pomp. Cap. XXXIII. Plut. Dio. Plut. Dio. Sueton. Caes. c. 8. Ascon. in Pison. Sueton. Cap. XXXIV. Plut.

At Rhodi, quamquam properaret, differenti tamen Posidonio dedit operam. deinde in Ciliciam profectus, fontem caputque belli, undequinquagesimo die, quam Brundisio solverat, universam redegit in potestatem. Id adeo praeter omnium et ipsius quoque opinionem factum est, ut potius gravissimum ibi bellum cum exercitatissimis mari hominibus, et arcibus munitissimis futurum videretur: ideoque navibus ex omni numero delectis sexaginta, magnoque armorum atque machinarum apparatu erat profectus. Sed duae potissimum res maturum bello finem dederunt: altera, terror ex magnitudine famaque imperatoris; altera, spes propter lenitudinem, quam erga captos deditosque ostenderat. U. c. 685. A. C. 67.

XXXV. Igitur ab omni parte, vitata legatorum severitate, ad Pompejum veniebant oratores: et ille, receptis in fidem deditiis, horum indicio latebras pessimorum discebat, qui, conscientia scelerum salutem desperantes, conjugibus liberisque in castella montis Tauri sepositis, prope Coracesium, Ciliciae castellum, ad anchoras stabant. Sed haud ultra primum congressum duravit his animus. statim pari undique plausu signum ediderunt deditionis, simulque tela ac remos abjecerunt. Castella deinde maxima duo, Cragum et Anticragum vocant, tradentibus, qui tenebant, recepta sunt; deinde ceterae per Asperam Ciliciam arces. In his navium armorumque inchoatorum effectorumque magna vis inventa est, aerisque et ferri funiumque et linteorum et omnigenae materiae incredibilis apparatus. Captivi quoque plurimi, quos, partim ut se redimerent pecunia, partim operis faciundi caussa, vinctos piratae habuerant, ad suos remissi sunt: eorumque haud pauci erecta interim domi, tamquam defunctis, monumenta repererunt. *Piratas ad Coracesium vincit.*

XXXVI. Piratarum viginti circiter millia in potestate victoris erant. eos quum interficere crudele, dimittere periculosum videretur; optimo consilio usus, (quamquam ab obtrectatoribus reprehensum est) procul a conspectu maris in mediterraneis agris collocavit: futurum ratus, ut, necessitate et occasione, duobus nequissimis consultoribus, remotis, quieti deinde *Deditos in mediterraneis locis collocat.*

Cap. XXXIV. Strabo, l. 11. p. 492. Flor. Cicero. Appian. Plut. Appian. Dio. Plut. Cap. XXXV. Strabo, l. 14. p. 668. Flor. Appian. Plut. Appian. Cap. XXXVI. Plut. Vell. 2, 32. Dio. Flor. Plut.

U. c. 685. A. C. 67.

pacatique viverent. Simul solitudini multorum oppidorum consulebatur: et inter cetera Mallus et Adana et Epiphanea his cultoribus frequentata sunt. In Soliorum etiam urbem, quam Tigranes nuper adflixerat, instauratam introduxit ex eo genere honestissimum quemque, deque suo nomine vocari *Pompejopolin* jussit, immunitate concessa. Nonnullos etiam Dymen misit, quod Achajae oppidum, quum agrum latum et optimum haberet, habitatoribus infrequens erat: alios in Calabria, attributis ad colendum agris, collocavit.

Numerus navium captarum, oppidorumque receptorum.

XXXVII. Hic fuit belli tam formidabilis exitus: quo naves expugnatae duae et septuaginta, deditae trecentae sex narrantur, quo in numero rostratae nonaginta fuerunt: oppida castellaque recepta centum viginti: praedonum repugnantium caesa decem millia. quae tanta opera trimestri spatio confecta sunt ea felicitate, ut ne una quidem navis Romana desideraretur; ea quoque perpetuitate victoriae, ut postea longissima aetate piratas circum ea maria nemo viderit.

In urbe discordiae.

XXXVIII. Tam prosper externis rebus annus, totus ferme tumultibus et discordiis in urbe transactus est. Inter alias caussas turbarum ambitus erat, permultis proxima censura senatu motis, et ordinem quolibet modo recuperare properantibus. Idcirco C. Cornelius tribunus plebis, iratus senatui, quod relationem ejus, *ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret*, senatus repudiaverat, de ambitu ferebat legem, cum acerbissimis in delinquentes poenis.

C. Pisonis lex de ambitu.

XXXIX. Placebat ea res populo: sed Patres, terribiliorem specie, quam effectu robustiorem, legem caussati, consulem ferre jusserunt legem, *uti condemnati ambitus neque magistratus gererent, et senatu moverentur; mulctam quoque pecuniariam eo nomine penderent.* Interea, dum comitiorum dies exspectatur, nihilominus ambitus fervebat, tam impudentibus quorumdam studiis, ut etiam homicidio non abstineretur. Factum igitur senatusconsultum est, *de his etiam quaeri placere; consulique praesidium dari.* Namque C. Piso, quum propter multitudinem adversariorum ejectus foro esset, extremi difficillimique temporis vocem miserat, *ut, qui*

Cap. XXXVI. Appian. Dio. Plut. Strabo, l. 14. p. 665. Pomp. Mela, 1, 13. Appian. Plut. Serv. in 4. Georg. v. 127. Cap. XXXVII. Appian. Plut. Appian. Flor. Cap. XXXVIII. Dio. Ascon. in Corn. Dio. Cap. XXXIX. Cic. pro Mur. c. 23. Dio. Ascon. ibid. Dio. Ascon. ibid.

rempublicam salvam esse vellent, ad legem accipiendam adessent. Deinde majori manu stipatus, legis perferendae causa progressus in concionem, negotium perfecit. Neque sponte legem eam tulisse consul juxta quosdam auctores putatur, ipse crimine eodem nocens, et vix gratia paucorum, ne caussam diceret, ereptus: sed acerbiora timens senatus praeceperat. Ut tamen ea de consulis infamia minus credam, cetera ejus gravitas et constantia facit, tempore comitiorum memorabili voce factoque testata. U. c. 685. A. C. 67.

XL. M. Palicanus, homo sordidus et seditiosus, consulatum petere ausus, miro stolidae plebeculae favore sublevabatur. Sed et tribuni plebis ei aderant, ab hoc exemplo suae ambitioni paraturi faciliorem viam. His Patres, et ante ceteros consul Piso, resistebant. Igitur tribuni modo non manibus suis sublatum pro rostris statuerunt; et utrimque circumfusi interrogarunt, *esseine Palicanum renunciaturus consulem, si quidem factus a populo foret?* Ille, *non existimare futurum*, respondit, *ut eo indignitatis veniretur.* At, urgentibus illis, dicentibusque, *Quid igitur, si ventum fuerit? renunciabis?* *Non renunciabo*, inquit. Atque vocis hujus praecisa severitas Palicanum a summa spe impetrandi honoris removit. *Palicanus consulatus candidatus.* *Constantia Pisonis abstetrerat.*

XLI. His occasionibus diffidiorum arreptis, C. Cornelius, ut senatus minueret auctoritatem, promulgavit legem, *ne quis, nisi per populum, legibus solveretur.* Id antiquitus quoque cautum, et in omnibus senatusconsultis, quoties legibus aliquis solveretur, adjectum erat, *ut ea de re ad populum ferretur.* Sed paullatim fieri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in senatusconsultis de rogatione ad populum ferenda: eaque ipsa senatusconsulta per paucos admodum fiebant, Igitur eam Cornelii rogationem indigne tulerunt potentissimi quique, et quorum in senatu gratia magnopere minuebatur.

XLII. His satagentibus, P. Servilius Globulus tribunus plebis inventus est, qui C. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferendae dies venit, et praeco, subjiciente scriba, verba legis recitare populo coepit, et scribam subjicere, et praeconem pronunciare passus *Seditio tribunitia.*

Cap. XXXIX. Dio. Cap. XL. Val. Max. 3, 8. Cap. XLI. Dio. Ascon.

U. c. 685. A. C. 67.

non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit. Quod quum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur, tribunitiamque intercessionem diceret sublatam, gravi convicio a populo exceptus est. Et quum illos consul, qui sibi intendebant manum, prehendi a lictore jussisset, fracti ejus fasces cuncti, lapidesque etiam ex ultima concione in consulem jacti. quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit.

Per quam consulis fasces frangunur.

XLIII. Actum deinde ea de re in senatu est magnis contentionibus: quum Cornelius ita ferre rursus coepit, *ne quis in senatu legibus solveretur, nisi ducenti adfuissent; neve quis, quum solutus esset, intercederet, quum ea de re ad populum ferretur.* Haec sine tumultu acta res est. nemo enim negare poterat, pro auctoritate senatus eam legem esse, quam populus habere ratam cogeretur. sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci senatusconsultum facere solebant.

Praetores ex edictis perpetuis jus dicere jussi.

XLIV. Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multorum tamen offensa tulit, *ut praetores ex edictis suis perpetuis jus dicerent:* quae res gratiam ambitiosis praetoribus, qui varie jus dicere solebant, sustulit. Sic enim eodem omnibus modo jus reddere cogebantur, alias insigni nefandoque scelere, prout favebant succensebantve litigantibus, aliter atque aliter pronunciare soliti. Alias quoque complures leges Cornelius promulgavit, quibus plerique collegae intercesserunt: per quas contentiones totus tribunatus ejus peractus est.

Repetundarum leges severe exercitae.

XLV. Ambitus judicio provisum erat, ne vulgo magistratus male caperentur. ea res excitavit attentionem hominum, ut etiam, ne male gererentur, exigerent. ideo sub id tempus adeo severe sunt exercitae repetundarum leges, ut, praeter noxiorum poenas, etiam accusatoribus praemia decernerentur. Carbo equidem, M. Cotta damnato, quemadmodum exponere per occasionem occupavimus, licet adhuc tribunitius esset, consularibus insignis est decoratus. At idem postea, quum eamdem obtinuisset Bithyniam, ex qua Cottam damnaverat, ab ejus filio, quo is die sumpta virili toga de Capitolio descenderat, judicio adflictus est.

Cap. XLII. Cic. in Vatin. c. 2. Ascon. Dio. Ascon. Cicero. Cap. XLIII. Dio. et Ascon. Cap. XLIV. Dio. Ascon. Cap. XLV. Dio. Val. Max. 5, 14.

XLVI. Igitur L. Lucullus, quum ex urbana praetura Sardiniam esset sortitus, ire in provinciam noluit, propterea quod participem se negabat futurum infamiae, qua tum ob avaritiam et rapinas plerique rectores provinciarum laborabant. Erat enim vir justitiae amans, et constantis ingenii, cujus in praetura sua clarum documentum ediderat. Quum enim sellam ejus confringi consul Acilius jussisset, cui forte praetereunti non adsurrexerat, nihil commotus est, et deinde stans jus dixit: idemque ceteri praetores ut facerent, honori ejus tribuerunt. U. c. 685. A. C. 67. *L. Luculli praetoris integritas.*

XLVII. Inter haec in Creta Q. Metellus cum Cretensibus simul piratisque dimicabat: qui oppresserant partem insulae, alteramque ex ea post Ciliciam latrociniorum arcem fecerant, pluribus ea caussa castellis per insulam exstructis. Ea quum Romanus expugnaret, ita severe in captivos animadverterat, ut reliqui partim veneno se conficerent, plerique prius omnia mallent experiri, quam ut illi se traderent. Tantaque Cretensium eo bello pervicacia traditur, ut obsessi, quum siti fatigarentur, suam jumentorumque suorum urinam biberent; donec a Pompejo acciperent responsum, ad quem, audita viri mansuetudine, miserant oratores, in Pamphylia tum agentem. Ille, obsidibus imperatis, unum ex legatis L. Octavium misit, qui eos in deditionem acciperet; scripsitque ad civitates, *ne dicto audientes Metello essent.* *Metellus Cretenses domat.*

XLVIII. Hoc infestior Metellus non alios tantum, sed etiam quibuscum antea fuerat pactus, ut, priusquam venire Pompejus posset, exigeret ab iis poenas contumeliae suae, persequutus est. Nec Octavius obsistebat, inermis, et non ad bellandum missus: et Cornelius Sisenna, quem Pompejus Achajae praefecerat, venerat is quidem in Cretam, et cum Metello, ut populi Romani dedititiis parceret, egerat: sed, praeter inefficacia verba, nihil erat ab eo tentatum. *Pompejum illos recipientem spernit.*

XLIX. Interim Metellus Eleutheram urbem proditorum opera cepit, qui firmissimam ex lateribus turrim, ut facilius arieti cederet, continuis aliquot noctibus aceto persuderant. Pecunia hic imperata, Lap- *Eleutheram et Lappam capit.*

Cap. XLVI. Dio. Cap. XLVII. Plut. Pomp. Strabo, l. 10. p. 477. Flor. 3, 7. Val. Max. 7, 6. Appian. apud Fulv. Ursin. Cic. pro Lege Manil. c. 12. Cap. XLVIII. Plut. Flor. Dio.

U. c. 685. A. C. 67. pan petiit; ubi se L. Octavius incluserat. Metellus, eum nihil moratus, vi expugnavit locum, Octavioque non sine probris dimisso, quos secum habuerat, Cilicas ad unum omnes interfecit. Hoc aegerrime ferens Octavius, adsumptis Sisennae copiis, nam ille morbo decesserat, auxilium quibusdam Cretensium tulit. revocatis deinde illis, Aristioni se conjunxit, Hieropydna munitum oppidum tenenti, quod Cydonia decedens, victo, qui se objecerat, L. Basso, nuper ceperat. Sed, ubi Metellus advenit, relictis munimentis, ambo se conjecerunt in naves. ibi in altum evectos atrox tempestas impegit litoribus, multique navalium sociorum naufragio desiderati sunt.

Metelli et Pompeji odiosae epistolae.

L. De his rebus aculeatis invicem epistolis imperatores duo scripserunt. *Metellus datum a senatu populoque Romano imperium, gloriamque rerum gerendarum eripi sibi a Pompejo, gestarumque pretium*, querebatur, *qui ad accipiendas urbium deditiones legatum in alienam provinciam misisset.* Pompejus, *id a se rite atque ordine factum*, adserebat; *universam enim insulam, quum nulla pars ejus praefinitum Gabinia lege modum excedat, ad suam curam pertinere: nec officio se defuturum.* Sed haec, utcumque speciose dicta, non tegebant penitus insitam animo ambitionem, ut neque amicissimis ejus probarentur, nedum ut ab instituto revocare Metellum possent.

Cap. XLIX. Plut. Dio. Cap. L. Liv. Epit. Plut.

EPITOME

LIBRI CENTESIMI.

C. Manilius tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompejo Mithridaticum bellum mandaretur. Concio ejus bona. Q. Metellus, perdomitis Cretensibus, liberae in id tempus insulae leges dedit. Cn. Pompejus, ad gerendum

C. Manlius tribunus plebis] *C. Manilius.* Cicero pro lege Manilia. SIGON. *Cum Manlius tribunus* Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. *Manlius* etiam Leid. Exc. Pithoei, et Norv. V. ad 34, 53, 2. Mox *indignatione maxima* Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Gronov. qui anno 1665. reposuit *magna indignatione.* Ejus autem lectio superest in omnibus scriptis meis, et ed. Camp. Vide ad Epit. 50.

Ut Pompejo Mithridaticum bellum mandaretur] Ita Gronov. anno 1665. edidit, cui consentiunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Antea circumferebatur *bellum Mithridaticum;* quod superest in Exc. Pithoei, et Norv. In verbis sequentibus *Concio ejus bona* aliquid vitii latere suspicatur Crevierius, sed rem parvi esse testatur.

Domitis Cretensibus] Vet. lib. *perdomitis Cretensibus.* SIGON. Pariter Leid. Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithoei. *Domitius* corrupte Boend. et ed. Campani. *domitis* Voss. et Norv.

Liberae in id tempus insulae leges tulit] Vet. lib. *dedit.* Quo verbo et Cicero et alii in hoc genere utuntur. SIGON. *in id tempus usque liberae* Boend. et ed. Camp. quod ex librariorum interpolatione natum videtur. Sufficit *in id tempus*, pro usque ad id tempus. Ita Liv. 44, 2, 7. *Itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberatio ejus rei differtur.* Vide Cel. Dukerum ad Flori praefat. in princ. Dein *legem tulit* Norv. et priscae edd. pro quo Frob. anno 1535 reposuit *leges tulit.* Sigonius *leges dedit.* Et ita Leid. Voss. Berg. Lovel 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Liv. 45, 30, 8. *Quanta universos teneat Macedonas, formula dicta, quum leges quoque se daturum ostendisset.* c. 32, 7. *Leges Macedoniae dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis, dare videretur.* Cic. 2. in Verr. 49. *C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia Halesinis leges dedit.* et cap. 50. *Leges similes de cooptando senatu, ac*

bellum adversus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit, equestri proelio Mithridatem vicit. Praeterea bellum inter Phraatem Parthorum regem, et Tigranem Armeniorum, ac deinde inter Tigranem filium patremque gestum, continet.

de numero veterum ac novorum dedit.

Ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus] *ad regendum bellum* Doujatius et Clericus ediderunt, invitis omnibus libris. Vox *profectus* deest in Boend.

Cum rege Parthorum Phraate] *Pretogure* et mox *Pregarem* Voss. *Pharaarete* et *Pharaaretem* Boend. *Pharaarate* et *Pharaaratem* ed. Camp. *Pharte* et *Phartem* Berg. *Phracate* et *Phracatem* Lov. 2. *Phrahartе* et *Phrahartem* Norv. et edd. principes. *Phrahate* et *Phrahatem* postea secutae; quomodo apud Justin. Tacit. et alios editur, et optimi codd. Horatii praeferunt, teste Torrent. ad Horat. 1. Ep. 12, 27. Vide etiam Cruquium ad Horat. 2. od. 2, 17. *Phraate* et *Phraatem* ed. Mogunt. quod omnes recentiores servarunt, et in novissimis Horatii editionibus obtinet.

Regem Parthorum, et Tigranem Armeniorum regem, ac demum inter filium] Vet. lib. *Tigranem Armeniorum, ac deinde inter filium.* SIGON. Gudiani: *Phraatem Parthorum regem et Tigranem Armeniorum, ac deinde.* J. FR. GRON. *Parthorum regem, et Tigranem regem Armeniorum* Voss. Boend. et ed. Campani. *Parthorum regem, et Tigranem Armeniorum* Berg. et Lov. 2. *Parthorum regem* etiam Leid. sed in eo desunt voces *Armeniorum regem, ac deinde inter Tigranem* errore librarii ob repetitionem vocis *Tigranem*. Vide ad 9, 11, 11. In edd. Sigonii altera ac tertia omittitur *τὸ Parthorum*, quod etiam exsulat ab Exc. Pithoei.

Ac deinde inter Tigranem filium patremque] *ac deinde*, quod pro *ac demum* Sigonius admisit, supereſt in Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Campani. Vide ad Livii 40, 22, 1. Praeterea *inter filium Tigranemque patrem* Voss. *inter filium Tigranem patremque* Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, Norv. et typis descripti ante Gronov. qui edidit *inter Tigranem filium*, ut praefert Berg.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXV.

IN LOCUM LIBRI C. T. LIVII.

I. Postquam eo contentionis ventum inter viros amplissimos, civile bellum in exspectatione erat, quia Pompejus se parabat, ut in Cretam transmitteret; Metellus ei neutiquam cessurus videbatur: quum improvisa res a proposito Pompejum ad aliam uberioris gloriae expeditionem avertit. U. c. 685. A. C. 67. *Pompejum in Cretam transmissurum avertit alia expeditio.*

II. C. Manilius, tribunatu plebis nuper inito, pridie Kalendas Januarias, quibus M. Aemilius Lepidus, L. Volcatius Tullus consulatum inchoarunt, inclinanti die legem Sulpiciam de libertinorum suffragiis retulerat, *uti pari cum patronis suis jure ferrent.* Abusus ad hoc propositum erat Compitalium solenni, quod, forte per eos dies celebratum, ex veteri consuetudine pro liberis agere sinens servos, occasionem praebebat, ut multi ejus generis, ingenuae plebi permixti, jubere rogationem possent: eique actioni favisse quoque C. Cornelius putabatur. Quum res per tumultum ageretur, et factio tribuni clivum Capitolinum obsideret, L. Domitius Ahenobarbus quaestor perrupit ac disjecit agmen; multisque Manilianorum interfectis, plebi metum, Patribus animum addiderat.

III. Igitur senatus, postridie statim, quam consules inierunt, lege damnata, tribuno tantum incussit metum, ut primo legis auctorem M. Crassum fuisse diceret, et, postquam id credebat nemo, ipse quoque abjiceret legem. Sed, quo firmiorem sibi compararet patronum, adulari Pompejum etiam invitum ac ignorantem coepit; quum in magna apud eum gratia Ga- U. c. 686. A. C. 66. M. Aemilio, L. Volcatio coss. *Per adulationem C. Manilii comparata.*

Cap. I. Dio, l. 36. Cap. II. Ascon. in Corn. et in Milon. c. 8. Dio. Ascon. Dionys. Halic. l. 4. Cic. pro Corn. Ascon. in Milon. c. 8. Cap. III. Dio. Ascon. in Corn. Dion.

U. c. 686. A. C. 66.

binium esse cerneret, cujus rogatione maritimum imperium fuerat adeptus. Nam illum, simul abiverat tribunatu, Pompejus, ut sibi legaretur, postularat. Idcirco legem C. Manilius, venalis alienae potentiae minister, de imperio Pompeji tulit; *ut maneantibus, quae Gabinia lex dedisset, Cilicia et Bithynia provinciae, bellumque contra Tigranem atque Mithridatem reges adjicerentur: utique imperium in omnes populi Romani exercitus extra Italiam haberet: utique jus ei ac potestas esset, quoscumque ei videretur, vel hostes populi Romani judicandi, vel socios adsciscendi, sicut e republica et sua fide esse censuisset.*

Qui legem de imperio Pompeji tulit.

Patres resistunt legi.

IV. Maximam ea rogatio nobilitatis indignationem excitavit: quae, Gabiniam quoque legem aegerrime passa, quod supra ceterorum aequalitatem nimium efferri Pompejum videbat, nunc plane dominum imponi cervicibus suis existimabat. Hoc maxime stimulo, quamquam et Luculli injuria, et Glabrionis Regisque, quibus ante tempus adimebantur provinciae, commoti Patres, mutuo se cohortabantur, ut huic rogationi resisterent. Sed, ubi comitiorum dies adfuit, et incitata populi voluntas constantiam excusserat, praeter Q. Catulum et Q. Hortensium, qui Gabiniam quoque legem dissuaserant, ora omnes tenuerunt. Q. Catulus multa loquutus, quum moveret neminem, saepe exclamavit, ad Patres conversus, *quaerendam esse arcem tuendae libertati in tanta desperatione rerum omnium, quemadmodum majores, olim bello Gallico deserti a populo, in Capitolium confugissent.*

Sed populus, Caesare et Cicerone auctoribus, sciscit.

V. Sed scivit legem populus, et ipsius Manilii egregia concione inductus, et Caesaris atque Ciceronis impulsus auctoritate, qui eam suaserant: Cicero quidem ea oratione, quam hodieque mirantes legunt. Caesar etiam Gabiniam legem adjuverat; non quod Pompejo cuperet, sed ut populum, cujus tum erat potentior Patribus factio, haberet propitium, eumdemque ad sciscenda nimia et inusitata, sibi mox eadem pollicitus, adsuefaceret. Cicero prae se optimatium amorem semper tulerat, eoque aedilitatem petierat, omisso tribunatu, ne populi studiosior videretur. Tum autem, sive gratiam Pompeji adfectans, sive

Cap. IV. Cic. pro Lege Manil. c. 13. Vell. 2, 33. Plut. Pomp. Appian. Mithrid. Dio. Liv. Epit. Appian. Cap. IV. Liv. Epit. Plut. et Dio. Plut. Lucull. Dio. Plut. Pomp. Cic. pro Lege Manil. c. 17. Plut. Cap. V. Liv. Epit. Dio.

sive ut in se momentum esse, quibus accessisset partibus, ostenderet, plebi se applicuit. U. c. 686. A. C. 66.

Ciceronis praetoris integritas et constantia.

VI. Erat autem tum, praeter eloquentiae vim, magistratus etiam amplitudine potentior. Praeturam enim gerebat secundo populi rumore, maxime postquam in judicio Q. Licinii Macri magnam integritatem constantiamque ostenderat. Vir ille praetorius, quum repetundarum esset postulatus, tantam in suis opibus gentilisque sui M. Crassi amicitia fiduciam reposuerat, ut, judicibus in suffragium missis, conferret se domum, tamquam certus victor, tonsaque coma, et habitu priore, quem reus mutaverat, resumpto, in forum reverteretur.

Licinii Macri mors inusitati exempli.

VII. Sed, Crasso damnari eum renunciante, quum e Maeniano praetextam ponere praetorem, dum sententiae diriberentur, conspexisset; misit ad eum, qui diceret, *se ante damnationem perisse, nec bona sua hastae subjici posse:* protinusque, correpto sudario, quod forte habebat in manibus, et in os inserto, interclusit spiritui viam. Cicero, re cognita, nihil de eo pronunciavit. Ita patrimonium filio (Calvus is fuit, praecipui mox nominis orator) inusitati exempli mors patris conservavit.

Manilius apud Ciceronem postulatur.

VIII. Manilia lege perlata, senatus in illum inflammata sunt odia: sed sacrosancta majestate tutum nihil interim potuerunt laedere. exacto tribunatus tempore, accusator comparatus ad Ciceronis tribunal eum forte postulavit. Iniquius cum reo egisse Cicero videbatur: praesertim quod enixe tempus ad defensionem postulanti unam tantummodo diem concesserat. Ob eam rem raptus ad rostra a tribunis, et invidiose ad populum traductus, postulata audientia, *semper se aequum ac benignum miseris, quatenus per leges liceret, fuisse,* ostendit. *eamdem benevolentiam C. Manlio praestare voluisse, ut ante eam diem, quae sola ei praeturae superesset, judicium ageretur. neque enim faventis esse, ad alius potius praetoris arbitrium quaestionem rejicere.*

IX. Haec audita mirifice opinionem vulgi mutaverunt: faustisque acclamationibus exceptus Cicero, et rogatus est, ut Manilii complecteretur caussam. Atque ille, populi studiis laetus, simul uti Pompejum demereretur, de integro concione habita, acriter in pau-

Cap. VI. Cic. pro Lege Manil. c. 24. Plut. Cic. c. 11. Cic. ad Att. 1. ep. 4. Val. Max. 9, 12. Plut. Cap. VII. Val. Max. Cap. VIII. Dio. Plut. Cap. IX. Dio. et Plut.

U. c. 686. A. C. 66.

Sed judicium turbatur subito tumultu.

corum potentiam Pompejique aemulos invectus est. Sed Manilianum judicium subito tumultu turbatum est, sollicita civitate ob conjurationem, P. Paeti et P. Sullae opera conflatam; qui designati consules, deinde damnati ambitus fuerant, ut paullo post memorabimus, quum, expositis, quae interim bello gesta sunt, ad res urbanas revertemur.

Cretenses a Metello subacti libertatem amittunt.

X. Q. Metellus, nullo jam impediente, quod ad alia conversae erant aemuli curae, redactis in potestatem, quae restiterant, Cretensi bello finem imposuit, iisdemque conditionibus recepto in fidem Lasthene, quibus et Panares antea se dediderat. Hic finis fuit libertati Cretensium, ad istud aevi illibatae. Etiam instituta majorum mutare coacti, novas leges, praescribente Metello, acceperunt. Metellus, constitutis in Creta rebus, *Cretici* cognomento acceptò, justius ille quidem, quam ante illum M. Antonius id gesserat, ad triumphum decessit.

Pompeji livor et ambitio.

XI. Dilatus tamen invidia Pompeji in tertium annum triumphus est, qui per addictos sibi tribunos subinde aliquid impedimenti objiciebat, ne triumphare Metellus posset. Ita quidquid aliorum gloriae accessisset, detrimentum esse putabat suae, neque gestis rebus maximis, neque gerendis poterat exsatiari: quum interim cupiditatem quietis et mirum imperii fastidium praeferret. Nam, acceptis de Manilia lege literis, femur feriens, *Hem*, inquit, *adversariorum astutias! qui, ut aliquando me evertant, omnibus exponunt laboribus, omnibus periculis objiciunt. Ecquando erit, ut privatus otiosusque possim in dulcissimorum pignorum conspectu atque comitatu rusticari?*

Pompejus acta Luculli rescindit.

XII. Haec adeo inepte fingebantur, ut familiarissimis stomachum facerent. Neque diu fuit exspectandum, ut factis ipsis proderetur. Nam, praeter insitam ambitionem, aemulatio Luculli, ut gratissimum ei negotium esset, effecerat. Idcirco, penitus abjecta Cretensium rerum cura, toto animo Ponticum bellum complexus, praemissis edictis avocabat a Lucullo milites, regesque et principes civitatum sibi jubebat occurrere. Mox, provinciam ingressus, acta Luculli

Cap. X. Appian. apud Fulv. Ursin. Liv. Epit. Vell. 2, 38. Dio. Strabo, l. 10. p. 484. Oros. 6, 4. Cap. XI. Dio. Vell. 2, 34. Sall. Catil. c. 30. Dio. Dio. et Plut. Pomp. Cap. XII. Dio. Plut.

rescindere coepit; poenas, praemia, ab illo etiam de sententia decem legatorum decreta, auferre: denique summo studio hoc agere, ut prae se nullius momenti esse Luculli auctoritatem admiratoribus illius ostenderet. U. c. 686. A. C. 66.

XIII. Tandem, quum ille per amicos esset questus, convenire ad colloquium placuit Danalis, quod Galatarum Trocmorum castellum erat. Res ibi levis in omen versa est: ex iis, quae jam tum fiebant, minime difficili conjectura. Laureati fasces utriusque imperatoris erant: sed, ut Lucullus ex amoeniore venerat regione, illius erat laurus recentior. Igitur lictores ejus, Pompejanis parte concessa, dederunt ansam quibusdam, ut victoriarum Luculli ornamenta in Pompejum cessura dicerent. *Cum eo colloquitur.*

XIV. Congressus imperatorum come et benignum principium habuit, gratulantibus et res ab utroque gestas invicem extollentibus. Sed cito mutatus ad verum animi habitum sermo, gravibus querelis atque etiam conviciis inhorruit. Lucullus erat aetatis et consulatus tempore prior: Pompeji potior ex duobus triumphis et imperii amplitudine auctoritas. Neque deerat, quod objiceretur. Lucullus avaritiae nomine male audiebat, et, quum patrare bellum posset, quo diutius opulentissimas provincias obtineret, Tigrani Mithridatique praebuisse effugium existimabatur. Haec exagitanti Pompejo Lucullus infinitam imperii cupiditatem exprobrabat: debellatum esse dicens cum regibus, neque nova expeditione opus. post acre jurgium vix ab amicis dirempti sunt. *Eorum querela et jurgia.*

XV. Exinde Lucullus, in Galatia resistens, captos ex hostibus agros arbitratu suo distribuebat: inter quae nobile castellum Tomisa, quod Sophenae regi, cujus regno adjacebat, centum talentis fuerat emptum, Ariobarzani restitutum est. Contra Pompejus judiciorum ejus haberi rationem vetabat; nudabatque illum copiis, mille tantum et sexcentis ad triumphum relictis militibus, quos ex omni numero ferocissimos Luculloque infensissimos esse compererat. Neque his contentus, operum ejus aestimationem verbis obtere- *Pompejus gesta Luculli contemnit.*

Cap. XIII. Dio. Plut. Lucull. et Pomp. Strabo, l. 12. p. 567. Plut. Cap. XIV. Vell. 2, 33. Dio, l. 35. Plut. Pomp. Dio, l. 36. Plut. Cap. XV. Strabo, l. 12. p. 535. et l. 14. 663. Dio. Plut.

U. c. 686. A. C. 66.

bat, *cum umbra regum et tragico quodam apparatu dimicasse Lucullum* dictitans: *nunc verum instare certamen, postquam illi, omissis ineptiis, ad arma virorumque robur se contulissent.*

Et vicissim Pompejana Lucullus.

XVI. Adversus haec Lucullus, *non bellum Pompejo, sed imaginem belli umbramque relictam esse*, jactabat. *idque oppido gratum esse homini, foedae alitis instar ab aliis prostrata corpora, et reliquias proeliorum sequi consuero. Sic in Sertoriani belli, sic in Lepidani, postremo Spartacii titulos irrepsisse: quum primum a Metello Pio esset, alterum a Q. Catulo, tertium M. Crassi virtute confectum. Neque mirum esse, si Ponticorum Armeniorumque bellorum adfectaret nomina, qui nihil non fecerit, ut in triumphum de fugitivis quovis modo se inrruderet.*

Pompejus contra Mithridatem proficiscitur.

XVII. Post haec profectus est ex provincia Lucullus: Pompejusque, praemisso, qui Mithridatem ad pacem petendam hortaretur, Metrophane, quum classibus, a Phoenicia ad Bosporum usque distributis, totum in potestate mare haberet, contra regem magna celeritate contendit. Ducebat secum etiam Valerianas legiones, quae missionem tantopere expetitam, postquam impetrassent, in Pompeji gratiam spreverant: adeo ille ad animos militum alliciendos tenendosque aut aptior Lucullo, aut felicior imperator fuit.

Mithridates jurat inexpiabile bellum sibi nem Romanis esse.

XVIII. Mithridates initio spe Parthicae societatis Pompejum spreverat: sed, audito postea, Phraaten, renovata cum Romanis amicitia, in regnum Tigranis irrupisse, territus legatos ad Romanum de pace misit. Sed ille ante omnia transfugas reposcebat. Quod ubi in castris regiis est cognitum, et a transfugis, ne dederentur, et a barbaris, ne spoliarentur horum auxilio, (multi enim et manu prompti erant) tumultuatum est acriter, non sine periculo regis: donec progressus in medium juravit, *sibi propter avaritiam Romanorum inexpiabile cum illis bellum esse; neque traditurum eis quemquam: neque omnino facturum, nisi quod ex utilitate omnium esset. Neque vero missos a se oratores pacis petendae fuisse, sed ut sub habitu legatorum castra Romana specularentur.*

Mithridatis consilium in-

XIX. Interim, quae Pompejo usui futura crediderat, vastabat urebatque, ut commeatuum inopia vim

Cap. XVI. Dio. Plut. Julian. Caesar. Plut. Cap. XVII. Dio. Plut. Dio, l. 35. et 36. Plut. Lucull. Suidas in Οπως. Cap. XVIII. Dio, l. 36. Liv. Epit. Dio. Appian. Mithrid. Dio. Appian. Dio. Cap. XIX. Appian. et Dio. Oros. 6, 4.

ejus impetumque fruſtraretur. Sed, ubi Pompejus in Armeniam minorem convertit agmen, metuens ei per abſentiam suam Mithridates, eodem cum phalange triginta millium, et tribus millibus equitum movit. Veteranus hic erat, et ex omni regno cum cura lectus exercitus: quem tum in montem quemdam arduum munitumque subduxit, Daſtira vocabant, in Acisilena situm. Ibi caſtris positis, hoſtem atterere mora sedendoque conabatur. Nam, quod in amica regione consederat, promptius ipsi commeatus subvehebantur. Interea per equites, qua parte virium praeſtabat, planitiem subjectam incursando, subinde excipiebat quosdam: multis quoque ad illum ea de cauſſa transfugientibus. U. c. 686. A. C. 66. *opia subigendi hoſtem.*

XX. Mutata deinde cum loco fortuna eſt, poſtquam omiſſum a Mithridate jugum Pompejus caſtris occupavit. Propter aquae penuriam Mithridates reliquerat locum: sed Pompejus, ex fruticum proventu, situsque indole, quod res erat, suspicatus, puteos fodi juſſit: tantaque mox aquae adfluentia fuit, ut tamdiu hoc ignoraſſe Mithridatem mirarentur. Accedebat aliud ex ingenio locorum commodum, quod obsita virgultis et arboribus regio tegebat Romanos, ne equitum et sagittariorum regiorum excursibus paterent. *Vanum fit ipsius culpa.*

XXI. Eadem res admonuit Pompejum, ut insidias equitatui hoſtium, natis ad eam fraudem vallibus, ſtrueret. Igitur, noctu tribus leviter armatorum millibus cum equitibus quingentis inter duo caſtra occultatis, prima luce paucos misit ad vallum regis equites, ita doctos, ut operam darent, quo univerſus equitatus hoſtilis eliceretur: eo facto, servatis ordinibus se subducerent, donec insidiis feciſſent erumpendi opportunitatem. Omnia obedienter induſtrieque facta. Succeſſus etiam exspectationi par adfuit. Regii, novo, unde minime putaverant, hoſte emicante, conversis etiam, quorum paullo ante terga viderant, territi, quum utrimque caederentur, et pedes etiam cominus suggreſſus equos confoderet; multis fortibusque viris amiſſis, ad caſtra refugerunt. Sequuti sunt victores: irrumpebantque cum fugientibus, nisi Mithridates, re provisa, peditum phalangem opposuiſſet. *Pompejus insidias ſtruit Mithridatici.*

Cap. XIX. Plut. Pomp. et Appian. Dio. Strabo, l. 12. p. 555. Dio. Cap. XX. Plut. Dio. Cap. XXI. Frontin. 2, 5. Dio. Appian. Frontin. Appian.

U. c. 684. A. C. 68. *Mithridatis res arctae.*

XXII. Hoc proelium, detracta regi, quam habebat in equeſtribus copiis, fiducia, magnis commodis victorem exercitum auxit: brevique liberior ipsis, anguſtior hoſti frumentatio, abundantiam Romanis caſtris, inopiam et pene desperationem regiis attulit. Nam in regionibus, paullo ante per Lucullum vaſtatis, exiguae copiae erant; neque acciri longius, equitatu magna ex parte amiſſo, poterant. Igitur crebra fiebant ad Pompejum transfugia, quibus efferatus Mithridates, quos eadem molitos cognoverat, acerbiſſimis suppliciis adficiebat. Inde pauciores jam, ob magnitudinem poenae deterritis plerisque, transfugiebant: sed non ideo ceſſabat penuria, quae tandem etiam invitum ad interiora regni sui Mithridatem retrusit.

Ejus caſtra circumvallare inſtituit Pompejus.

XXIII. Una spes erat futurum, ut in locis omni elade belli vexatis non diu durare Romanus poſſet. eam irritam Pompeji providentia fecit, qui, dimiſſis ad longinqua frumentatoribus, maximam annonae vim a tergo subvehi juſſerat. Quum eſſet adeptus hoſtem, ad orientalem regni plagam redactum, circumvallare pugnam detrectantis caſtra coepit vallo viginti ferme milliarium, crebrisque in circumitu caſtellis exaedificatis.

Mithridates fugam meditatur.

XXIV. Id opus Mithridates, sive proelium vitans, sive per imprudentiam, quae ferme praecedere calamitatem solet, non impedivit. Fame mox urgente, quidquid in caſtris jumentorum erat, conſumpsit: ne sic quidem ultra quinque et quadraginta dies sufficiente victu. Praeterea multos ad Pompejum Romanos milites venire quotidie, totumque Marcii Regis exercitum, didicerat. Igitur, fugam meditans, quo consilium suum occultum foret, solito latius, et usque ad valles ante Pompeji caſtra sitas pabulatus, colloquia quoque cum pluribus, avertendae suspicionis cauſſa, in poſteram diem conſtituit. Ignibus deinde frequentioribus per tota caſtra fieri juſſis, secunda vigilia, nihil tale suspicante Pompejo, praeter vallum ejus eduxit validam copiarum partem: quum antea, quod inutile et aegrum in caſtris fuerat, occidiſſet.

Tigranis res malae.

XXV. Ad Tigranem habebat iter, ut illius opibus protegeretur. Sed haud multo meliore in ſtatu res

Cap. XXII. Frontin. Dio. Appian. Cap. XXIII. Dio. Appian. Frontin. 1, 1. Plut. Appian. Cap. XXIV. Plut. Dio. Frontin. Appian. Dio. Plut. Dio. Cap. XXV. Dio, l. 37.

Tigranis erant, Gordyenen repetente Partho, et, postquam non dabatur, armis vexante Armeniam. quodque omni externo bello erat gravius, Tigranes adolescens arma contra patrem ceperat. Tres omnino filios e Cleopatra, Mithridatis filia, Tigranes sustulerat: quorum duo a patre erant interfecti: Sariaster in proelio, quum, inita conspiratione cum amicis, hausloque dextrarum sanguine, vim parasset; alter in venatione, quod equi lapsu praecipitem patrem neque sublevarat, et jacentis adhuc diadema capiti suo imposuerat. Tertius Tigranes, quod patris casu indoluerat, corona ab eo donatus est. U. c. 686. A. C. 66.

XXVI. Sed idem postea, deducentibus quibusdam principibus Armeniorum, qui senis imperio gravabantur, ad Phraatem confugerat, ejusque ducta filia, praecipuus invadendae Armeniae auctor exstiterat. Igitur Phraates, deficientibus ad eum, aut vi subactis, quotquot ad Artaxata usque colebant, (quia pater Tigranes metu Parthorum in montes refugerat) urbem obsidione cinxit. ea quum diuturnior futura videretur, ipse, regni sui negotiis avocatus, partem copiarum genero reliquit. At rex Tigranes, discessu Phraatis cognito, relictum ad Artaxata filium egregie vicit. Juvenis ad avum Mithridatem prius intendit fugam: deinde, cognito, ipsum potius egere auxilii, quam auxiliari cuiquam posse, in Pompeji castra venit. *Bellum cum filio et Parthis.*

XXVII. Inter haec reversus in urbem Lucullus fratrem Marcum reperit a C. Memmio Gemello tribuno plebis propter ea, quae Sullae jussu quaestor gesserat, accusari. Multi enim tum in judicium ob illorum temporum delicta vocabantur. Sed ille quidem absolutus est. at, facto in Lucium impetu, Memmius cum populo coepit agere, *ut triumphum ei negaret; multa illum intervertisse, et bellum, quum finire posset, ultro duxisse* arguens. Contra Lucullus, ratione gestorum reddita, contra invidiam meritis pugnabat: neque eo minus Pompeji potentia tanta fuit, ut per venales homines tanti viri justissimus triumphus in totum triennium differretur. *Lucullus triumphus invidia Pompeji dilatus.*

Cap. XXV. Liv. Epit. Appian. Justin. 38, 3. Appian. Cap. XXVI. Dio, l. 36. Plut. Dio. Cap. XXVII. Plut. Lucull. Ascon. in Tog. Candid. Plut. Nicol. Damasc. apud Athen. l. 7, c. 21. et 12, 11. Sall. Catil. c. 30. Cic. Acad. Quaest. l. 4, c. 1.

EPITOME

LIBRI CENTESIMI PRIMI.

Cn. Pompejus Mithridatem, nocturno proelio victum, coëgit Bosporon profugere. Tigranem in de-

Bosporum profugere] Voss. et Gud. alter *Bosporon*. Ut *Cypron, Isthmon, Corinthon*. J.FR.GRONOV. Terminum Graecum servant etiam Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Elzevirianam Dan. Heinsii; quae *Bosphorum* dedit. V. ad Epit. 52.

Eique, ademtis Syria, Phoenicia, Cilicia, regnum Armeniae restituit] *Phoenice* vet. lib. SIGON. *etque*, pro *eique*, Voss. *atque* Leid. et Berg. Tum *ademta* Boend. Deinde *Fenicia* idem Boend. *Phoenicia* Norv. et edd. ante Sigonium, qui substituit *Phoenice*. nec aliter legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Observant viri docti, melioris aevi scriptores Latinos *Phoenicen*, non *Phoeniciam*, dixisse. Vide Ferrar. ad Cic. 11. Philipp. 13. Jac. Gronovium ad Pomp. Melae 1, 12. et Cellar. 3. Geogr. Ant. 12, 271. *Phoeniciam* dixisse Martian. Capell. l. 6, observat Relandus 1. Palaest. 9. Eadem vox in lapide, qui tempore Septimii Severi sculptus est, obcurrit apud Gudium in Inscript. pag. 69. n. 1. Licet igitur forte aetate, qua vixit auctor Epitomarum, in usu fuerit; alteram tamen recepi partim codd. fide, partim quod auctor eam ex ipso Livio hausisse videtur. Tandem *et Cilicia* Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Gruterum, sublatae copulae auctorem; quae etiam ab omnibus Mssis meis exsulat.

Qui in petitione consulatus ambitus damnati erant] Hi erant P. Autronius et P. Sulla, quibus Dio lib. 36, 21. socios conjurationis addit Catilinam et Cn. Pisonem, et alii apud Sueton. Caes. 9. etiam Crassum et Caesarem. Crassum a Cicerone argui auctorem conjurationis, quae a Catilina et Pisone facta est, scribit Asconius ad princip. Orat. Cic. in Toga candida. DUKERUS.

Iberos, Albanos, qui transitum minime dabant] Vet. lib. *Albanosque, qui transitum non dabant*. SIG. Eadem lectio superest in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Copula *que* intercepta erat a sequenti pronomine *qui*. Alia exempla vide ad 2, 59, 11. 3, 50, 11. et 39, 19, 6. Passim etiam *minime* pro *non* in his Epitomis datum esse, vidimus ad Epit. 49.

Per Colchos, Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas] Ita primi vulgarunt Moguntini, nisi quod *Hemochosque* vulga-

ditionem accepit, eique, ademtis Syria, Phoenice, Cilicia, regnum Armeniae restituit. Conjuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis consulibus, obpressa est. Cn. Pompejus, quum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque gentes penetravit. Iberos Albanosque, qui transitum non dabant, proelio vicit. Praeterea fugam Mithridatis per Colchos, Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas continet.

tum sit errore operarum, quem servarunt proximi, et demum Froben. emendavit, *Heniochosque* reponens. Antea edebatur *Ethnicosque*, quod superest in Norv. Sed *Etnichosque* legunt Exc. Pithoei. *et Ethnicos* Leid. *Ervicosque* Voss. *Ernicos*, omissa copula, Lov. 2. *et Hernicos* ed. Camp. *Hernicosque* Boend. *et Thrachas* Berg. *Heniochos* his oris memorant omnes Geographi. Eosdem etiam inter populos, quos Mithridates transiit, quum a Pompejo victus in Bosporon aufugeret, recensent Appian. in Mithrid. pag. 241. et Aurel. Vict. in Vir. Inlustr. cap. 77. Praeterea *in hospitio*, pro *in Bosporo*, Leid. Dein *prospere gestas*, addita priori voce, Boend. et ed. Camp.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXVI.

IN LOCUM LIBRI CI. T. LIVII.

U. c. 686. A. C. 66. *Mithridatem cedentem Pompejus sequitur.*

I. Mithridates interea Pompejum fugiens ita profectionem instituebat, ut noctibus progrederetur, interdiu requiesceret. Neque multum itineris praeceperat, et postridie statim, quam castra movisset, Romani erant extremum agmen consequuti. nec dubitabant amici regis, quin pugnandum esset: ipse, alia omnia praeferens, satis habebat, equitibus emissis antecursores Pompeji repellere. Ita cedendo Mithridates, insequendo Romani, ad fines Tigranis usque processerunt. Neque enim cupido pugnandi Pompejo aut dies opportuni erant, quod castris Mithridates tum se continebat; aut noctes, quod in locis ignotis temerarium videbatur inter tenebras confligere. Sed ubi ventum ad Euphraten est, quem si transmittere Mithridates occupasset, effugerat; non diutius cunctandum ratus imperator, ita se exercitumque paravit, ut proxima nocte dimicaret.

Et adsequutus aggreditur.

II. Armenia minor erat, per quam ibatur: neque longe distabat amnis, terminus hujus et alterius Armeniae, cui Tigranes imperabat. Igitur, quiescentibus sub meridiem barbaris, Romanus silentio castris egressus antevertit hostem, et in via, qua transeundum regiis erat, locum editiorem occupavit, ut majori impetu in subjectos decurreret. Nocte coepta barbari ex priore instituto capessunt iter: adeo jam soluti cura, quod ad loca tuta perventum credebant, ut nulli speculatores praecederent agmen. Idcirco prius subjectam Pompeji castris vallem ingressi, quam hostem ad-

---

Cap. I. Dio, l. 36. Appian. Mithrid. Dio. Plut. Pomp. c. 52. Dio. Cap. II. Eutrop. Ptolem. 5, 13. Dio. Frontin. 2, 2. Dio.

esse putarent, ad subitam dimicationem sunt coacti. Magnus et multiplex is terror fuit, et astu Pompeji de industria auctus. Primum enim omnes simul tubicines classicum canere jussi: eum clangorem militum lixarumque acerrimus clamor excepit, hastarumque sonitus ad clipeos allisarum, et quem inermis turba, saxis aerea vasa pulsans, haud minus terribilem auribus ciebat: eaque omnia montium repercussu in majus augebantur. U. c. 686. A. C. 66.

III. Hoc repentino tumultu propemodum debellatos hostes omni ex parte Romanus invasit, lapides sagittasque et pila, quamvis per densas tenebras, haud vanis ictibus, ut in tantam multitudinem, jaculati. Barbari longo et mixto agmine, quod ad iter, non ad proelium, erant egressi, mutuo se impediebant, inter angustias locorum equis, camelisque, et vehiculis, quae mulieres portabant, armatos turbantibus. Consumptis deinde missilibus, cominus congressus miles caedebat primos, turbabat sequentes: et cito fiebat ferro via, quod inermes plerique Ponticorum uno vulnere sternebantur. *Proelium vehemens et iniquum Ponticis.*

IV. Inter haec emicans forte nubibus Luna recreavit barbaros, ut, si nihil aliud, visuros saltem hostem sperarent, et minore pugnaturos periculo, si, quale illud, et unde maxime timendum esset, agnovissent. Sed Lunae etiam fallax et perniciosus eis splendor fuit, quum adversos ipsorum perstringeret oculos, conspicuumque hosti agmen efficeret. Summa tamen noxae in eo fuit, quod umbra, quae a Romanis corporibus per longum intervallum ad suos ordines pertingebat, decepti, tamquam in propinquum hostem tela miserunt. Eo Romani animadverso, cum clamore suggressi sunt, Ponticosque tot malis circumventos pepulerunt. Ad millia decem eo proelio cecidisse traduntur, neque pauciores esse capti. Romani milites viginti cum duobus centurionibus interfecti sunt; vulnerati mille. Sunt, qui regiorum capta caesaque referant quadraginta millia: quot vix existimem in eo Mithridatis exercitu fuisse: praesertim quum multos etiam effugisse sit proditum, inter quos et Mithridates fuit. *Mithridatis clades.*

Cap. III. Liv. Epit. Frontin. 2, 1. Dio. Cap. IV. Frontin. Flor. 3, 5. Oros. 6, 4. Plut. Dio. Plut. Appian. Dio. Eutrop. Oros. Dio.

U. c. 686. A. C. 66.

Et fuga, comite Hypsicratea.

V. Is jam ab initio pugnae cum equitibus octingentis per Romanam aciem se eripuerat. deinde, diffugientibus metu ceteris, relictus ab omnibus, tres omnino comites retinuit. quo in numero pellex ejus fuit, Hypsicratea, masculi animi roborisque mulier, quam ideo Hypsicratem nominare rex consueverat. Ea tum, virilem vestem Persicam induta, equo vehebatur, neque longinquitate fugae, nec curando interim corpore et equo regis fatigata, quum eo ventum miseriarum esset, ut ipse plerumque per invia manu traheret equum: donec in globum equitum mercenariorum, et peditum tria ferme millia incidit, a quibus deductus est in castellum Synoria, sic appellata, quod ibi utriusque Armeniae confinia coïbant: quo loco Mithridates magnam pecuniae vim habebat repositam. Inde sumptis pretiosis vestibus, et inter praesentes distributis, stipendium annuum militi, donativo insuper adjecto, numeravit. Venenum etiam, quod in iisdem thesauris habuerat, dispertit amicis, ne cui necessum esset in manus hostium invito incidere.

Tigranem inimicum expurgatur.

VI. Sex deinde talentorum portans millia, quum ad Tigranem properaret, cognoscit, legatos a se praemissos in vinculis, suum in caput centum a Tigrane pronunciata talenta esse, quod eum filio defectionis auctorem fuisse Tigranes autumabat. Igitur flectit ad fontes Euphratis iter, praeteritis illis Colchidem petiturus. quarto die contentissimo cursu pervenit ad fontes: triduumque moratus, (nam interea veteres, et quae postea accesserant, copias recensebat, armabatque) Chotenen, majoris Armeniae praefecturam, ingressus est. Prohibebant aditum Choteni, Iberis etiam quibusdam adjunctis. Sed hos, glandibus ac missilibus pugnantes, Mithridates submovit, penetravitque ad flumen Absarum. Deinde pacato per aliquot gentes itinere Dioscuriada venit, quam in Colchis condidisse Castorum aurigae Amphistratus et Rhecas ferebantur.

Pompejus Nicopolin condit.

VII. Interim Pompejus, qui ad persequendum Mithridatem partem equitum et levis armaturae miserat, quum effugisse illum, Phasi transmisso, comperisset,

---

Cap. V. Plut. Cic. pro Mur. c. 16. Oros. Plut. Suidas in *Πομπήϊος*. Eutrop. Val. Max. 4, 6. Plut. Oros. Appian. Strabo, l. 12. p. 555. Appian. et Plut. Cap. VI. Appian. Dio. Plut. Dio. Plut. Appian. Plin. 6, 5. Strabo, l. 11. p. 496. Cap. VII. Dio. Oros. Appian.

in loco proelii novam urbem condidit. Hic quod aetate morbisve fessum in castris erat, lixasque volentes collocavit: et accessit sponte finitimorum barbarorum multitudo: *Nicopolis* ab argumento vocata est: inter duo flumina Euphraten Araxemque jacet, quae ab eodem monte, diversis tamen specubus, prosiliunt, non amplius sex millium intervallo. Cursus non idem utrique: nam Araxes, ad orientem deflectens, in mare Caspium effunditur. U. c. 686. A. C. 66.

VIII. Haec agentem Tigranes juvenis accessit, ex proelio, sicut supra dictum est, profugus; ductoremque se paternum regnum invadenti praebuit. Multis itaque populis metu Pompeji, partim etiam regii juvenis favore, deficientibus, rex lenitatem Romanam, quam vim, experiri maluit: missoque caduceatore legatos transdidit Mithridatis. Sed, obsistente filio, quum aequi nihil impetrasset, et, Araxe transmisso, venire Pompejum audiret, quamquam evocatis amicis cognatisque Artaxata praesidio muniverat, Romano se statuit dedere. *Regnum Tigranis invadit.*

IX. Sextodecimo inde milliario castra Pompejus locaverat: auditoque Tigranis adventu, tribunos praefectosque honoris caussa miserat obviam. Eos amici comitesque regis conspicati, in metum adducti sunt, quia Tigranes, nemine praemisso, neque potestate ea impetrata, veniebat, ne hostiliter exciperentur. Sed Tigranes, diffugientibus ceteris, nihilo secius institutum iter peregit. *Tigranes ad Pompejum venit.*

X. Quum vallum intraret eques, duo Pompeji lictores descendere jusserunt, *quod ita ingredi castra Romana non liceret.* Idcirco pedibus perrexit ad Pompeji tribunal, e tanto fastu rex modo regum ad pudendam humilitatem animo delapsus, habitu inter pristinam pompam et praesentem fortunam temperato. Imitatione Persicorum regum tunicam albo colore distinctam, aliamque vestem purpuream totam (*Candys* haec, illa *Sarapis* vocabatur) gestare consueverat: eas tum omisit: tiaram cum diademate retinuit. Sed progressus, ubi Pompejus erat, detractum capiti ad pedes *Eumque humiliter venerantur.*

Cap. VII. Dio. Oros. Dio. Appian. Strabo, l. 12. p. 555. Oros. Plut. Plin. 6, 9. Strabo, l. 11. p. 527. Cap. VIII. Plut. Vell. 2, 37. Dio. Plut. Dio. Plut. Liv. Epit. Cap. IX. Eutrop. Appian. Dio. Cap. X. Plut. Dio. Curt. 3, 3. 17. et ibi Freinshem. Dio.

U. c. 686. A. C. 66. illius deponere, ipse procumbens adorare imperatorem coepit, *hoc sui se Pompejo dare*, praefatus: *neque cujusquam alterius, aut Romani, aut barbari, fidei se permissurum fuisse. neque turpe sibi existimare ei viro subjici, quem Fortuna supra omnes extulisset.*

Et a Pompejo benigne suscipitur.

XI. Pompejus manu sublevatum, neque procidere ad genua passus, diadema suis manibus capiti ejus imposuit, regemque appellavit, et considere jussit. ipse, inter patrem filiumque medius, benigna oratione compellavit: *neque excidisse ipsos Armenia, et insuper amicitia Romana auctos esse* confirmabat. *Se porro nihil adempturum eorum, quae ad eam diem tenuissent: sed neque reddere dudum amissa posse. L. Lucullo imputandum, quod carere oporteat Syria, Phoenicia, Cilicia, Galatia, Sophene: sibi, quod cetera relinquantur. Ea se, ut antea, patris imperio regenda permittere: Sophenen tamen filio proprium regnum dare. At, quando bellum populo Romano sine caussa commoverit Tigranes, ideo se ei mulctam sex millia talentorem dicere.* Omnem eam pecuniam, sicuti Pompejo moris erat, quaestores acceptam in publicas tabulas retulerunt. Neque enim Tigranes quidquam recusabat. quin, impetratis conditionibus, quinquagenas drachmas in milites Romanos, millenas in centuriones, decuplum ejus in tribunos, hospitale munus, pronunciavit.

Tigranis adolescentis irreverentia in patrem.

XII. Sed haec ut seni, tali quidem in sorte, prospera laetaque, ita adolescenti indigna, acerba, intoleranda videbantur. Is neque venienti patri adsurrexerat, neque ullum aliud reverentiae, aut etiam translatitiae humanitatis ediderat signum. Vocatus deinde ad coenam, quam patri Pompejus dabat, neque adfuit; et *dixisse* dictus est, *Pompejo se honoris hujus gratiam facere; neque sibi alium Romanum imperatorem defore, per quem cupita consequatur.*

Et contumacia in Pompejum.

XIII. Pompejus, his nondum auditis, aut dissimulata injuria, postridie inter patrem filiumque controversiarum arbiter sedit. Senior Tigranes patrium regnum retinere jussus ea lege, ut filio utique haerede decederet; Sophene Gordyeneque juveni sunt at-

---

Cap. X. Plut. Appian. Eutrop. Vell. Cap. XI. Plut. Dio. Val. Max. 5, 1. Cic. pro Sext. c. 27. Vell. Plut. Dio. Plut. Liv. Epit. Eutrop. Appian. Dio. Eutrop. Plut. Strabo, l. 11. p. 530. Suidas in *Πομπήϊος*. Vell. Appian. Strabo. Cap. XII. Dio. Plut. Cap. XIII. Dio. Appian.

tributae. Sed is thesauros etiam, nam ibi adservabantur, retinere cupiverat. frustratus autem, nec enim aliunde promissa Romanis pecunia poterat exsolvi, tantum indignationis concepit animo, ut de fuga atque etiam insidiis patri struendis deliberaret: incitantibus maxime proceribus, qui, rege, dum ad Pompejum proficiscitur, deserto, poenam metuebant. U.c. 686. A. C. 66.

XIV. Vanum id consilium fuit, quia Pompejus, indicio ad se delato, juvenem libera custodia attinebat: missis interea circum castella, qui pecunias a custodibus patri Tigrani tradi juberent. Atque his jussa junioris exspectare obtendentibus, cujus in ditione regnum Sophenes esset; adductus ad castella juvenis, quum clausa reperisset, aperiri, quamquam invitus, imperabat. sed illi sic quoque recusare: *nam coacti, non volentis, id imperium esse.* Idcirco Pompejus ira commotus in vincula conjecit hominem. ita demum patris in potestatem thesauri sunt traditi. Atque ille liberaliter his usus ita devinxit Pompejum, ut mox socium amicumque populi Romani appellaret; et gravem senectuti ejus discordemque filium interim haberet in vinculis, decedens secum ad triumphum abduceret. *Ob eam in vincula conjicitur.*

XV. Id ne fieret, socer juvenis Phraates, missis ad Pompejum legatis, impedire studuerat; ad se remitti petens. simul terminum Parthici Romanique imperii Euphraten esse postulabat. De Tigrane responsum, *in patris potius potestate filium, quam in potestate soceri generum, censeri aequum esse: terminum imperiorum eum fore, quem jus et fas statuissent.* *Et frustra repetitur a socero Phraate.*

XVI. Armeniorum calamitas Ariobarzani commodo fuit, cui tum Cappadociae regnum est redditum: et adjectae Sophene Gordyeneque, Tigranis filio antedatae: quae ex eo tempore Cappadociae partes sunt habitae, et dum regnum Cappadocum stetit, et postea, quum Romanorum est facta provincia. Eidem et civitatem Ciliciae Cabala, cum nonnullis aliis, dedit. Meruerat hoc constanti adversus populum Romanum fide, ob quam longissimo tempore aspera multa toleraverat, per Tigranem, per Mithridatem aliquoties regno pulsus. Igitur casuum socium, et filium videndi regem cupidus, rerum regimen in illum superstes *Ariobarzanis adversa et prospera.*

Cap. XIII. Dio. Appian. Cap. XIV. Dio. Appian. Plut. Dio. Appian. Cap. XV. Plut. Cap. XVI. Appian. Strabo, l. 12. p. 539. Liv. Epit. 76. Val. Max. 5, 7.

U. c. 686. A. C. 66. adhuc transtulit, memorabili exemplo. Forte a Pompejo in tribunal invitatus sella curuli sedebat: quum filium in cornu scribae adsidentem non ferens descendit, eique diadema imposuit. Orto inde certamine, quum pari pietate senex offerret regni insignia, juvenis repelleret, auctoritas Pompeji finem dedit, confirmato patris judicio, honoribusque novo regi exhibitis.

XVII. Pompejus, his in Armenia gestis, relictoque ad tutelam pacatorum Afranio, persequi Mithridatem conatus, per gentes feras ignotasque Caucasum accolentes exercitum circumduxit. Frequentes ille tractus populos, sed praecipuae potentiae Albanos et Iberos, habuit. illi ad orientem et mare Caspium porrigebantur; Albani ad Pontum et Moschicos montes pertinebant. Haec ingressus loca Pompejus, quia periti fidique duces deerant, tamquam in mari, astris sequebatur viam. Satis pacatum ab initio iter fuit, transitum petente Pompejo, his concedentibus: donec in Tanaïticam regionem perventum. ibi propter frigoris asperitatem hiberna tribus locis sunt posita. Tum Oroeses, Albanorum rex, partim amicitia Tigranis adolescentis motus, ceterum sibi timens, ne aliorum regum exemplo ab his hospitibus opprimeretur; sub ipsa Saturnalia ad quadraginta hominum millia Cyrum fluvium transduxit: magna spe fore, ut incautos per hiemem Romanos, et diviso exercitu aggredientibus opportunos, simul omnibus locis adortus, ne subvenire invicem possent, aliqua certe parte operae pretium faceret.

Oroeses Albanus Romanos tribus locis adortus,

Et ubique profligatus,

XVIII. Non fefellit barbari dolus Pompejum. igitur, licet prohibere trajicientem posset, exspectare, dum veniret in manus, maluit: nunciisque in cetera hiberna missis, ut intenti paratique omnes essent, monuit. Oroeses ita partitus erat copias et negotia, ut ad eripiendum Tigranem, quem in custodia Metellus Celer habebat, ipse proficisceretur; alios adversus Pompeji castra, reliquum exercitum ad opprimendos, qui cum L. Flacco erant, mitteret. Nusquam spei respondit eventus. ipse profligatus a Metello, ne ducibus quidem suis melius cessisse coepta triste nuncium acce-

Cap. XVII. Plut. Liv. Epit. Plut. Flor. 3, 5. Plut. Dio. Plut. Dio.

accepit. Flaccus, majorem castrorum ambitum defensu difficilem ratus, interius munimentum struxerat: deinde simulato metu attractos intra prius vallum hostes subita eruptione ceciderat; multis in proelio, neque paucioribus in fuga interemptis. Pompejus adversum se venientes, obviam egressus, eo ipso exterruit: et, qui necopinantem opprimi posse speraverant, in hoc incommodum ipsi inciderunt. At ille, post hanc victoriam nihil moratus, Oroesen petebat: sed barbarus jam praeverterat. magna tamen Albanorum multitudo in transitu. Cyri occupata atque interfecta est. U. c. 686. A. C. 66.

XIX. Oroeses, legatis ad imperatorem missis, veniam pacemque petiit: *neque enim fas esse, fratres invicem agitare hostilia.* Hercules enim, quum boves Geryonis per Italiam ageret, ab Albano monte majores eorum in ea loca transduxisse credebatur. Quemadmodum et Iberos ab Hispania, quam Iberiam Graeci vocant, quantumvis ineptis fabulis laeti, nullo nisi nominis argumento, venisse tradiderunt. Dedit tamen Albanis veniam Pompejus, non tam cognationis caussa, quam quia per tempus anni, parum bello commodum, exercitum quiete refici convenientius judicabat. *Veniam pacemque petit.*

XX. Iisdem temporibus, dum ad orientem arma Romana peregrinantur, periculosa domi conjuratio erupit, ab ambitu consularium comitiorum profecta. Namque L. Catilina, quum ex praetura Africam obtinuisset, ad petitionem decesserat. Sed, quia graviter vexaverat provinciam, Afri legati jam tum de absente erant questi, multaeque graves in senatu de eo sententiae dictae. Postulatus deinde a P. Clodio, non minus foedo homine, contra testimonium Q. Metelli Pii, praevaricatione, ut putatur, accusatoris, est absolutus ab equitibus et tribunis aerariis, quum senatorum urna damnavisset. Dolebat tamen, quod ea res, quum intra legitimos dies profiteri non posset, petituro consulatum impedimento fuerat. rationem enim ejus haberi non posse, referente ad consilium L. Volcatio Tullo consule, qui comitia habebat, erat judicatum. *Conjuratio Romae erumpit.* *Ejus caussae et occasio.*

XXI. Forte acciderat, ut paullo ante designati consules P. Autronius Poetus, P. Cornelius, Ser. Sulla

Cap. XVIII. Plut. Cap. XIX. Justin. 42, 3. Appian. Plut. Dio. Cap. XX. Flor. 4, 1. Liv. Epit. Cic. in Tog. Candid. et ibi Ascon. Sall. Catil. 16. Ascon. Cap. XXI. Dio.

U. c. 686. A. C. 66. dictatoris fratre genitus, lege Calpurnia postularentur; hisque damnatis, L. Cottae, L. Torquato consulatus destinaretur: nam Cotta Autronium, Torquatus Sullam reos peregerant. Hi igitur, sociatis cum Catilina consiliis, paucos praeterea participes adhibuerunt.

Socii et consilia. XXII. De Cn. Pisone, nobili et audaci juvene, non dubitatur, quocum circiter Nonas Decembres rem Catilina et Autronius communicarunt. Sed M. Crassus consularis, et designatus aedilis C. Caesar venerunt in suspicionem: multis, tamquam rem haud dubiam, non tantum credentibus, sed etiam posterorum prodentibus memoriae. Ii *convenisse* dicunt, *ut principio anni senatum adorirentur: et, trucidatis, quos placitum esset, consulibus ante omnes, dictaturam Crassus invaderet, Caesar ab eo magister equitum diceretur: constituataque ad arbitrium republica, Sullae et Autronio consulatus restitueretur.*

Proditio. XXIII. Sed emanavit indicium rei, senatumque perpulit, ut consulibus magistratum inituris praesidium decernerent. Factum etiam contra conjuratos senatusconsultum erat: sed ei, tamquam re nondum satis cognita, tribunus quidam plebis intercessit. Kalendis Januariis, quum L. Aurelius M. F. Cotta, L. Manlius L. F. Torquatus in Capitolium adscendissent, quo die locoque patraturi caedem conjurati fuerant, conspectum praesidium audaciam emovit mentibus, Crassusque, poenitentia an metu incertum, destituit socios: eoque ne Caesar quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedit. *Convenisse* autem C. Curio pater in orationibus scriptum reliquit, *ut togam de humero dejiceret.*

U. c. 687. A. C. 65. L. Aurelio, L. Manlio coss.

Et impedimenta.

Alius conatus itidem vanus. XXIV. Idcirco rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerunt, jam non consulibus modo, sed plerisque senatoribus exitio destinatis. Erant autem Nonis ex more Patres in senatu adfuturi. Sed tum etiam cessatum est a conjuratis, quia Catilina, quum nondum frequentes armati convenissent, signum praemature dederat. Neque tamen ideo spiritus sceleratorum conciderunt: praecipua Pisonis ferocia, prioribus consiliis non ita dissimulanter instantis, ut paul-

Cap. XXI. Sallust. Ascon. Dio. Ascon. in Corn. Cic. de Fin. 2, 19. Cap. XXII. Dio. Sueton. Caes. c. 9. Sallust. Sueton. Cap. XXIII. Sallust. Dio. Sallust. Cic. pro Sulla, c. 24. Sallust. Dio. Sueton. Cap. XXIV. Sallust, Cic. pro Mur. c. 38. Manut. de Sen. Rom. Sall. et Ascon. in Tog. Candid.

lo diligentiores fallere poſſet. Igitur, quum M. Cicero ex praetura in provinciam ire nollet, Craſſo adnitente, Piſo in Hiſpaniam quaeſtor pro praetore missus eſt: nec invito senatu, qui peſtiferum civem procul urbe tenere cupiebat; et, quia Pompeji potentia multis erat formidini, hunc ejus inimicum cupidius ornabant. U. c. 687. A. C. 65.

XXV. Tum quoque cum eo conspiraſſe Caeſarem, auctores habeo, ut foris Piso, Caesar Romae ad res novas consurgerent. Sed id consilium inopinata mors Pisonis diſſipavit; quem in itinere Hiſpani quidam equites peremerunt. Ea de re diversus in civitate rumor exſtitit: plerique propter injurias proprias id facinus ausos Hispanos putabant. alii equites illos e veteribus fidisque clientibus Pompeji fuiſſe arguebant; neque tale facinus umquam antea patratum apud eam gentem, saeva et injuſta imperia multa perpeſſam. *Nova conspiratio Caesaris et Pisonis.*

XXVI. Inter has sollicitudines anxiam civitatem religiones etiam, et haruspicum gravia responsa terruerunt. Tactum fulmine Capitolium fuerat, complures turres percuſſae, lupa gemellos lactans icta, signumque Jovis cum columna, et ſtatua vetus Pinarii Nattae dejecta, et legum aera liquefacta. De his consulti haruspices, quum ex tota Etruria conveniſſent, *incendia templorum, interitum legum et imperii appropinquare* dixerunt: *idque periculum a civibus, iisque nobili ſtirpe prognatis, imminere.* Itaque ludi per dies decem, aliaque placandis numinibus facta. Signum quoque Jovis majus faciendum, et in excelso collocandum, ita ut ad orientem spectans (nam prius contra fuerat) foro et curiae obverteretur, consules locaverunt. *Sic enim fore, ut conſilia, contra ſalutem urbis et imperii clam inita, ſenatui populoque Romano conſpicua fierent,* iidem haruspices docuerant. *Prodigia, et eorum interpretationes.*

XXVII. Interea Cn. Pompejus, quamquam regnum Ponti poſſederat, nihil actum credens, donec rex viveret, suique juris animum ac corpus retineret, Mithridatem persequebatur: et obsiſtentes in itinere reges nationesque debellabat. Cum Albanis et Iberis *Pompejus Mithridatem persequitur.*

Cap. XXIV. Cic. pro Mur. c. 20. Salluſt. et ibi Inscriptio vetus in not. apud J. Waſſe. Cap. XXV. Salluſt. Sueton. Dio. Salluſt. Ascon. Salluſt. Cap. XXVI. Cic. de Divin. l. 12. et in Catil. 3, 8. Jul. Obseq. Cic. utrobique. Cap. XXVII. Cic. pro Mur. c. 16. Liv. Epit.

U. c. 687. A. C. 65. maximum negotium fuerat. sed illi nuper victi quiescebant: Iberos antiquae libertatis fiducia, (neque enim Medis Persisque, neque postea Alexandro servierant) et Artocis regis infelix astutia, in belli calamitatem egit.

Iberos lacessitus invadit. XXVIII. Nam is, post impetratam per legatos amicitiam, incautiores ideo Romanos adoriri statuerat. Sed Pompejus, re cognita, prius occupandum existimans, quam se ex suo commodo paravisset; ut cito agmine difficillimos gentis aditus praeriperet, urbem Acropolin, (sic vocabant) ignaro adhuc expeditionis hujus Artoce, circumsedit, claustrum gentis, ad Caucasi fauces obstruendas conditum. Haec fama regem ita exterruit, ut, Cyro amne superato, pontem exureret: eoque facilius potiti urbe Romani, praesidio imposito, transitus in potestate habuerunt; atque inde progressi, totam cis fluvium regionem subegerunt.

Semelque et iterum victos. XXIX. Jam et Cyrum transcendere Pompejus parabat, quum legati ab Artoce adfuerunt, pacem orantes; pontemque ad transeundum et alia necessaria pollicebantur. His cum fide praestitis, Artoces, simul Pompejum transisse comperit, denuo timens, ad Pelorum amnem (is quoque per Iberos volvitur) se recepit. Pompejus, inconsultam hominis pravitatem admiratus, qui, quos arcere transitu potuerat, et tamquam amicos recepisset, et tamquam hostes vitaret, citatis itineribus cis flumen eum deprehendit: celeriterque invectus, quum arcubus utendi, quo genere pugnae plurimum Iberi valebant, spatium abstulisset, acie victum Artocen trans Pelorum fugere coëgit. Magna tamen multitudo pugnando, aut dum flumen vado transmeare tentant, interiit. alii, pro more gentium istarum densis nemoribus occultati, quum ab arboribus praealtis jacularentur, excisis illis adflicti elisique sunt. Ad novem millia hominum interfecta, supra decem capta esse, traditum.

Pacem petere cogit. XXX. Ea clades subegit Artocen, ut denuo legatos cum muneribus mitteret, serio jam pacis cupidus. Neque Pompejus ab ea abhorrebat, ad alia festinans; sed fidem barbari, semel iterumque deceptus, idoneis pignoribus cupiebat obligare. Donis igitur ac-

Cap. XXVII. Dio, l. 36. Plut. Pomp. c. 57. Cap. XXVIII. Dio, l. 37. Cap. XXIX. Appian. Mithrid. Dio. Plut. Cap. XXX. Dio.

ceptis, ne spem foederum abrumperet, conventurum negavit, ni liberos Artoces obsidum loco mitteret. Ille rem anxia deliberatione traxit, donec Pelorum quoque, vado per aestatem reperto, Romani transierunt. tum demum, abjecta cunctatione, tradidit, qui postulabantur, obsides, pacemque impetravit. U. c. 687. A. C. 65.

XXXI. Pompejus, Phasin haud procul abesse, cognito, in Bosporum, ubi Mithridates agebat, transiturus, per Colchos finitimosque populos, partim voluntate eorum, partim vi pulsis, qui obstiterant, Colchis, invenit viam. Ceterum animo reputans, reliquum iter neque terra per multas bellicosasque nationes facile, mari etiam ob importuosa litora et feritatem accolentium periculosius fore; Servilio, qui classi praeerat, negotium dedit *Mithridatem observandi, neque juvendi aut enavigare ipsum, aut quidquam ad eum portari.* *In Bosporum transire cogitat.*

XXXII. Motis deinde castris, ut Albanos, qui interim defecerant, coërceret, non proximo itinere Cyrum petiit, quod barbari, palis in flumine defixis, impediverant; sed in Armeniam regressus, ubi minore adhuc aquarum copia vadari per aestatem poterat, aditum moliebatur. Cyrus enim, (quem nonnulli *Cyrnum* vocant, corrupte forsitan, quum et in propinquo fuerit Cambyses amnis) Coraxicis montibus ortus, ab Iberis et Albanis Armeniam dividit: acceptoque (ut plures existimant) Araxe, duodecim ostiis in mare Caspium decurrit. *Sed regreditur in Albanos.*

XXXIII. Difficilis tamen sic quoque transitus fuit, quamquam repertum et vadum, et ab hoste otium erat, ob vim et rapiditatem fluminis. Idcirco Pompejus ita ordinavit agmen, ut equites supra, inferius jumenta sarcinaria, in imo milites transmitterent. Sic exceptus fractusque ab equitibus cursus aquarum molliorem pediti transitum dabat; et, si quod jumentum vi fluctuum corriperetur, excipi statim ac sublevari a peditatu poterat. *Cyrum vado transit.*

XXXIV. Hinc ad Cambysen amnem perventum, quieto ab hostibus itinere, sed ob aestum sitimque infesto, quamquam ad haec incommoda vitanda noctu plerumque proficiscebantur. duces enim, quum ex captivis essent, de industria per difficilia loca circum- *Mox Cambysen, frigidissimum flumen.*

Cap. XXX. Flor. 3, 5. Dio. Cap. XXXI. Strabo, l. 11. p. 495. Plut. et Dio. Cap. XXXII. Plin. 6, 9. et 13. Plut. Appian. Cap. XXXIII. Dio.

U. c. 687. A. C. 65. ducebant agmen. Ipsum quoque flumen, quod frigidissimas aquas veheret, damno majori, quam solatio, sitientibus fuit: et multi, quum affatim se ingurgitassent, in morbos inciderunt. Inde, quum adhuc hostile nihil appareret, per Cambysenam ad Abanta fluvium processum, nihil praeter aquam deferente secum exercita, quae decem utrium millibus portabatur: nam arida illa et aquarum inops regio est. cetera benigne praebebantur ab incolis, eoque vicissim omnis ab iis injuria abstinebatur.

Albanos iterum vincit. XXXV. Hoc flumen transgressis Oroeses cum ingenti exercitu adesse nunciatur. Sexaginta millia peditum, duodecim equitum fuisse referuntur, Albani Iberique: male plerumque armati, nec nisi ferarum tecti tergoribus. Igitur Pompejus, longa magis itinera et difficilem persequutionem, quam aciem hostium, timens, ut ad pugnam eos eliceret, equites in aequum locum praemittit: post illos juxta callem in angustiis locatum militem galeas, ne illarum fulgore proderentur, scuto tegere, et in genua se demittere jubet.

XXXVI. Oroeses, solis equitibus conspectis, quo genere armorum praevalebat, contemptim invectus, post levem pugnam (sic enim praeceptum fuerat) refugientes strenue persequitur. at illi, quum ad peditatum suum pervenissent, in latera discurrentes, spatium legionibus aperuerunt. ab iis inopinato proelio excepti hostes, ab equitibus utrimque circumventi magnam suorum multitudinem amiserunt. Reliqui quum in silvas se recepissent, Pompejus, exercitu circumdato, ignes admoveri jussit. pars pleraque incendio; qui erumpere tentaverant, excepti ab armatis perierunt. et gaudebat caedibus miles, ob tentatas nuper insidias infestus, quarum memoria continenter inclamabant ferientes, *hem Saturnalia!* nam sub eos dies opprimere Romanos Albani cogitaverant. Sed eo in proelio non tantum imperatoris, verum etiam militis, Pompejus explevit munia, fratre regis prostrato, (*Cosin* vocabant) qui, jaculo Pompejum petens, quum loricae commissuram percussisset, hasta Romani transfixus cecidit.

Regis fratrem sua manu prosternit.

Cap. XXXIV. Plut. Strabo, l. 11. p. 501. Dio. Cap. XXXV. Appian. Plut. Strabo, l. 11. p. 502. Plut. Dio. Frontin. 2, 3. Cap. XXXVI. Dio. Frontin. et Dio. Appian. Dio. Plut. et Zonaras.

XXXVII. Dum spolia leguntur, peltas cothurnosque repertos esse ferunt, qualibus Amazones usae creduntur, corpus tamen muliebre nullum repertum: alii fabulam augent, inter obsides captivosque multos generis ejus fuisse, honestis inter pugnandum acceptis vulneribus. adeo familiare hominibus est, per vaniloquentiam a veris ad mira et incredibilia desciscere. U. c. 687. A. C. 65. *Fabula de Amazonibus.*

XXXVIII. Ceterum Oroeses, hac clade, et, quae illam excepit, vastatione regni domitus, missa legatione pacem petiit: deditque Pompejus jusso a montibus (nam sub ipso Caucaso castra posuerat) in plana descendere. Atque ille non paruit modo, sed ultro etiam cum epistolis munera misit, lectulum, mensam, solium, omnia aurea. quae pro more suo Pompejus quaestori referenda in tabulas dedit: regemque aliis quibusdam donis est remuneratus. Miserunt et reliqui plerique Caucasum inde ad Caspium usque mare accolentes populi de pace legatos: quam haud gravate concessit, quia jam expeditionem hanc finire, et ad componendas, quas recens confecerat, provincias, itemque Parthorum consilia speculanda, praeverti statuerat. *Albanorum rex et alii ad Caucasum pacem impetrant.*

XXXIX. Post pugnam enim cupiditas invaserat animum ejus ad mare Caspium penetrandi, quo termino Romanum imperium ab oriente finiret; sicut ad meridiem oceano, ad occidentem Atlantico, rebus in Africa et Hispania gerendis, terminaverat. Nec amplius tridui itinere aberat. sed, multitudine et exitiali veneno anguium deterritus, in Armeniam regressus est: ne Mithridatem quidem ultra persequens, *cui se acriorem hostem relinquere, famem*, dictitabat. Edixerat enim, *ne quis negotiator commeatum ad ea loca deportaret: qui fecisset, eum se pro hoste habiturum.* et, ne contemni posset, classis disposita erat, exceptura, qui contra ejus edictum navigassent.

XL. Dum his curis Pompejus distringitur, Mithridates a Colchis, ubi hibernaverat, per Scythicas gentes, quarum multitudinem atque pugnacitatem vix florentibus rebus esset aggredi ausus, Bosporum petebat. Et Heniochi quidem transitum haud inviti dederunt: per Achaeos vi et manu parandus fuit; qui, su- *Mithridates per Scyticas gentes in Bosporum tendit.*

Cap. XXXVII. Appian. Cap. XXXVIII. Dio. Flor. Oros. 6, 4. Zonar. Plut. Vell. 2, 37. Flor. Dio. Plut. Cap. XL. Appian. Liv. Epit. Strabo, l. 11. p. 496.

U. c. 687. A. C. 65. per insitam feritatem, paucos ante annos bello appetiti iras retinebant. Graecorum id genus esse traditum est, ab Achaeis, qui Phthiotae vocati sunt, oriundum. Inde vel ab Jasonis exercitu, vel a bello Trojano reliquiae, quum navibus ad redeundum destituerentur, quae tempestate ad ea litora ejectae perierant; inter feras gentes humanitatem omnem exuerunt, ad latrocinia, etiamsi propositum abfuisset, locorum egestate coacti. quippe, cunctis circum hostilibus, in verticibus asperorum et nivosorum montium sedes figere necessum habuerant.

XLI. At Mithridates, transducto per fines horum exercitu, quum Maeoticas gentes attigisset; a regulis passim, ob famam virtutis et potentiae, et vires tum quoque non contemnendas, hospitaliter exceptus deductusque, acceptis datisque muneribus, societatem belli cum iis pepigit, multa et ingentia animo volutans: et, quo firmior esset amicitia, filias (habebat enim multas ex diversis mulieribus) potentissimis eorum despondit.

Filius Mithridatis, Bospori rex, legatos ad patrem misit.

XLII. Haec quum filius Mithridatis Machares, qui tum in Bosporo regnabat, cognovisset, tam brevi tempore tot indomitas gentes, et celebrata sermonibus Scythiae claustra perrupta, suoque jam regno proximum patrem esse; misit ad eum legatos, *necessitatem* excusans, *quae omnia alia cupientem Romanas sequi partes adegisset*: ipse patris conspectum, implacabilem ejus iram sciens, vitabat. Quoque tutior ab illius odio foret, plerisque concrematis, ut sequendi facultatem adimeret, cum ceteris navibus in Chersonesum concessit. At Mithridates, aliis repertis, misit certos, qui, promissa impunitate praemiisque, Macharis amicos ad tollendum herum incitarent. Quibus ille rebus cognitis, desperataque salute, sibi ipse conscivit necem. Mithridates amicorum ejus, quos ipse addiderat filio, tamquam proditores, adfecit suppliciis: quos postea Machares sibi paraverat, iis pepercit, nihil contra se deliquisse dicens, cui nullo obstricti beneficio fuissent.

Mox, desperata salute, semet ipsum interficit.

Cap. XL. Appian. Strabo. Appian. Sall. Incert. 19. Marcellin. 22, 15. Cap. XLI. Appian. Cap. XLII. Dio, l. 36. Appian. Dio. Appian.

EPITOME

LIBRI CENTESIMI SECUNDI.

Cn. Pompejus in provinciae formam Pontum redegit. Pharnaces, filius Mithridatis, bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regia, quum veneno sumto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo, nomine Bitoeto, a quo, ut adjuvaret se,

Parum profecisset ad mortem] Duae ultimae voces desunt in Leid. *parum profecisset morte* legit Voss. Sed nihil mutandum. Liv. 30, 34, 2. *Philippus aliquid et ad caritatem suorum, et ut promtius pro eo periculum adirent, ratus profecturum se.* Cic. 7. ad Att. 13. *Ad summam profectum aliquid puto.* 3. de Finib. 4. *Multumque ad ea, quae quaerimus, explicatio tua ista profecerit.* Curtius 9, 10. *Tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus.* Florus 4, 9. *Nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Caesar.* Similiter Celsum et Scribonium Largum locutos esse, docet Rhodius in Indice Scriboniano voce *Proficit. in aliquid proficere* Livius alibi saepe dixit. V. ad 3, 61, 12. Paullo ante *Ab eo pater obsessus in regia* Voss.

A milite Gallo, nomine Bithoco] *Bitoeto* repono ex Appiano in Mithrid. [pag. 248.] *Βιτοιτον ὄν τινα ἰδὼν ἡμεμόνα Κελτῶν πολλὰ μὲν ἐκ τῆς σῆς, ἔφη, δεξιᾶς ἐς πολεμίους ὠνάμην, ὠνήσομαι δὲ μέγιστον ἐι νῦν με καταργάσαιο.* Qui scripsit de Viris Illustribus [cap. 76.] *Sithocum* nominat. SIGON. *Bitocho* ed. Camp. *Bitoco* Lov. 2. et Exc. Pithoei. *Bithocco* Norv. et edd. principes. *Bithoco* iis proximae cum Leid. Berg. et Boend. *Biroco* Voss. *Bitoeto* emendanti Sigonio consentiunt Fabric. ad Oros. 6, 5. et Schottus ad Aur. Victor. de Vir. Illustr. cap. 76. Gallum hunc forte *Bituitum* vocatum esse, conjicit Gruterus ad d. loc. Aurelii Vict. Sane *Βιτοιτος* Appiani et *Βιτουΐτος* una tantum litera differunt: Appiani etiam interpres vocem Graecam reddit *Bituitus. Bituitum* Arvernorum regem memorat auctor supra Epit. 61. de cujus tamen loci vera lectione non convenit.

A quo, ut juvaretur, petierat] Vet. lib. *a quo, ut adjuvaret se, petierat.* SIG. Illud *juvaretur* demum obvium fuit in ed. Froben. Priores habent *adjuvaretur*, consentiente Norv. *ut juvaret se* Lov. 2. *ut adjuvaret se* Leid. Berg. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Campani; eoque ducunt

petierat, interfectus est. Cn. Pompejus Judaeos subegit: fanum eorum in Hierosolyma, inviolatum ad id tempus, cepit. L. Catilina, bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo praetore, et Cethego, et pluribus aliis, conjuravit de caede con-

vestigia Voss. qui errore librarii praefert *ut adjuraret se.*

Fanum eorum Hierosolymae, inviolatum ante id tempus, cepit] Barber. et alter Gud. *Fanum eorum in Hierosolyma.* Sic apud Livium [42, 26.] legati Romani Ptolemaeum dicuntur *in Alexandria convenisse.* Caesar [2. B. Civ. 18.] *naves in Hispali faciendas.* Voss. *eorum Hierosolymam.* Gud. major: *eorum iheresolymam.* J. FR. GRONOV. *fanum eorum Hierosolymam* Lovel. 2. et Norv. *fanum eorum Hierosolyma* Berg. Exc. Pithoei, et, teste Hearnio, ed. prima Rom. *fanum eorum in Hierosolyma* Leid. Boend. et edd. priori proximae usque ad Frobenianam anni 1535. in qua praepositio, sed forte culpa operarum, omissa est. *Hierosolymae* demum exhibuit Francof. editio anni 1578. Recepi igitur *in Hierosolyma.* V. ad 42, 26, 7. Deinde *inviolatum ad id tempus* Leid. quod et ipsum non temere spernendum est, pro usque ad id tempus. Liv. 4, 43, 4. *Ad id tempus patricii creati erant.* 42, 21, 1. *Consules ad id tempus in provincias non exierant.* Eo sensu *pugnare ad deditionem* 7, 19, 1. *ad undecimum interregem seditionibus certatum est* 7, 21, 2. *disciplina militari stetit ad hanc diem Romana res* 8, 7, 16. *ab hora diei tertia ad octavam ita anceps dicitur certamen stetisse* 8, 38, 10. ubi alia vide, et apud Cortium ad Sall. Jug. 114. Similiter *ad id locorum*, pro usque ad id tempus, inlustrant Gronov. ad Livii 27, 7, 17. et Cort. ad Sall. Jugurth. 63.

Bis repulsam in petitione consulatus passus] Saepius petere voluit, sed bis tantum petiit. Vide Manut. ad Cic. 1. ad Att. 1. DUK. *repulsas* Voss. Deinde *passus est* Boend.

Cethego, et pluribus] Vet. lib. *et pluribus aliis.* SIGON. Similiter Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Campani. *et cum pluribus aliis* Exc. Pithoei.

Incendiis urbis, obprimenda republica] Vet. lib. *et opprimenda.* SIGON. Copulativam addunt etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp.

Exercitu quoque in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis conjuratis] *opprimenda republica exercituque in Etruria. comparata conjuratione industria M. Tullii Ciceronis de conjuratis*, reliquis omissis, Voss. Sed librarii errore. *exercituque* etiam Berg. V. ad 5, 27, 1. Tum *erupta est* Leid. et Berg. eodem errore, quo passim confunduntur *dirutus* et *diruptus.* Vide ad Livii 9, 45, 17. *exstincta est* Boend. et ed. Camp. Orosius 6, 6. *Conjuratio Catilinae adversus patriam per eosdem dies in urbe habita ac prodita, in Etruria vero civili bello exstincta est.* Id tamen hic ex glossa natum puto. *Eruere conjurationem*, ut *eruere vitia*

sulum et senatus, incendiis urbis, et obprimenda republica; exercitu quoque in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis conjuratis supplicium sumtum est.

apud Senec. 1. de Clem. 22. *Constituit bonos mores civitati princeps, et vitia eruit, si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam invitus.* Ita Gronov. legendum monuit. Mox *supplicium sumtum*, omisso verbo *est*, Boend. et ed. Camp. *omnino sumtum supplicium est* reliquae edd. ante Sigonium, qui *omnino* abjecit. V. ad Epit. 58. Gruterus deinde dedit *supplicium sumtum*; quod probant omnes eodd. mei.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXVII.

IN LOCUM LIBRI CII. T. LIVII.

U. c. 687. A. C. 65. *Parthorum legatio ad Pompejum.*

I. Interea Pompejus, in minorem Armeniam reversus, obvios Elymaeorum Medorumque legatos habuit, amicitiam petentium: quibus ille respondit comiter, literasque plenas humanitatis ad reges dedit. Phraates etiam, Pompeji gesta fortunamque veritus, (cujus et legati per absentiam imperatoris, quidquid in Armenia Pontoque fuerat reliquum, subegerant, et Gabinius, Euphrate transito, jam ad Tigrin pervenerat) de renovanda societate et amicitia legationem misit. Nihil impetratum: quia fidens sibi Pompejus superbe legatis responderat, etiam Gordyene repetita, de qua cum Tigrane Phraates dimicabat. Illis nihil ad hoc regerentibus, nec enim mandatum acceperant, literas dedit ad Phraatem; nec exspectato responso, cum exercitu Afranium misit.

Afranius Parthos Gordyene expellit.

II. Hic nullo negotio repulit Parthos, et jussu Pompeji Gordyenen Armenio restituit. Quum deinde fugientes per Mesopotamiam ad Arbelitin usque praefecturam insequeretur; ignorantia locorum aberravit a via, multaque per inopiam et hiberna frigora passus, haud procul abfuit exitio, nisi Carrheni, colonia Macedonum, excepissent eum atque deduxissent. Phraates, *contra pacta Romanos in suae deditionis loca irrupisse* caussatus, gravem instituit per legatos querimoniam; illud etiam inter offensas numerans, *quod se*, Regem Regum *appellari solitum*, *Pompejus in epistolis tantummodo* Regem *nominaret*.

Stratonica, Mithridatis uxor.

III. Eadem hieme firmissimum castellum, (*Symphoriu tichos* vocabant) in quo thesauri Mithridatis erant,

Cap. I. Plut. Pomp. c. 59. Dio, l. 37. Plut. Dio. Cap. II. Plut. Dio. Cap. III. Plut.

Romani, tradente Stratonica, receperunt. Ea in matrimonium regis ex humili fortuna venerat, quum psallens in convivio placuisset. Castoris enim senis et pauperculi erat filia: sed, repente in cubile regia recepta, patrem quoque divitiis cumulavit. U. c. 687. A. C. 65.

IV. Nondum satis certa luce, ministri regii vestes pretiosas, vasa aurea et argentea, cum alia supellectile plurima, domum ejus attulerunt. Quibus conspectis, senex, et sua esse audiens, ludibrio se ratus haberi, proripere se per ostium voluit: donec retinentibus, docentibusque *divitis cujusdam haereditatem beneficio regis donari, atque haec initia tantum esse honoris et opum, quas mox esset habiturus*, vix tandem credidit; tanto perfusus gaudio, ut propemodum de potestate exiret. *Patre pauperculo nata.* *Quem Mithridates dictando infatuavit.*

V. Sane purpuram indutus, prosequente copiosa familia, per urbem obequitabat, clamitans, *Haec omnia mea sunt:* et, ridentibus obviis, *id mirum esse*, negabat; *sed quod occurrentes sibi prae nimia voluptate lapidibus non incesseret.* Hoc sunt et possunt divitiae, hisque interdum modis illuduntur et illudunt.

VI. Illa ergo Stratonice, relictam se et quasi neglectam a rege dolens, salutem Xipharis pacta, quem Mithridati pepererat, si forte venisset in potestatem Romanorum, castellum thesaurosque Pompejo tradidit, multis a se adjectis muneribus. Validum in arce praesidium Mithridates reliquerat. sed mulier composito dolo maximam ejus partem per caussam advehendi commeatus emisit: deinde Romanis haud procul inde latitantibus aperuit portas. Pompejus, ablata pecunia, quae subterraneo in specu vasis aeneis ferro vinctis ignota vulgo servabatur, et ex muneribus, quod ornatui templorum aut triumphi accommodatum videbatur; cetera habere Stratonicen jussit. Sed nec illam, nec quamvis aliam regiarum mulierum, quum captae deditaeque plurimae essent, attigit; verum remisit eas ad parentes propinquosve. Regulorum enim et ducum pleraeque filiae aut uxores erant. *Stratonice castellum munitum Pompejo tradit.*

VII. Exinde profectus Amisum in hiberna, justa quadam ultione in eamdem reprehensionem incidit, qua criminatus Lucullum fuerat, ut, manente bello, (nam in Bospóro Mithridates haud exiguo instructus *Pompejus Amisi conventum celeberrimum agit.*

Cap. III. Appian. Mithrid. Plut. Cap. VI. Dio. Appian. Plut. Dio. Appian. Plut.

U. c. 687. A. C. 65. exercitu regnabat) res ordinaret, honoresque et praemia distribueret. Maximo ibi concursu principum Asiae et orientis, reges quoque barbari duodecim adfuerunt. In hoc tam celebri conventu Armeniam, Colchos, Cappadociam, et Syriam composuit: Pontum in provinciae formam redegit: Armeniam minorem Dejotaro Galatae, cujus maximis auxiliis erat usus, quemque ex animo amicum, vereque benevolum populo Romano judicabat, dono dedit. Paphlagoniam Attalo et Pylaemeni reddidit, unde Mithridates eos expulerat: Colchis Aristarchum regem dedit. Comanis Ponticis sacerdotem praefecit Archelaum, Archelaï, quem Sulla vicerat, filium; quod sacerdotium regias pene opes ac dignitatem habebat. Bellona hic et Cappadociae Comanis colebatur: paribus utrobique legibus, et antistitum opulentia. Pompejus Archelao, praeter agrum antiquitus sacrum, duos adjecit in orbem schoenos, id est passuum septem millia quingentos.

Praemia sociis distribuit.

VIII. His confectis, per Cappadociam in Syriam movit, quum, domitis per Afranium Arabibus Amani accolis, viam sibi patefecisset. In itinere quum praeter Zielam duceret, ubi reliquiae Triarianae cladis insepultae jacebant, tumulum iis struxit, et persolvit extrema magnifice. quod neglectum a Lucullo, sauciis antea militum animis, haud mediocris ad pristina odia cumulus accesserat.

C. Caesaris magnifica aedilitas.

IX. Dum eum ad modum Pompejus incrementa gloriae potentiaeque bello quaerit, C. Caesar civilibus artibus ad opes vastissimo animo concupiscendas struens aditum, splendida aedilitate fungebatur. Nam Romanis Megalensibusque ludis, praeter Comitium ac forum basilicasque, etiam Capitolium temporariis porticibus ornaverat, in quibus, abundante rerum copia, pars apparatus spectanda proponeretur.

Bibuli de ea dictum.

X. Venationes autem ludosque et cum collega M. Bibulo, et separatim edidit: quo factum, ut communium quoque nomen et gratia penes eum solum esset: ut, *evenisse sibi*, Bibulus, *quod Polluci*, diceret: *ut enim Geminis in foro aedes posita, tantum Castoris diceretur, ita suam Caesarisque munificentiam, unius Caesaris dici.*

Cap. VII. Oros. 6, 4. Liv. Epit. Eutrop. l. 6. Cic. Phil. 11, 13. Appian. et Eutrop. Strabo, l. 12. p. 557. et 558. et Appian. Hirt. de B. Alex. c. 66. Strabo. Cap. VIII. Plut. Supra, 98, 91. Plut. Cap. IX. Plut. Caes. Dio. Sueton. Caes. c. 10. Cap. X. Dio. et Sueton.

XI. Adjecit insuper et gladiatorium munus Caesar, patris memoriam celebrans; paribus trecentis et viginti datis, quum aliquanto plura destinasset. Sub idem enim tempus senatusconsulto de numero gladiatorum cautum est, quo ne majorem cuiquam habere Romae liceret: quia Caesar, multis lanistarum comparatis familiis, inimicos, quasi ad vim his usurus, exterruerat. Gladiatorio muneri et epulum adjecit. Ob has largitiones, et quia dudum curator Appiae viae creatus, multum de suo impenderat, maximum sibi favorem populi conciliavit. U. c. 687. A. C. 65. *Caesaris munus gladiatorium.*

XII. Sed et illud laetum vulgo fuit, quod monumentum C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris, quod Sulla disjecerat, a Caesare est restitutum. Is statuas Marii et tropaea clam fabricata noctu in Capitolio posuit. Postridie, quum auri splendor et artificis industria oculos hominum adverteret, momento per urbem diditus rumor ingentem ad id spectaculum concursum excitavit. *Idem Marii tropaeum restituit.*

XIII. Ad audaciam juvenis, (neque enim quemquam fallebat ejus rei auctor) inter diversos laudantium reprehendentiumque motus, universi stupebant. At inimici magnis clamoribus id videlicet ambitione munerum quaesitum esse testabantur, ut hoc palpo mansuefactus populus, instar ferocis equi, frenum sibi injici pateretur. Nam ista profecto tentantis patientiam hominum, et viam ad regnum molientis esse. Contra Marianarum partium homines, ingens multitudo plausu complebat Capitolium, profusisque ad conspectum statuarum prae gaudio lacrimis, Caesarem faustis vocibus ominibusque prosequebantur, unum omnium adfinitate C. Marii dignum praedicantes. *Haec Caesaris acta varie accepta.* *Laudant Mariani.*

XIV. Coacto hanc ob rem senatu, Q. Catulus, accusans Caesarem, inter alia multa nobilem illam vocem misit; *Nec enim jam cuniculis Caesar, sed machinis, petit rempublicam.* Quum autem Caesar ita respondisset, ut senatui probaret caussam; faventium adeo sunt erecti animi, ut nemini se submittere juberent, ad omnia magna natum, et populi studiis consequuturum quidlibet. *Defendit Caesar in senatu.*

Cap. XI. Plut. Caes. Sueton. Plut. Cap. XII. Sueton. Plut. Propert. 3, 11. v. 46. Plut.

U. c. 687. A. C. 65.

C. Cornelius majestatis reus a Cicerone defensus.

XV. Eodem anno C. Cornelius majestatis reus apud Q. Gallium praetorem a Cicerone longissima oratione defensus est: quamquam Q. Hortensius, Q. Metellus Pius, M. Lucullus, M. Lepidus testimonium in eum infense dixerant, negantes eo salvo stare rempublicam posse: praeterea Q. Catulus, cujus eo anno censura, collega M. Licinio Crasso, parum concors aut utilis reipublicae fuit.

Catuli et Crassi censura discors et inutilis.

XVI. Nulla enim re gesta, (quippe neque senatus aut eques ab his recensitus, neque populi census actus est) magistratu se abdicarunt. Caussa dissidii penes Crassum fuisse creditur, nota Catuli lenitate et modestia. Quidam de civitate Transpadanis danda discordes habuisse sententias ferunt: quos Caesar, et hujus plerumque consiliis innexus Crassus fovebant. Apud alios restitisse Catulum collegae reperio, vectigalem facere Aegyptum molienti.

Catonis in Catulum asperitas.

XVII. Cum hoc tanto et tam egregio viro per eadem tempora Catoni nata est dissensio. Is enim deprecanti mulctam clientis Catulo mira severitate inexorabilem se praebuit: eousque, ut molestius instanti diceret, *Turpe est, Q. Catule, te, quum sis censor, a meis ministris hinc abripi discedere nolentem.* Catulus ad haec, labra movens, nec reperto, quid responderet, prohibente pudore vocem, quam ira impellebat, tacitus se proripuit. Tam multiplices inter discordias potentium C. Papius tribunus plebis, haud vano metu multitudinem ignotorum hominum suspectam habens, peregrinos, exceptis, qui sedes haberent in Italia, et uno nominatim Glaucippo, urbe submovit, lege in id lata.

U. c. 688. A. C. 64. L. Julio, C. Marcio coss.

C. Caesar quaestionem de sicariis exercet in Sullanos.

XVIII. Jam L. Julius Caesar, C. Marcius Figulus consules erant; quum C. Caesar, ut se experiretur, et inimicis aegre faceret, eorumque diminueret auctoritatem, in exercenda de sicariis quaestione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione Sullana ob relata civium Romanorum capita praemium acceperant, quamquam excepti Corneliis legibus erant. Eo-

Cap. XV. Ascon. in Corn. Lactant. 6, 2. Ascon. Val. Max. 8, 5. Ascon. Plut. Crasso. Cap. XVI. Dio. Sueton. Caes. c. 9. et Ascon. in Tog. Candid. Plut. Cap. XVII. Plut. Cat. Min. et de vitioso Pudore, c. 18. et Praecept. Polit. c. 30. Dio. Cic. de Off. 3, 11. Cic in Rull. 1, 4. Cap. XVIII. Dio. Sueton. Plut. Cat. Min.

Eorum hominum causam Cato tum quaestor praejudicio premebat, quod ab iis acceptam ob caedes pecuniam, turpitudinem facti simul vehementer exprobrans, exegerat. Sic deinde trahebantur ad judices, et, velut a Catone praedamnati, tristes sententias auferebant. Damnati sunt L. Luscius, notus centurio Sullanus, et tam dives ex victoria factus, ut amplius centies rem haberet; itemque L. Bellienus, avunculus Catilinae, qui Sullae jussu Lucretium in foro confoderat: mirantibus, quibus improvisa res acciderat, ut, quos formidabiles prius omnibus vidissent, eosdem reos, humiles, sordidos, postremo sanctionibus poenisque obnoxios cernerent. U. c. 688. A. C. 64.

XIX. Post paucos deinde menses a dissimili caussa par admiratio fuit: quod, his damnatis, quorum alter inficiatus erat factum, alter imperio dictatoris paruerat; Catilina est absolutus, quem post repulsam in petitione consulatus L. Lucullus, qui postea quoque eumdem honorem petiit, lege de sicariis postulaverat. *Absolvitur tamen Catilina.*

XX. Inter haec Mithridates, Cerealia in Bosporo celebrans, repentino terrae motu est turbatus, quo violentioris non exstabat memoria: clades inde plurima fuit, oppidorum quoque haud pauca graviter sunt adflicta. Sed ille, Panticapaeo recepto, quod ad ostium Ponti Europaeae partis emporium est, quum trans fretum agere Stratonicen comperisset, communem filium, cujus illa salutem pacta a Pompejo fuerat, in conspectu mulieris interfecit, abjicique insepultum jussit: bonum patrem exuens, ut malum maritum ageret. Legatos deinde ad Pompejum misit, paternum sibi regnum concedi postulans, vectigali stipendiarioque populi Romani futuro. Pompejus, adhuc vivere Mithridatem miratus, ad se venire jussit, Tigranis exemplo. Quod ubi est relatum; *Facerem*, inquit, *nisi essem Mithridates. aliquot tamen filios et amicorum principes mittam.* *Mithridates suum e Stratonice filium coram ea necat.*

XXI. Nec ideo segnius delectum habebat, ingenuos servosque promiscue sacramento adigens. Arma item telaque et machinas intente parabat: neque arboribus fructiferis parcens, neque bobus aratorum, qui ob nervos, quorum copia opus ad machinas erat, *Mithridatis apparatus novi.*

Cap. XVIII. Cic. in Tog. Candid. et ibi Ascon. et Dio. Cap. XX. Oros. 6, 5. Dio. Appian. Dio. Oros. Appian.

U. c. 688. A. C. 64. frequentes occidebantur. Ob haec, et quia tenuissimis etiam tributum erat impositum, invisum esse vulgo Mithridatis imperium coepit. et ministrorum culpa crescebant offensae, quod, latente propter morbum rege, per superbiam et avaritiam in populares multa delinquebant. Mithridates enim, ulcerosam abscondens faciem, a nemine patiebatur adspici, extra spadones, qui et medicabantur. Quum percuratus esset, jam sexaginta cohortes sexcenariae sub signis erant, lecta juventus, praeter inconditam multitudinem: naves etiam, et loca opportuna interim a ducibus praeoccupata praesto erant.

Defectio Phanagorensium.

XXII. Hoc animosior ad cetera, partem copiarum Phanagoream trajecit, ex adverso Panticapaei situm emporium, duobus his claustris os Ponti in potestate habiturus. Sed non diu perstiterunt in fide Phanagorenses, Castore quodam rebellionis auctore; qui, tortus aliquando a Tryphone, regio eunucho, ingressum Phanagoream hominem occidit, populumque ad vindicandam armis libertatem excitavit.

XXIII. Regiam liberi Mithridatis obtinebant. eos Castor, congesta circum arcem incensaque materia, compulit ad deditionem. In his Artaphernes ferme quadragenarius erat: Xerxes, Oxathres, et Eupatra in aetatis flore. Sed altera filiarum Mithridatis Cleopatra, quum perire mallet, quam se dedere, tam generoso proposito fortius stimulavit patrem, ut quidlibet pro ejus salute conaretur. Itaque submissis ab eo plurimis dicrotis erepta, et Panticapaeum revecta est. Ceteros Phanagorenses ad praesidia Romana transmiserunt.

Et aliorum populorum.

XXIV. Subinde Castoris successu et aliae civitates animatae a rege defecerunt: Chersonesus, Theodosia, Nymphaeum, cum aliis circa Pontum opportunis bello gerendo oppidis. Idcirco Mithridates, crebris defectionibus territus, quum exercitui, qui magnam partem ex invitis constabat, parum fideret; filias, Scythicis regulis desponsas, quingentorum militum addito praesidio, misit, ut eos quam maturrime cum auxiliaribus copiis ad se pertraheret. Sed milites, occisis in itinere spadonibus, quod genus apud regem

Cap. XXII. Oros. Appian. Cap. XXIII. Dio. Oros. Cap. XXIV. Appian.

praevalidum et potentia saepe abusum infestissime oderant; puellas seque Pompejo tradiderunt. U. c. 688. A. C. 64.

XXV. Inter has calamitates adeo non deficiebant Mithridatis spiritus, ut potius augerentur. quum enim esset septuagenario major, fractum laboribus corpus animi vigore sublevando, consilia vasta, inaudita, incredibilia agitabat. Namque per Colchos et Maeoticas gentes ad Istrum penetrare statuerat: inde sive per Gallicas gentes, quarum amicitiam diu ante paraverat, tritamque Cimbris viam, tractis secum, qua transiret, auxiliis, superare Alpes; sive, Thracia, Macedoniaque, et Graecia raptim transitis, in Italiam irrumpere. Quod si efficere potuisset, non dubitabat, quin in ipsa Italia contra Romanos arma et viros esset inventurus; quod et Hannibali successerat; et nuper Spartacus, homo nullius dignitatis, non caruerat adversus Romanos fautoribus. maxime autem socialis belli reliquias, et velut sub cinere latentes igniculos, sperabat adventu suo excitari posse, quum haberet apud se generis ejus plurimos, et paucos ante annos ultro inde legationes venissent in Italiam eum vocantium.

Mithridates animo fortunam sustentat.

Ejus vasta consilia.

XXVI. Sed exercitus a mentione tam longinquae et durae militiae abhorrebat: neque enim se pares futuros Romanis in Italia sperabant, quos domi sustinere nequivissent, et regem desperatione ad audendum propelli rebantur, ut exactam aetatem regia potius morte clauderet, quam brevem lucis usuram perpetua ignominia mercaretur. Durabant tamen adhuc, et imperium patiebantur, reverentia regis, cujus tanta erat apud omnes gloria, ut ne quidem inter adversa contemptui facilis videretur.

Sed exercitus animo regis non respondit.

XXVII. Jam in Syria Pompejus erat, quum haec omnia circa Bosporum gerebantur. Is enim, obiter superatis Antiocho Commagenae, Dario Mediae regibus, quinquagesima, quam ex Ponto profectus erat, die Ecbatana pervenerat. Duplicia fuerunt Ecbatana dispari nobilitate. nam altera Persarum, deinde Parthorum regum aestivis notissima sunt: Syriaca, praeter mediocritatem opum, nomen quoque mutatum obscuravit, postquam a monte, in quo situm erat oppidum, *Carmelum* appellare coeperunt.

Pompejus in Syriam descendit.

Cap. XXV. Dio. Oros. Dio. Appian. Flor. 3, 5. Plut. Pomp. Appian. Cap. XXVI. Dio. Appian. Cap. XXVII. Dio. Appian. Vellejus, 2, 40. Oros. 6, 4. Plin. 5, 19.

U. c. 688. A. C. 64.

XXVIII. Ad hanc igitur Syriae urbem venisse Pompejum, non ad Medicam, arbitror: quamquam aliter est ab Orosio traditum. Nec ideo, quia cum Medorum rege bellum habuit, ad Ecbatana pervenisse credendus est: nam illum auxilium Antiocho ferentem coëgit fugere: neque vero Parthus quievisset, accedente Romano ad regni sui caput, quemadmodum ab eodem Orosio nominatur. Praeterea notum est, Parthica bella declinasse Pompejum, Syriae partes omnes percurrisse, ut sub imperium cogeret. Quidquid enim sub Tigrane fuisset, illo debellato, populi Romani factum esse autumabat: hocque factitabat lubentius, ut acta Luculli convellerentur.

Parthica bella declinat.

Antiochum regno Syriae exuit.

XXIX. Nam Lucullus, victo Tigrane, reversum in Syriam, receptumque a suis, Antiochum Cyziceni filium, avito regno frui passus, *regem* appellaverat. Sed ademit praesenti videntique regnum Pompejus, quamquam numquam de populo Romano male meruisset, quum hostem ejus Tigranem regnare pateretur. Nec speciosa dictu deerant. *recusare Syros hominem, a quo tot per annos deserti, alienigenae regis jugum tulissent: neque vero aequum esse, quum sua tueri nequivisset, alieni laboris eum habere praemia. Paci quoque Syriae consulendum, ne rursus Judaeorum Arabumque latrociniis fiat opportuna.* Sic, velut justo rege vacans, in provinciae formam Syria redacta est, Seleucidarumque imperium finem accepit: praeter modicum Commagenae regnum, quod illi Antiocho non modo reliquit Pompejus, sed etiam auxit, adjecta Mesopotamiae parte, quam raptim subegerat, castelloque Seleucia, in quo adservatam aliquamdiu Cleopatram, cognomento *Selenen*, Syriae reginam, Tigranes nuper interfecerat.

Tigranis et Phraatis bellum.

XXX. Hoc modo constituenti Syriam Pompejo legati Phraatis Tigranisque regum adfuerunt. Recruduerat inter eos bellum: victusque primo proelio Parthus, sequenti Armenios pepulerat. Igitur Tigranes Pompejum e Syria arcessebat: Parthus accusabat Romanos varie, ut sentire Pompejus posset, si bellum coeptaret, cum potente et parato hoste certamen fore. Quapropter, inconstantiam Fortunae reputans, nulla

Cap. XXVIII. Appian. Dio. et Appian. Cap. XXIX. Appian. Syriac. Justin. 40, 2. Xiphilin. Appian. Mithrid. et Syriac. Justin. Plut. Vell. 2, 37. Appian. Mithrid. Strabo, l. 16. p. 749. Cap. XXX. Dio. et Appian. Dio.

Tigrani auxilia misit, neque contra Parthos quidquam fecit hostiliter, negans *injussu senatus populique Romani bellum suscipi fas esse*. Legatis autem respondit, *esse Phraasi non cum Romanis, sed Tigrane, de finibus controversiam: missurum igitur tres viros, qui dissidentes componerent.* U. c. 688. A. C. 64.

XXXI. Neque reges recusarunt, quin illos pro justis disceptatoribus admitterent: quamquam inter ipsos jam odio metuque Romanorum convenerat. Tigranes negatis suppetiis iratus, Phraates sibi metuens, si Tigranes perisset, ambo satis certum putantes, ad utrum cum excidio alterius victoria venisset; illum hostes Romanos, et minus ad repellendum virium habiturum, in gratiam haud difficulter redierunt. *Et pax.*

XXXII. Quum inter has res comitiorum dies adesset, magnam in urbe novorum consulum exspectationem multitudo competitorum, et suspecta quorumdam consilia moverunt. Septem in eum annum candidati petebant: patricii duo, P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina; totidem plebeji nobiles, C. Antonius, L. Cassius: praeterea Q. Cornificius, C. Licinius Sacerdos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum gesserant. Solus competitorum M. Tullius Cicero, equestri loco natus, nullas ostentare imagines poterat. Sed hic eloquentiae praesidio et integritate morum in id fastigium erat enisus, ut meliori spe, quam ceterorum quisquam, peteret. *Comitiorum consularium magna exspectatio.* *Cicero consulatum petit.*

XXXIII. Quapropter Antonius et Catilina, pessimi omnium, turpissimique, coitionem fecerunt, ut Ciceronem consulatu dejicerent, adjutoribus usi firmissimis M. Crasso, C. Caesare, qui civilem Ciceronis potentiam rationibus suis adversam fore judicabant. Horum opera et factionibus ita palam fervere ambitus coeperat, ut, paucis adhuc comitiorum diebus reliquis, senatus legem ambitus, aucta etiam tum poena, ferri juberet. Intercessit tribunus plebis Q. Mucius Orestinus.

XXXIV. Id quum graviter ferrent Patres, surgens Cicero loco sententiae orationem habuit in toga candida contra Catilinam et Antonium, ceteris competitoribus, qui modeste se gerebant, abstinens. Galba enim sine fuco et fallaciis prensabat more majorum: neque *Adversus competitores dicit.*

Cap. XXX. Plut. Appian. Cap. XXXI. Dio. Cap. XXXII. Ascon. in Tog. Candid. Cap. XXXIII. Plut. Cicer. Ascon. Cap. XXXIV. Cic. ad Att. 1, 1. Ascon.

U. c. 688. A. C. 64. Q. Cornificium reprehenderes. Cassius tum adhuc iners potius ac stolidus esse, quam improbus, videbatur. Orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod unum poterant, invecti in novitatem ejus. Id telum erat ingens apud accensos invidia nobiles, qui velut pollui consulatum rebantur, si ad hominem novum, quantumlibet egregium, pervenisset. Et Manilianis actionibus, tamquam ad popularem factionem deficiens, optimates offenderat. Sed cito mutati sunt, postquam industria vigilantiaque viri opus esse periclitanti reipublicae viderunt.

Catilinae conjuratio. XXXV. Quippe Catilina circiter Kalendas Junias cum multis nobilibus aliisque pessimis et audacissimis hominibus conjurationem fecerat, ut, consulibus trucidatis, senatuque deleto, incensa pluribus locis urbe, aerarium diriperent, rempublicam constituerent arbitratu suo. in hoc fidem mutuo obligaverant, homine mactato, ejusque gustato sanguine: tantus furor mentes incesserat. Plerosque sequuta luxuriam egestas ad ultimi furoris consilia praecipitabat: erant et, qui spe dominationis improbis coeptis occulte faverent.

In qua et mulieres. XXXVI. Mulieres quoque luxu ac libidine perditae, aut maritorum necem optantes, adsciverant, per quas servitia concitarent, aut viros illarum interficerent. Harum nec paucae erant, corruptis civitatis moribus, et primariorum virorum conjuges, ex quibus Semproniam, D. Bruti uxorem, Sallustius nominat. Sed in eadem caussa fuisse non immerito existimemus, quae paullo ante aut postea sunt a viris repudiatae, Clodia et Servilia Luculli, Mucia Pompeji, Catonis Atilia, Caesaris Pompeja, Antonii Antonia, et M. Luculli, quacumque gente fuit, uxor. Juventus etiam pleraque, praecipue nobilium, licet nomen conspirationi non dederat, tamen, audiens hujusmodi quaedam agitari, gaudebat, imbecillitate aetatis, et quia, corruptis olim moribus, ut quaeque erant flagitiosissima, ita maxime probabantur.

XXXVII. Multum etiam ad perficienda coepta in

Cap. XXXIV. Sallust. Catil. c. 23. Dio. Cic. de Petit. Cons. Cap. XXXV. Plut. Cic. Sall. Catil. c. 17. Flor. 4, 1. Liv. Epit. Appian. Civil. l. 2. Plut. Flor. Dio. Sallust. c. 22. Cap. XXXVI. Flor. Sallust. c. 17. c. 24. Appian. Civil. l. 2. Sallust. Plut. Sallust. c. 17. et 37. Cap. XXXVII. c. 21.

Pisone spei Catilina posuerat, qui tum, nondum audito ejus casu, Hispaniam citeriorem obtinere credebatur: itemque P. Sitio Nucerino. Nam is, publico judicio postulatus, adscito in itinere pessimo quovis et levissimo eadem metuentium, aliisque, quos fors offerebat, per Italiam ac Hispaniam ad fretum transgressus, in Africam ductor exercitus sui transjecerat: ibique, regulis inter se bellantibus auxilia ferendo, quum, quibus ille accessisset, superiores fierent, ad famam brevi pervenerat. Sed maxime sperabat consulem se, collega C. Antonio, fore: *tum, nullis domi provisis opibus, Pompejo bellum in ultimis gerente terris, in desiitutam rempublicam impetum rectissime fieri posse.* Haec ita occulte parari non poterant, quin se quibusdam, sed obscurioribus, indiciis proderent. caeca tamen res erat, donec per Fulviam est patefacta, nobilem mulierem, quae ex amatore suo Q. Curio, perditae luxuriae juvene, compertam tacito auctoris nomine compluribus enarravit.

U. c. 688. A. C. 64. *P. Sitii fortuna.*

XXXVIII. Id potissimum caussae fuit comitiis, cur consensu omnium, neque per tabellam, sed una voce populi, Tullius renunciaretur prior: ei collega C. Antonius additur, quum ob patris memoriam, paullo speciosiore manu suffragante, pauculis centuriis Catilinam superasset. Conjurati, licet hoc eventu perculsi, tamen arma parare, pecunias cogere, plures in societatem consilii adducere non omittebant. contra Cicero, gnarus quod negotium suscepisset, omnes nervos intenderat, ne quid ad summam diligentiam, exactissimasque pro republica vigilias, reliqui faceret.

Cicero designatus consul.

XXXIX. Hic etiam annus censores habuit, quod proximis censoribus nulla pars populi censa, neque lustrum conditum erat. Sed horum etiam adeo opera nulla exstant, ut nomina vix eruantur. Utrum enim Q. Metellus, an P. Isauricus censuram tum gesserint, ambigitur. eadem de L. Cotta dubitatio foret, nisi Ciceronis joco fuisset notatus. Nam is, quum inter petitionem consulatus prensans de more homines, sitique correptus, circumstantibus et tegentibus amicis, biberet in foro, ubi L. Cotta censor consederat; *Jure,* inquit, *timebatis, ne succenseret mihi censor, quod aquam*

Cap. XXXVII. Appian. Civil. l. 4. p. 600. Sallust. Flor. Plut. Appian. Civil. l. 2. Sallust. Flor. Cap. XXXVIII. Appian. Sallust. Plut. Cic. in Rull. 2, 2. et in Pis. 1. Ascon. Sallust. Cap. XXXIX. Dio. Pigh. Ann. Plut. Cicer.

U. c. 688. A. C. 64. *bibo.* Erat enim Cotta vinosior, et eo nomine vulgo male audiebat. Huic igitur Cottae, et collegae, quisquis ille fuerit, senatum legere cupientibus, tribuni plebis restiterunt, ne ipsi quoque senatu moverentur, veriti, ob foedas et seditiosas actiones, quibus convellebant reipublicae statum.

Rulli lex agraria.

XL. Multae enim tunc rogationes promulgabantur. inter cetera P. Servilius Rullus ferebat agrariam, *ut decemviri coloniis deducendis agros, qui ubrvis publici essent, maxime Campanos, quemadmodum ex usu esse viderent, distribuerent.* Eadem lege ad emendos, ubi opus foret, agros omnis propemodum publica pecunia, et quae cogi undecumque posset, decemvirorum subjiciebatur potestati. Dabatur et exercitus conscribendi potestas, quanto res indigeret. Et favebat legi C. Antonius, unum se fore sperans in decem. Igitur M. Cicero Kalendis Januariis, qua die consulatum inivit, ea de re verba fecit in curia, senatusque confirmandi valida fundamenta jecit. neque deinceps destitit, donec, pro rostris etiam caussa exposita, rempublicam maximarum largitionum metu liberaret: tanta vi eloquentiae mentibus admota, ut legem agrariam, hoc est alimenta sua, vocatae in suffragium tribus abrogarent; tribuni vero plebis ita consternarentur, ut alias quoque nonnullas actiones abjicerent.

Cui favet C. Antonius. U. c. 689. A. C. 63. M. Tullio, C. Antonio coss.

Sed Ciceronis eloquentia obsletur.

XLI. Erant omnino ea tempora, ut et hoc consule respublica, et hoc ingenio consul, haberent opus: quum nihil abesse videretur, quod timere boni, sperare improbi possent. Tribuni plebis varie miscebant civitatem, favente in plerisque Antonio, facili inter prava ingenia ad deterius consensu. Alius, enixe rem urgente Caesare, proscriptorum liberis jus petendi magistratus reddere moliebatur: alius idem dabat P. Autronio et P. Sullae de ambitu damnatis. neque deerat, qui novas tabulas meditaretur. Quibus praecipua Ciceronis industria vigilantiaque occursum est. is consilia omnium magna solertia indagavit, pari constantia excepit, denique incomparabili eloquentia, tamquam fulmine, dejecit. Tantum enim dicendi copia

Cap. XXXIX. Dio. Cap. XL. Cic. in Rull. et Plut. Cicer. Plut. Gell. 13, 23. Cic. ad Fam. 1. Ep. 9. et ad Att. 2, 1. et in Pis. c. 2. Plin. 7, 30. Dio. Plut. Cap. XLI. Cic. in Rull. 1, 8. Dio. Sueton. Caes. c. 41. Plut. Cic. in Pis. c. 2. Plin. Dio. Vell. 2, 34.

et gravitate valuit, ut etiam homines ad ea probanda, quae paullo ante insigniter odissent, posset adducere. U. c. 689. A. C. 63.

XLII. Nam, illo suadente, etiam Rosciam theatralem legem plebs aequo animo tulit, magnopere prius irata L. Othoni, auctori legis, quod, discrimine sedis constituto, indignam, quae cum equitibus sederet, habuisset. Forte acciderat, ut Othonem, tum praetorem, legis ejus dolore populus in theatro exsibilaret, equites contra plausu exciperent; deinde, iterum inde sibilis, hinc plausu instaurato, maledictis atque conviciis inter se committerentur ordines, et res ad seditionem spectaret. Id ubi Cicero consul comperit, accurrit propere, vocataque in aede Bellonae concione plebem objurgans, ita mutavit animos, ut reversa in theatrum non minorem Othoni plausum ipsa, quam equites, darent. *Iras populi in L. Roscius Othonem placat.*

XLIII. Majorem deinde dimicationem pro C. Rabirio subiit, cui subornatus a C. Caesare tribunus plebis T. Labienus perduellionis diem dixerat, *quod ante sex et triginta annos L. Saturninum tribunum plebis occidisset.* Negabat factum Rabirius. sed non tam ille, quam senatus auctoritas, petebatur, nihil deinceps valitura, ubi, quod ipsius jussu esset factum, post tot annos in disquisitionem vocari, poenaque et supplicio vindicari posse constitisset. Quum summa ope restitisset melior pars senatus, ne judicium ea de re fieret; tribuni plebis, factione Caesaris adjuti, vicerunt. ita duumviri, non more antiquo a populo, qui perduellionem judicarent, sed a praetore dati: sic ducta sorte, ut, res suspiciosissima, Lucius et Cajus Julii Caesares fierent. a Cajo certe tam cupide condemnatus est, ut more majorum ad populum provocanti nihil aeque, ac judicis acerbitas, profuerit. Pro hoc reo Ciceronis exstat oratio, quae, ipso indice, quarta habitarum in consulatu fuit. *C. Rabirium defendit.*

XLIV. Periclitabatur tamen reus, (tanta vis adversae factionis erat) quum Q. Metelli Celeris, qui praetor et augur erat, facto est liberatus. Centuriatis comitiis de perduellione populus judicabat. illa quum intra pomoerium fieri nefas esset, antiquitus erat sta- *Q. Metelli factum animosum.*

Cap. XLI. Dio. Plut. Cap. XLII. Cic. ad Att. 2, 1. Plin. Plut. Cap. XLIII. Dio. Cic. pro Rabir. Sueton. Caes. c. 12. Dio. Cic. in Pis. c. 2. Dio. Liv. 1, 26. Sueton. Dio. Sueton. Cic. ad Att. 2, 1. Cap. XLIV. Dio. Rosin. Antiq. Rom. 6, 9.

U. c. 689. A. C. 63. tutum, ut, occupato in suffragiis ferendis populo, exercitus praesidii caussa imperaretur. ita fiebat, ut cum armis exirent, nec simul universi cives, sed per partes, ferrent suffragia, quo semper idonea manus ad tutelam ceterorum et urbis in Janiculo excubaret. nam inter initia metus ab accolis, tenui adhuc re Romana, desiderabat cautionem. is deinde mos, ut solet, quantumvis mutato rerum statu, pro lege servabatur. Vexillum igitur fixum erat in Janiculo, quamdiu comitia habebantur; eo dimoto, praesidium discedebat, neque deinceps agi cum populo poterat. Metellus igitur, quum frustra docere conatus esset, *contra majorum instituta judicium eo tempore perduellionis fieri;* omissa concione, priusquam suffragia ferrentur, in Janiculum contendit; vexilloque revulso, necessitatem solvendi comitia fecit. Neque ultra institit Labienus, quamquam alia die repetere reum potuisset.

De proscriptorum liberis contentio.

XLV. Supererat de proscriptorum liberis contentio, ideo tractatu asperior, quod adolescentes boni et fortes, nulla sua culpa, petitione magistratuum arcebantur: eratque haec, quum numero, tum opibus, minime spernenda manus. Sed ita tum rei acerbitatem oratione mollivit consul, et legibus Corneliis sic cohaerere statum civitatis docuit, ut ipsos quoque honores petere puderet. L. autem Caecilium tribunum plebis, P. Sullae fratrem, eoque de mitiganda poena ambitus ferentem, ut fratri reditus ad petendos honores esset, ita immutavit, ut et abjiceret rogationem, et agrariae legi se fore intercessorem profiteretur. Legationes quoque liberas, quamquam ad commodum senatus pertinere videbantur, frequentissimo senatu adsentiente sustulisset, nisi fuisset a tribunis intercessum. tempus tamen minuit, et, quod infinitum fuerat, annuum fecit. Et quia, proviso, quod imminebat, bello, rempublicam pecunia opus habituram putabat, misso Puteolos P. Vatinio quaestore, aurum et argentum vetuit exportari.

Facundia Ciceronis tollitur.

Cicero collegam patientia et obsequio mitigat.

XLVI. Haec atque talia consuli eo facilius procedebant, quod turbaturum alias cuncta collegam, ne contra rempublicam sentiret, patientia et obsequio

Cap. XLIV. A. Gell. 15, 27. Dio. Cap. XLV. Cic. ad Att. in Pis. Plut. Quintil. Instit. Or. 11, 1. Plin. 7, 30. Cic. pro Sulla, capp. 22. et 23. Cic. de Leg. 3, 8. Cic. in Vatin. c. 5. Cap. XLVI. Plut. Cic. in Pis, c. 2.

mitigatum, postremo commutatione provinciae perpulerat. Quippe Cicero Macedoniam sortitus, quum eam placere collegae videret, cum Gallia commutavit, quae C. Antonio evenerat. Inter haec P. Lentulus Spinther aedilis curulis tanta magnificentia ludos edidit, ut superiores omnes novo invento vinceret, argentatis choragiis scenam adornans. Idem et dibapha Tyria primus est usus; quod tum improbatum, mox vulgare fuit. U. c. 684. A. C. 63.

XLVII. Hic ferme status urbanarum rerum erat, quum, audito fine Mithridatis, grates Diis actae sunt, et ad omnia pulvinaria supplicatum: quum, referente Cicerone consule, quantum alias numquam, in duodecim dies supplicationem senatus decrevisset. Tribuni plebis T. Labienus, T. Ampius privilegium tulerunt, *ut Pompejus ludis circensibus corona aurea, toga picta, cultu triumphantium uteretur; scenicis praetexta, coronaque laurea.* Salutis etiam augurium, confectis bellis maritimis et terrestribus omnibus, celebrari posse creditum est. Id veteri more genus quoddam divinationis erat, quo maximus praetor explorabat, *salutemne Dii populo Romano annuerent.* neque fas erat alio die agi, quam qui ab omni negotio militari vacuus: eaque de re diu intermissum inter continua bella civilesque discordias fuerat, nullum idoneum tempus ad pacificas caerimonias invenientibus. *Salutis augurium celebratur.*

XLVIII. Porro Mithridatis exitum operae pretium est penitus exsequi. Calamitatibus, et, quae calamitatem amat sequi, perfidia suorum irritatus, quum multos ob culpam, alios per suspicionem interficeret, omnium a se animos taedio et metu abalienavit. Etiam Pharnaces filiorum ad eam diem honoratissimus, et saepe declaratus regni successor, sive fratrum occisorum dolore, sive sibi timens, insidias struere seni coepit, priusquam destinatam in Italos expeditionem inchoasset. Nam, id ubi esset factum, omnem ab Romanis praecidi spem veniae existimabat, neque ad se ex opibus paternis quidquam esse perventurum. Non deerant, qui haec referrent ad regem: multos enim *Mithridatis exitus.*

Cap. XLVI. Sall. Catil. c. 6. Dio. Cic. de Off. 2, 16. Val. Max. 2, 4. 6. Plin. 9, 39. Cap. XLVII. Appian. Mithrid. Cic. de Prov. Consul. c. 11. Vell. 2, 40. et Dio. et Cic. ad Att. 1, 18. Dio. Cap. XLVIII. Eutrop. Oros. 6, 5. Appian. Dio. Liv. Epit. Plut. Appian. Dio.

U. c. 689. A. C. 65. filio apertos clandestinosque custodes apposuerat. Comprehensi igitur conscorum nonnulli, tortique sunt: nec dubitabat rex insidiatorem tollere, nisi Menophanes, ostensis incommodis, quae sub tempus tam longinquae expeditionis occisum filium essent sequutura, perpulisset, ut veniam offerret.

Pharnaces sollicitat Romanos transfugas.

XLIX. Sed ille, longius progressum existimans, quam ut tutus inde receptus esset, ad hoc animos militum a suscepta expeditione abhorrere gnarus, noctu ad primarios Romanorum transfugarum, qui proxime regem tendebant, ingreditur: casum suum miseratur: laborem improbum, pericula, miserias, quae per tanta marium terrarumque spatia, omnibus ubique infestis, Italiam petituros manerent, exaggerat: spem a se maximam, honoresque et opes in promptu ostendit, si regno ipse potiatur.

Deinde totum patris exercitum.

L. Facile persuadetur omnia tristissima, si perducti in Italiam forent, metuentibus. mittuntur eadem nocte certi homines ad alia vicina castra sollicitanda. nec mora, simul cum luce transfugarum exoritur clamor; eum exceptum alii sequuntur, transmittuntque. sic brevissimo tempore totum ubique exercitum, atque etiam nauticam turbam seditio percurrit. Nam et ab ignaris antea simul cognitum probatumque Pharnacis consilium est, laetis ad res novas plerisque; aliis, quod in defectione omnium soli frustra et cum exitio renisuri videbantur. Sic ad urbem pergitur: nam Panticapaei Mithridates tum agebat.

Mithridatis periculum.

LI. Rex, tumultu audito, partem eorum, quos secum habebat, obviam mittit, cum ceteris ipse sequuturus. Sed et illi defecerunt ad Pharnacem, et urbs, non invitis oppidanis, ab eodem occupata est: Mithridates in regiam confugit. Inde quum misisset ad milites, quaesitum, *quid ergo sibi vellent?* aperte Pharnacem postularunt regem, *juvenem pro sene, eunuchorum mancipio, filiorum amicorumque carnifice.* His auditis, Mithridates, ut spem ultimam tentaret, ipse alloquuturus eos prodiit. Tum, intentis in illum digitis, transfugae, *En*, inquiunt, *qui transire ad nos jussagitis, ubi prius fidem faciatis animi propositique vestri.* Ad hanc vocem prosilientes complures equum fugientis confoderunt, Pharnacem regem sublatis vocibus acclamantes:

Cap. XLVIII. Appian. Cap. L. Dio. Cap. LI. Appian.

et, ne dubitari amplius posset, raptam aliquis ex templo papyrum instar diadematis capiti Pharnacis circumposuit. U. c. 689. A. C. 63.

LII. Haec ex altissimo muro miserabilis senex conspicatus, multis precibus oravit filium, *ut tutam sibi fugam concederet*, alios super alios ea de caussa missitando. Postquam nemo revertebatur, atque ultimam adesse necessitatem sentiebat, exclamasse fertur: *Quoniam Pharnaces mori jubet, vos, si estis, Dii patrii, precor, ut quandoque et ipse hanc vocem a liberis suis audiat.* *Ejus preces ad filium.*

LIII. Collaudatos deinde satellites et amicos, qui pauci apud eum perstiterant, fide ad extremum praestita, suae incolumitati consulere, et ire ad victorem jubet. statimque descendens ad reliquas conjuges liberosque suos, venenum, quod semper cum gladio gestare consueverat, miscet. Erant ibi duae filiae virgines duobus Ptolemaeis, Aegypti Cyprique regibus, desponsae, Mithridatis et Nyssa. Hae enixe rogarunt patrem, ut, ipso superstite, morerentur. Igitur his primum venenatam potionem, deinde reliquis dedit: ipse hausit novissimus. *Venenum dat suis, et ipse sumit.*

LIV. Reliqui cito exstincti sunt: Mithridates, quamquam vehementissimi veneni magnum modum ebiberat, et vim potionis ambulando cuperet accendere, tamen, defendentibus vitalia, quae saepe sumpserat, remediis, metuere coepit, ne in filii, et deinde Romanorum potestatem incideret: gladioque admoto, ne sic quidem invenit exitum, quia, senecta malisque circumstantibus, ad hoc veneno debilitata manus aliquanto leviorem plagam fecerat. *Etiam gladium admovit: utrumque frustra.*

LV. Igitur, conspecto forte Bituito Gallo, qui, muro jam superato, cum aliis in regiam penetraverat, *Multum*, inquit, *dextrae tuae, quum miles meus esses, debui: plus debiturus, si extremum mihi officium praestiteris, ne hac aetate hisque rebus gestis ducis Romani triumphalem currum Mithridates antecedam. Expelle, sis, hunc spiritum, quem frustra sollicitavit mea manus, quemque adversus venenum stultus ego medicamentis munii.* Ita Bituitus, quum *Postremo a Bituito Gallo occiditur.*

Cap. LII. Oros. Appian. Oros. Cap. LIII. Appian. Dio. Oros. Appian. Dio. Oros. Eutrop. Val. Max. 9, 2. Cap. LIV. Flor. 3, 5. Appian. Dio. Oros. Justin. 37, 2. Plin. 25. c. 2. Appian. Cap. LV. A. Gell. 17, 16. Flor. Dio. Oros. Liv. Epit. Appian.

U. c. 689. A. C. 63. et Pharnaci rem gratam facturus videretur, jugulum ultro praebentis hausit; simul accurrentes alii gladiis ac lanceis accelerarunt ei mortem. Sic interiit ultimus tum sui juris regum, praeter Parthicos, post multas, et illatas aliis, et acceptas aliunde, calamitates, fortunaeque miras vicissitudines, ne simplici quidem morte sublatus. Aetatis annos (nam dubitatur) paullo plus minusve septuaginta, regni quinquaginta septem exegerat.

Judaei fratres litigant coram Pompejo.

LVI. Eo tempore Pompejus obibat Coelen Syriam, legatos et munera gentium excipiens, quae ex tota Syria Aegyptoque mittebantur. Nam et Aegyptus inquieta seditionibus erat, adque eas comprimendas Pompejum rex advocabat: dona pecuniasque ipsi, et exercitui vestem mittens. Venit et ab Hyrcano Antipater, et Nicodemus ab Hyrcani fratre Aristobulo, de regno Hierosolymitano certantibus. Ipsi occurrere jussi ad disceptandum reguli: quum Aristobuli legatus, data ab eo prius Gabinio trecenta talenta, deinde Scauro quadringenta arguens, supra ceteras inimicitias, horum etiam odia comparasset.

Pompejus latrones et tyrannos punit.

LVII. Interea, quum ver apparuisset, contracto ex hibernis exercitu, Pompejus in Damascenos fines fecit expeditionem, multis in via excisis latronum castellis, supplicioque adfectis tyrannis, qui passim per civitates exstiterant. Primum in Apameno agro capta ex itinere et diruta arx est, quam Antiochus Cyzicenus struxerat. Deinde in Ituraeos transitum, qui sub Ptolemaei Mennaei ditione Libani partem habitabant, latrociniis dediti. Munitissima horum castella, Sinnam et Borama in monte sita, et inferius Botryn, et Gigartum, et speluncas juxta mare, et castellum in jugo, quod appellabant *Theu-prosopon*, Pompejus evertit. Tyrannus, Tripolitano Dionysio, qui paullo ante securi percussus fuerat, nihilo innocentior, mille talentis redemit supplicium. quibus ad stipendia militum usus imperator, Lysiada deinde ad lacum Apamenum cepit, munitam urbem, quam Judaeus quidam tyrannus, nomine Silas, obtinebat. Liberavit et Byblum, veterem Cinyrae regiam, quum et hujus urbis tyrannum secu-

---

Cap. LV. Dio. Vell. 2, 40. Dio. Appian. Eutrop. Plin. Cap. LVI. Xiphilin. Joseph. Antiq. 14, 5. Appian. Joseph. Cap. LVII. Appian. Oros. 6, 6. Strabo, l. 14. p. 753. 755. et 756. Joseph. Strabo.

ri percussisset. Heliopolin deinde et Chalcidem, Mennaei urbes, transiens, per Syriae partem, quae Libano et Antilibano montibus inclusa proprie *Cava* dicitur, Pellam, et hinc Damascum venit. U. c. 689. A. C. 63.

LVIII. Damascus inter Seleucidarum calamitates Aretam vocaverat, Arabum Nabataeorum regem, eique se et omnem incirca regionem tradiderat. Sed illam nuper, victo Arabe, Metellus atque Lollius receperant, quum ad Syriam pro sua defendendam Pompejus exercitum misisset. Mox eodem venit ex Armenia, ubi tum Tigranem bello Pompejus urgebat, ejusdem missu M. Scaurus, Aretamque Hierosolymas obsidentem, acceptis ab Aristobulo pecuniis, deterruit; inde Damascum reversus. *Damasci varia fata.*

LIX. Has caussas gerendi cum Arabibus belli adeptus Pompejus Hyrcanum et Aristobulum, qui Damascum accesserant, miti responso dimisit; *in praesentia praevertendum sibi ad Nabataeorum castigandam insolentiam: inde iturum in Judaeam, ut litem fratrum componat. interea mutuis injuriis abstineant.* Sed Aristobulus, qui se regem ferebat, velut herilium jussorum impatiens, insalutato Pompejo digressus, ita offendit virum, praecipue Hyrcani, et Antipatri, cujus postea filius Herodes in Judaea regnavit, obtestationibus augentibus iram; ut, dilato bello Arabico, in Judaeam converteret signa, et per Pellam Scythopolinque et Coreas Alexandrium duceret, in finibus Judaeae situm, ubi se Aristobulus inclusserat, dubius animi, et vicissim de salute ac dignitate anxius. *Aristobulus Pompejum irritat.*

LX. Omnibus tamen a bello dehortantibus, descendit in castra Pompeji, multaque de jure suo loquutus, concedente illo, in castellum est regressus. Hoc iterum atque tertio quum fecisset, inter spem metumque ambiguus, se ita temperare cupiens, ut neque prodere dignitatem videretur, neque Pompejum offenderet; neutrum satis adsequutus, jussu Romani scripsit ad praesidiorum praefectos, *ut castella quaedam traderent.* Deinde, bellum indignanti animo

Cap. LVII. Joseph. Antiq. 14, 5. et 13. Cap. LVIII. Strabo, l. 16. p. 756. Joseph. Antiq. 14, 5. Joseph. Antiq. 13, 15. et de B. Jud. 1, 4. Joseph. Antiq. 14, 4. Cap. LIX. Appian. Dio. Joseph. Antiq. 14. c. 5. et de B. Jud. 1, 5.

U. c. 689. A. C. 63.

Eumque discedens Hierosolyma adtrahit.

volvens, discessit Hierosolyma. Neque Pompejus distulit sequi: castrisque ad Hierichunta positis, palmarum balsamique proventu nobilem, extra vallum equitando exercebatur: quum citi accurrerunt equites, laetum, ut ex laureatis hastarum cuspidibus intelligi poterat, nuncium adferentes. Concursu igitur exercitus precibusque coactus statim legit epistolas, et suggestu non cespitibus, ut moris erat, sed per festinationem militum comportatis jumentorum sarcinariorum clitellis, effecto, *Mithridatem vixisse* pronunciavit. Inde laeti omnes ad sacrificandum epulandumque se converterunt, in uno corpore bellum exstinctum, infinitosque populi Romani hostes deletos rati.

Et advenienti urbem dedit.

LXI. Pompejus etiam minore, quam credidisset, labore suo debellatum gaudens, et in patriam, ut primum posset, rediturus, statim orta luce Hierosolyma progressus, Aristobulum terruit, ut descendens, pecuniis promissis, urbem et omnia in potestatem ejus dederet. Pompejus, venia vicissim data, Gabinium ad accipiendam pecuniam misit. Sed, Aristobuli factione claudente portas, ille datus in custodiam est, urbs obsessa. quam ubi Hyrcani partibus dediti aperuerunt, Piso legatus Pompeji, regia occupata, praesidium ibi posuit; domusque et alia, templo, quod rebelles occupaverant, vicina, communivit.

Templum oppugnatur.

LXII. Deinde templum, qua respiciebat aquilonem, infirmius ea parte, quam cetero ambitu, videns, oppugnare coepit. Erat tamen ibi quoque praeceps et abrupta vallis, et pontem, qui templum urbi jungebat, obsessi revulserant. Murus etiam firmissimus, turresque praealtae tantum non inaccessibilem efficiebant locum. Sed Pompejus, abundanti multitudine, nam et a Damasco ceteraque Syria copias auxiliares adduxerat, voraginem comportata undique materia jussit expleri.

Sabbato Judaei non impediunt opera hostium.

LXIII. Quum multi inter haec Judaeorum telis vulnerarentur, tardius procedebat opus, vix ad optatum finem perducendum, nisi septima die cessantes a jaculando obsessi impune Romanos, quod placuisset, moliri

Cap. LX. Plut. Pomp. Joseph. de B. Jud. Plut. Cic. pro Mur. c. 16. Cap. LXI. Oros. 6, 6. Dio. Joseph. Antiq. et de B. Jud. Hegesipp. 1, 16. Joseph. Cap. LXIII. Plut. de Superstit. c. 14.

liri paterentur. Quemadmodum enim ea gens ita cum Deo suo velut dividere partes imperandi parendique consuevit, ut mandatis ejus ad suae interpretationis modum obtemperent; tum solummodo, quum peteretur corpus, repugnare licitum putabant, alia hostilia agentibus per sabbatum obniti nefas. Igitur per eos dies Romani neque petebant hostem, neque petebantur: tantummodo fossis complendis, struendoque aggeri strenue admovebant manus. U. c. 689. A. C. 63.

LXIV. Machinae deinde Tyro advectae, quum continuo saxorum jactu propugnatoribus moenia nudassent, spatium Romanis unam suffodiendi turrim praebuerunt. Per hujus ruinas tertio obsidionis mense captum est templum ipso die jejunii, quod tum incidit in Quintilem. Faustus Sulla, dictatoris filius, primus adscendit murum: sequutique statim Furius et Fabius centuriones cum suis manipularibus. *Templum captum.*

LXV. Interea nihilominus sacerdotes munia sua, tamquam in altissima pace, obeuntes, neque strictos in se gladios, neque accepta vulnera pavescebant: multique inter ipsa sacra sunt interfecti. ceterorum quoque varium exitium fuit: multi ab hoste, multi a civibus discordibus caesi, magna pars semet ipsos praecipitarunt in abrupta. quidam etiam, furentes calamitate, conjuncta templo aedificia cremarunt, seque ipsos injecerunt ignibus. Ad millia duodecim periisse dicuntur: de Romanis oppido pauci: complures tamen sunt vulnerati. *Sacerdotum in obeundis sacris perseverantia.*

LXVI. In ea calamitate Judaeis nihil acerbius fuit, quam quod inviolata ad eam diem fani arcana, solique principi sacerdotum, nec nisi semel quotannis, adspicienda, profanis hominibus patuerunt. Sed praecipue Romanis admirationi fuit, nulla intus Deorum effigie, vacua sedes: quum simulacrum aliquod, rem gentibus omnibus velut consensu receptam, quaererent. Inde multiplex de Judaïcis religionibus opinionum error apud gentes inolevit, tam pertinaciter, ut, etiam vulgatis per Christianorum incrementa Judaeorum sacris, Plutarchus, tam diligens abstrusorum inquisitor, in clarissima luce caecutiret. *Liberum Patrem a Judaeis coli*, multis argumentis ineptissime disputans. Absurda persuasio inde primum orta, quod sacerdotes Judaei tibia *Nullum simulacrum in templo Judaeorum.*

Cap. LXIII. Strabo, l. 16. p. 763. Dio. Joseph. Cap. LXVI. Max. Tyr. Differt. 38. Plut. Sympos. 4, 5. Tac. Hist. 5, 5.

U. c. 689. A. C. 63. tympanisque concinebant, hederaque vinciebantur: et ante omnia quod reperta in templo vitis aurea fuisset. Pulcherrimum id opus, quingentis aestimatum talentis, sive Aristobuli donum, sive suas e templo manubias Romam deportante Pompejo, postea in Capitolini Jovis fano stetit, Alexandri nomen inscriptum habens, Judaeorum regis.

LXVII. In templo, praeter candelabrum insigne, mensamque et vasa aurea, magna vis odorum reperta, sacraeque pecuniae ad duo millia talentûm. quibus omnibus abstinuit Pompejus: alteroque post captum templum die, repurgari locum ab aedituis, solitoque ritu instaurari sacra voluit. Jusso deinde regnare Hyrcano, praecipuos belli auctores, in quibus et Absalomus fuit, Aristobuli socer, securi percussit: Faustum ceterosque virtutis caussa donavit: Hierosolyma, dirutis oppidi moenibus, Romanis stipendiaria fecit, procuratore imposito Antipatro.

Pompejus instaurari sacra jubet.

LXVIII. Judaeorum deinde gentem veteres intra terminos compescens, quos ab Syria populos urbesque superioribus annis avellerant, ademit. Gadara, quod oppidum paullo ante dirutum ab ipsis fuerat, instauravit in Demetrii gratiam liberti sui; cujus tanta erat potentia apud patronum, ut saepe, ad convivas excipiendos discurrente Pompejo, ipse accubuisse memoretur. Unde et apud alios ei adeo nimius honor, ut, quantum Catonem accipere puduisset, homo libertinus admitteret. Ajunt, per absentiam Pompeji Catonem ad Antiochiam visendam profectum, quum ante portam virorum agmen cum vestibus albis, et propter viam hinc quidem adultos, inde impuberes stare vidisset, honore nimio offensum coepisse stomachari: quum accesserit ad eum dux pompae, coronatus et virgam tenens, interrogans, *ubi Demetrium reliquissent? et anne cito esset adfuturus?* Ibi amicis Catonis effuse ridentibus, Catonem, haec tantum effatum, *O miseram civitatem!* nec alio responso dato, praeteriisse. Atque hoc idem tanto post tempore Julianus imperator Antiochiensium posteris objecit.

Demetrii liberti potentia.

LXIX. Hujus igitur Demetrii patriam liberam esse

Cap. LXVI. Joseph. LXVII. Euseb. Chronic. Sulpic. Sever. Cap. LXVIII. Hegesipp. 1, 17. Joseph. Plut. Pomp. Plut. Pomp. c. 66. et Cat. Min. c. 17. Julian. Misopogon. Joseph.

jussit Pompejus; et praeterea in mediterraneis Hippum, Scythopolin, Pellam, Dium, Samariam, Marissamque et Azotum, et Jamniam, et Arethusam, Sampsicerami Arabum phylarchi castellum, prioribus cultoribus restituit. ad mare vero Gazam, Joppen, Dora, Stratonisque turrim, quae post *Caesarea* fuit, potestate Judaeorum liberatas suis legibus reddidit. His ita gestis, M. Scauro quaestori suo duas legiones reliquit, ut Syriam, qua Aegypto et Euphrate terminatur, obtineret: ipse in Ciliciam discessit, vinctum abducens Aristobulum cum duobus filiis, filiabusque totidem; quorum e numero paullo post major fratrum Alexander, in itinere parum diligenter adservatus, effugit. Festinabat enim Pompejus, ut, rebus orientis constitutis, Romam recurreret.

U. c. 689. A. C. 63.

Pompejus in Ciliciam discessit.

LXX. Idcirco celeriter pertransitis, quae Ciliciam et Pontum interjacent, provinciis, quum Amisum venisset, regios ibi liberos, qui capti interea fuerant, et ab Pharnace munera reperit, cum cadavere Mithridatis, quod muria conditum parricida Pharnaces miserat. Pompejus, mortuo Sinopen amandato, ut sepulchro majorum inferretur, sumptu insuper ad regii splendoris exequias liberaliter praebito, vestem, qua uti consueverat, armorumque elegantiam et pondus est admiratus. At vaginam gladii, quam ajunt talentis constitisse quadringentis, Publius quidam suffuratus, clam vendiderat: itemque cidarin miri operis Cajus, Mithridatis collactaneus, Fausto Sullae: in quos deinde Pharnaces, re comperta, animadvertit.

Mithridatem majorum tumulo inferri jubet.

LXXI. Idem obsides quoque multos Graeci barbarique generis misit ad Pompejum: adductis etiam, qui M. Aquillium comprehenderant, orans, *ut sibi aut paternum Ponti regnum, aut saltem Bosporanum, quibus finibus Machares tenuisset, concederetur.* Et Pompejus, illius sane opera Italiam maximo metu liberatam reputans, socium et amicum appellatum regnare in Bosporo jussit; exceptis in libertatem Phanagorensibus, qui defectione sua primi perculerant Mithridatem, caussamque praebuerant periculis, quibus ad extremum est obrutus. Ab eodem merito Castor socius amicusque

Pharnacem in Bosporo regnare jubet.

Cap. LXIX. Strabo, l. 16. p. 753. Joseph. Appian. Syriac. Joseph. Cap. LXX. Plut. Pomp. Appian. Mithrid. Dio. Plut. Dio. Appian. Plut. Cap. LXXI. Appian.

U. c. 689. A. C. 63.

populi Romani appellatus est: et, accepta Galatiae parte, filiam Dejotari regis duxit. unde subitus ei domui, nec diuturnus splendor.

Thesauros Mithridatis recipit.

LXXII. Venerunt deinde praefecti castellorum, qui deditionem in adventum Pompeji distulerant, ne forte thesauros diriperent, quorum in manus traditi forent, et deinde ratio a se reposceretur. Incredibiles hic repertae opes: quamquam diuturno et infelici bello maximam vim pecuniae Mithridates absumpserat. Talaura praecipue, referta omnis generis opulentia, quaestorem, dum inventa percenset, ad dies triginta attinuerunt. Duo inde millia poculorum ex onyche Romani sustulerunt, cum multis phialis, sellis, lectis, equorum etiam phaleris aureis gemmatisque. Haec partim a Dario Hystaspis filio pervenisse ad ultimum Mithridatem ferebantur: pars cum Alexandro filio a Cleopatra in templo Aesculapii deposita, tradentibus Coïs, facta illius erant: nec pauca ipse paraverat, elegantioris instrumenti percupidus.

Catilinae conjuratio erumpit.

LXXIII. Dum ad hunc modum res Romana, tabidae meretricis instar, insigni splendore et opulento cultu foris enitescit, peste intima propemodum vitalia exedente, in id periculum adducta est, ut parum abesset, quin omnibus a se subactis conculcatisque urbibus haberi deberet infelicior. Architectus ejus fraudis Catilina erat, cujus tum maxime, consularibus instantibus comitiis, conjuratio erumpebat. Nam Catilina omni contentione pugnabat, ut prius designaretur, quam venire Pompejus in Italiam posset, cujus unius vires virtutemque maxime metuebat. Idcirco, contracto consciorum consilio, quum Sullani milites spe novae praedae, quia veteres rapinas luxu et libidinibus dissipaverant, conjurationi faventes, ei totam, in qua plurimum poterant, Etruriam partibus adjuncturi viderentur, consilium ceperunt Ciceronem inter ipsa comitia trucidandi. *hoc submoto, cetera facilius successura.*

Nec ipse diffitetur.

LXXIV. Haec primo per literas, incertum unde datas, sunt cognita, quae erant ad M. Crassum aliosque pari nobilitate scriptae: quas ad Ciceronem Crassus ipse cum M. Marcello et Metello Scipione detulit.

Cap. LXXI. Strabo, l. 12. p. 568. Cic. pro Dejot. c. 11. Cap. LXXII. Dio. Appian. Cap. LXXIII. Plut. Cic. Cic. pro Mur. c. 25. Sall. Catil. c. 28. Appian. Civil. l. 2. Plut. Cic. pro Mur. c. 24. Cap. LXXIV. Dio. Plut. Cras. c. 24. et Cicer. Dio.

Ob eam rem comitiorum dies, quae suberat, agente Cicerone, dilata est, ut de his rebus consuli senatus posset. Postridie Catilinam interrogavit in curia consul, *quid de illa caussa diceret?* atque ille aperte respondit: *quum duo sint reipublicae corpora, debile alterum infirmo capite, alterum sine capite praevalidum, huic, se vivo, caput non esse defuturum.* Tum ergo tumultum esse decretum est ab senatu, et in auctores inquisitio jussa. Consul, ut metum et periculum cives animum adverterent, dissuta de industria tunica, loricae ostendit particulam. Igitur, ad praesidium ejus valida se adgregante manu, comitia sine tumultu peracta. D. Silanus, L. Murena designati. U. c. 689. A. C. 63.

LXXV. Sub hoc demum tempus, dilatum inimicorum calumnia triumphum, L. Lucullus de Mithridate et Tigrane regibus duxit: quae ipsa res gloriam ejus miseratione injuriae augebat. Pompa uti minime prolixa, ita delecto apparatu spectabilis fuit. Armis machinisque hostilibus circum Flaminium exornaverat. in triumpho paucos cataphractos duxit, decem currus falcatos, amicos ducesque regios sexaginta. Naves quoque rostratae centum decem translatae. Praeterea Mithridatis effigies ex auro senûm pedum, et distinctus gemmis clipeus. Fercula viginti vasorum argenteorum; duo et triginta, poculorum armorumve aut nummorum ex auro. Lectos etiam aureos octo muli transtulerunt; et alii sex et quinquaginta argentum infectum; alii centum et septem, signati paullo minus vicies septies centena millia drachmarum. Praeferebantur et in tabulis summae, quas Pompejo ad bellum piraticum, deinde quaestoribus aerarii dederat: adscriptum etiam erat, nongenas quinquagenas drachmas militibus divisisse. *Lucullus triumphat.* *Ejus triumphi pompa.*

LXXVI. Inde splendidum epulum populo dedit, in foro et per vicos tricliniis stratis: vinique Graeci congiario divisit millia cadûm amplius centum. Statuas permultas in publico posuit ex manubiis, in quibus eximiae artis Hercules fuit in fatali tunica suprema sentiens, et colossus Apollinis triginta cubitorum, centum quinquaginta talentis factus, quem ex Apolloniatarum Ponticorum insula advexerat. *Epulum et donaria.*

Cap. LXXIV. Plut. Cic. pro Mur. c. 25. Dio. Plut. Cic. Dio. Cic. pro Mur. c. 26. Dio. Plut. Cap. LXXV. Cic. pro Mur. c. 28. et Acad. Quaest. 4, 1. Eutrop. Vell. 2, 34. Plut. Lucull. Cap. LXXVI. Plin. 14, 14. 34, 8. 34, 7.

U. c. 689. A. C. 63.

Luculli otium et luxus.

LXXVII. Hic finis publicorum operum Lucullo fuit. postea, sive gloriae opumque satis adeptum ratus, sive nequidquam adplicari medicamenta desperatis patriae morbis, abjecta semel rerum aliarum cura, in otio et luxu vixit: profusae in aedificiis conviviisque luxuriae, quae mox in immensum crevit, primus auctor. quem, ob injectas moles mari, et vicissim, exciso ad Neapolim monte, mare admissum, Magnus Pompejus haud infacete *Xerxem togatum* appellavit. Atque ea res etiam incitamento conjuratis fuit, deplorante suam suorumque paupertatem Catilina, dum alii, sursum deorsumque vexando opes suas, vincere tamen et consumere nequirent.

LXXVIII. Sed, augente horum amentia, simul augeri consulis et Patrum vigiliae coeperunt. Jam senatusconsultum factum erat ultimae necessitatis: *darent operam consules, ne quid detrimenti respublica pateretur.* Post paucos deinde dies L. Senius senator literas in senatu recitavit, Faesulis allatas, in quibus scriptum erat, *C. Manlium, qui sub Sulla duxisset ordines, bellatorem impigrum, postquam male partas divitias pejus etiam decoxisset, ante diem sextum Kalendas Novembres arma cepisse cum magna multitudine.* Trepidis inde vulgo omnibus, ut solet in tali re, prodigia nunciabantur. ingenti motu quassata tellus, Spoletumque totum concussum erat, et quaedam corruerant. crebra fulmina ceciderant, quibus decussa pleraque, et Vargunteius Pompejis sereno coelo exanimatus fuerat. Trabs ardens ab occasu ad coelum ferri visa: multisque locis spectra hominum apparuerant. Erant et, qui salutis augurium rite factum negarent, quod eo tempore infaustae aves visae dicebantur. Nonnullos Claudius augur moverat, consuli bellum domesticum triste ac turbulentum praedicendo. Itaque, certa incerta rumoribus adaugentes, *conventus factos, arma comportata, servile bellum in Apulia et Capuae motum*, loquebantur.

Catilinae satellites arma capiunt.

Senatus contra providet.

LXXIX. Multa ob has res decreta in senatu facta. Q. Marcius Rex, Q. Metellus Creticus, qui duo imperatores adhuc ad urbem erant, impediti ab adversariis,

---

Cap. LXXVII. Plut. Nicol. Damasc. apud Athen. l. 6. fin. Vell. 2, 33. Plin. 9, 54. Sall. Catil. c. 20. Cap. LXXVIII. Sallust. c. 29. Dio. Cic. in Catil. 1. 2. Plut. Cic. Sallust. Plut. Appian. Dio. Cic. Sallust. Plut. Cic. in Cat. 3, 8. Jul. Obseq. Dio. Cic. de Divin. 1, 47. Sallust. Cap. LXXIX. Plut. Dio. Appian. Sallust.

ne triumpharent, ille Faesulas, Metellus in Apuliam ire jussi. Praetores Q. Pompejus Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in Picenum missi cum mandatis, *uti pro tempore atque periculo exercitum compararent*. Gladiatoriae familiae Capuam, et in cetera municipia, pro cujusque opibus distribui, per totam urbem minores magistratus vigilias agere jussi. Conjurationis indicibus praemia proposita: servo libertas et centena sestertia, libero impunitas et sestertia ducenta. U. c. 689. A. C. 63.

LXXX. Post haec per aliquot dies, Catilina nihil ausso moliri, tranquillae res videri multis coeperunt, ut jam Ciceronis calumniam incusarent. Sed Etrusci motus cito fidem fecerunt veris: et Catilinam L. Paullus lege Plautia de vi postulavit. Atque ille, conscientiam dissimulans, *vitandae suspicionis caussa apud M. Lepidum habitare velle*, dixit, Paulli fratrem. nec receptus, venit ad Ciceronem, deinde ad Q. Metellum praetorem, et, repudiatus ubique, M. Marcello custodiendum se tradidit. *Catilina reus fit.*

LXXXI. Postea, quum in senatum venire ausus esset, qui tum in Jovis Statoris habebatur, et omnes subsellia, ad quae sedendi gratia ille accesserat, vacua relinquerent, in aliam partem digressi, Cicero, sive praesentiam ejus timens, sive ira commotus, orationem in praesentem reum habuit, quam adhuc legimus: *excedere* jubens *urbe, quam exitio destinasset. uam referre bonorum civium, ut inter se et hostem patriae murus interesset.* *A Cicerone excedere urbe jussus.*

LXXXII. Ille, demisso vultu rogatis Patribus, *ne temere de se crederent, clarissimis majoribus orto*, deflexit ad convicia, *Ciceronem inquilinum urbis* appellando. Plura deinde maledicta ingerenti quum omnes obstreperent, *hostem atque parricidam* vocando; furenti similis, *Quandoquidem*, inquit, *inimicorum conspiratione praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.* Proxima deinde nocte cum trecentis armatis egressus urbe, plerisque consularibus, praeterea optimo cuique scribit ex itinere: *Massiliam se in exsilium proficisci, ne, si resisteret inimicorum calumniis, periculum inde reipublicae oriretur.* *Egreditur.*

Cap. LXXX. Dio. Sallust. Cic. in Vatin. c. 10. in Catil. 2, 8. Cap. LXXXI. Plut. et Cic. in Catil. 1, 5. et 7. Sallust. Cic. in Pis. c. 2. Plut. Cap. LXXXII. Sallust. Appian. Sallust. Val. Max. 9, 11. Sallust. Plut. Sallust. Cic. in Cat. 2, 7.

U. c. 689. A. C. 63. *Conjuratorum consilia.*

LXXXIII. Interim cum praecipuis sodalium ita comparaverat, ut, *quamprimum se Faesulas pervenisse cognossent, Lentulus atque Cethegus cum sicis domum Ciceronis irent, propter dignitatem minime excludendi, et specie secretioris colloquii seductum confoderent: L. Bestia*, (is tribunatum plebis erat initurus) *subito concione vocata, Ciceronem accusaret, meticulosum hominem, et sui timoris implentem credulos. proxima deinde nocte, duodecim locis urbs incenderetur.* Ei negotio, praeter jam dictos, L. Cassius, P. Gabinius Capito, L. Statilius erant praefuturi.

LXXXIV. Haec vigilantissimi consulis cura in irritum omnia reciderunt. Is, in forum progressus, Catilinae fugam et consilia exposuit populo, ita moderans, ut negligentibus extrema omnia metuenda, intentis optimam spem ostenderet: neque falli eos pateretur ficta Catilinae modestia, quem exsilii caussa solum vertisse multi, literis ejus decepti, aut studio partium, dictitabant. sed paucos post dies epistolam ejus in senatu Q. Catulus recitavit hoc exemplo.

Epistola Catilinae ad Catulum.

LXXXV. *L. Catilina Q. Catulo salutem. Egregia tua fides, re cognita, grata mihi magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meae tribuit. quamobrem defensionem in consilio novo non statui parare: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi: quam mediae fidius veram licet cognoscas. Injuriis contumeliisque concitatus, quod, fructu laboris industriaeque meae privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam pro mea consuetudine suscepi. non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quum et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret; sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam: hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sun sequutus. Plura quum scribere vellem, nunciatum est, vim mihi parari. Nunc Orestillam tibi commendo, tuaeque fidei trado. eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. avero.*

Culpam suae temeritatis conjicit in inimicos.

Cum lictoribus fascibusque ad exercitum pergit.

LXXXVI. Inter haec ipse, quum aliquot dies apud C. Flaminium Flammam in agro Reatino exegisset, vicinitate, quam per emissarios suos antea sollicitaverat, armanda; sumptis fascibus lictoribusque, signisque explicatis ad paratos a Manlio copias contendit:

Cap. LXXXIII. Appian. Sallust. c. 43. Appian. Sallust. Cap. LXXXIV. Cic. in Catil. 2. Cap. LXXXV. Sallust. c. 34. Cap. LXXXVI. Plut. Dio.

liberis omnibus, adhuc enim servitia repudiabat, ad societatem armorum vocatis. Haec ubi Romae comperta sunt, senatus vestem mutat: Catilinam et Manlium hostes judicat: ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, praeterquam rerum capitalium condemnatis. praeterea decernit, *uti consules delectum habeant: Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet. Cicero urbi praesidio sit.* qui providus futuri provinciam Galliam, senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam, quod ita reipublicae ferebant tempora, in concione, licet reclamante populo Romano, deposuerat. Gallia, ne Catilinae pateret, ipso maxime Cicerone admitente, Q. Metello Celeri, qui in Piceno exercitum habebat, commissa est. U. c. 689. A. C. 63.

LXXXVII. Cicero, qui ante etiam contra Catilinae audaciam clientium amicorumque praesidiis dissimulanter se muniverat, tum vero palam custodiam circum se habuit, equitum Romanorum maxime: quod nomen, ipse equestri genere ortus, sic in consulatu stabilivit extulitque, ut ab eo tempore tertium hoc in republica corpus cum senatu populoque Romano haberi coeperit. *Cicero equestrem ordinem stabilit.*

LXXXVIII. Quum inter haec a Ser. Sulpicio competitore suo L. Murena consul designatus legibus ambitus interrogaretur, Cicerone defendente est absolutus, quod nemo judicum sibi de ambitu audiendum esse putaret, quia, gerente bellum Catilina, sciebant Kalendis Januariis duos in republica consules esse oportere. Dixerat etiam Cato in reum, vir nullius rei, quam legum et aequi, studiosior. Is quum in petendo non obscure vidisset largitionem versari, in senatu dixerat, *accusaturum se, quicumque pecuniam dedisset:* unum excipiens Silanum, quod is in matrimonio Serviliam habebat, Catonis sororem. Ceterum quo tempore Catilina bellum orsus est, magnum se veritatis documentum A. Fulvius senator dedit, filium necando, quem ad Catilinam euntem e medio itinere retraxerat: praefatus, *non se Catilinae adversus patriam, sed patriae adversus Catilinam genuisse.* *A. Fulvius filium ad Catilinam proficiscentem necat.*

Cap. LXXXVI. Sallust. Plut. Dio. Cic. in Pis. c. 2. Cic. in Catil. 2, 3. et ad Fam. 5. ep. 2. Cap. LXXXVII. Plut. Dio. Cic. in Catil. 4, 7. Plin. 33, 2. Cap. LXXXVIII. Cic. pro Mur. Quintil. 6, 1. Cic. pro Flacc. c. 39. Cic. pro Mur. c. 37. Plut. Cat. Min. Sall. Cat. c. 39. et Dio. Val. Max. 5, 8.

U. c. 689. A. C. 63.

L. LXXXIX. Ceterum Ciceronis in urbe retinendi consilium salubre reipublicae fuit. P. enim Lentulus, ceterique conjuratorum principes non cessabant de Catilinae praecepto adjungere, quoscumque novis rebus idoneos judicassent. Idcirco, quum forte duo legati Allobrogum venissent, de magistratuum Romanorum injuriis questum; per P. Umbrenum, qui negotiatus in Gallia fuerat, sollicitantur. Neque parum commoti sunt feroces animi, quum spes libertatis, et ampla alia praemia ostenderentur. Tandem, incerta certioribus posthabendo, Q. Fabium Sangam, quod civitas in tutela Fabiorum erat, adeunt, eique rem totam aperiunt: ab hoc Cicero edocetur. vocantur legati: veniunt cum Murena consule designato, magnisque promissis inducuntur, ut, studio conjurationis diligenter simulato, id agant, uti quam certissima coarguendorum noxiorum argumenta indipiscantur. Interea non in urbe solum, sed per Italiam, magni motus erant, ceterum festinatione et amentia conjuratorum fere innoxii: quorum e numero multos Metellus Celer in Piceno; in citeriore Gallia C. Murena, consulis designati frater, qui ei provinciae praeerat, ex senatusconsulto in vincula conjecerunt.

Allobrogum legati a conjuratis sollicitantur.

XC. Sed in urbe, quum ante diem nonum Kalendas Octobres senatus ob instantia pericula vocatus esset, novae sollicitudinum caussae plerosque terruerunt. P. Nigidius Figulus, quo amico et consiliario intimo consul utebatur, audito, C. Octavium uxoris suae puerperium excusare, *quod in curiam tardius venisset*, exclamavit: *Dominum nobis genuisti.* Ea Figuli existimatio Romae erat, ut inter doctissimos haberetur: mathematicarum autem rerum peritia sic excellebat, ut prohibitis artibus crederetur uti. Eo majorem in animis Patrum timorem ea vox peperit, praecipue quia paucos ante menses constanter jactatum fuerat, *naturam regem orbi terrarum parturire.* idemque Sibyllae carminibus comprehensum dicebatur. praeterea passim etiam extremis ab oris in eum sensum oracula adferebantur. Ob eas caussas, maxime quod Romae etiam factum prodigium esset, senatum exterritum censuisse,

Vaticinia de rege orbis terrarum nascente.

Cap. LXXXIX. Dio. Plut. Cicer. Sallust. Plut. Cic. in Cat. 3, 2. Dio. Appian. Sallust. Cic. pro Font. c. 12. Sallust. Cic. pro Dom. c. 52. Sallust. Cic. pro Mur. c. 41. Sallust. Cap. XC. Sueton. Aug. c. 5. A. Gell. 15, 7. Plut. Sueton. Aug. c. 94. Constantin. Manass. Dio, l. 45. init. Sueton. Cic. de Divin. 2, 54. Virgil. Eclog. 4. Sueton.

ne quis illo anno tolleretur, suppressumque fuisse senatusconsultum per eos, qui gravidas uxores habebant, Julius Marathus scripsit, Augusti libertus. nam ad Augustum haec postea tracta sunt, cujus ille, quem diximus, natalis M. Tullii consulatum illustravit. U. c. 689. A. C. 63.

XCI. Sed tum quidem ad propiora pericula praevertendum senatui fuit. Lentulus et ceteri, enses, sulphur, stupam in domum Cethegi clam comportari jusserant. urbem in centum descripserant partes, quas totidem perditis hominibus adsignarent sortito, ut multis simul locis incenderetur: paratique erant, qui aquaeductus obstruerent, et aquam petentes trucidarent. cetera quoque, ut supra est expositum, administrarentur: et filii familias, quorum multi ex nobilitate inter conjuratos erant, patres suos, feminae maritos occiderent. tantummodo liberis Pompeji parcere Lentulus decreverat, quos adversus iram hominis potentissimi, qui paullo post adsuturus dicebatur, haberet obsides. Inter illum tumultum, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam debebant erumpere. Sed ceterorum cunctationem Cethegus saepe increpabat, praefervido ingenio, promptusque manu, et ad quodlibet facinus praesentis audaciae. Nam Lentulus et ceteri rem in Saturnalia proferebant. *Conjuratorum apparatus et consilia.*

XCII. Jam Allobroges ex mandato Ciceronis cum conjuratis egerant. ab iis ad Catilinam cum T. quodam Volturcio Crotoniense mittuntur. eidem literas dat perferendas Lentulus, hoc exemplo: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. cura, ut vir sis, et cogita, quem in locum sis progressus: et vide, quid jam tibi sit necesse. cura, omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum.* Ad hoc mandata verbis dat, *ne quod genus auxiliorum in hac necessitate spernat: neve cunctetur, paratis in urbe omnibus, propius accedere.* *Literae Lentuli ad Catilinam.*

XCIII. His ita constitutis, quum noctu per pontem Mulvium proficiscerentur, excepti sunt insidiis, quas ibi consulis jussu C. Pontinius, L. Valerius Flaccus praetores collocaverant. Ita, his comprehensis, consul summo mane vocari ad se statim Gabinium, Lentulum, Cethegum, Statilium jubet, itemque Ceparium *Conjurati comprehendunter.*

Cap. XC. Sueton. Aug. c. 70. Vell. 2, 86. Cap. XCI. Plut. Sall. c. 43. c. 24. Plut. Sallust. Cic. in Cat. 3, 4. Plut. Cap. XCII. Sallust. Cap. XCIII. Flor. 4, 1. Cic. Plut. Appian. Cic. pro Flacco, c. 40.

U. c. 689. A. C. 63. Terracinensem, qui in Apuliam ad sollicitandos pastores proficiscebatur. Reliqui venerunt. Ceparius, indicio cognito, ex urbe profugit. Consul, senatu in aedem Concordiae vocato, conjuratos cum custodibus adduci jubet: Lentulum (quia praetor iterum erat, post consulatum senatu motus, deinde ordine recuperato) manu tenens eodem adscendit.

XCIV. Ibi D. Silanus consul designatus dixit, *ex Cethego nonnullos audisse, fore, ut brevi consules tres, cum praetoribus quatuor, occidantur.* Similia C. Piso vir consularis adferebat. Interea C. Sulpicius, quem consul domum Cethegi misevat, redit, magnamque vim ibi telorum armorumque, plurimasque sicas et gladios recens exacutos, reperisse nunciat. Postremo Volturcius, accepta fide publica, et post hunc Allobroges omnia aperiunt. Auctores sceleris tot indiciis, testibus, literis, sua confessione, vultu denique ipso, gestu, colore, convincuntur. Lentulum dissimulantem sermonibus etiam, quos habere solitus erat, Allobroges coarguebant, quaerentes ab eo, *nihilne secum esset de fatis Sibyllinis loquutus?* Nam ex libris earum et haruspicum responsis, *regnum Romae tribus Corneliis portendi*, confirmaverat: *ante se Cinnam et Sullam fuisse; se tertium, quem necesse esset urbe potiri. praeterea esse annum ab incendio Capitolii vicesimum, et post Vestalium absolutionem decimum, quem saepe praedixissent haruspices bello civili cruentum fore.* Idcirco senatus Lentulum, abdicato magistratu, itemque ceteros in libera custodia habendos quum censuisset; Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Ceparius, qui retractus ex fuga fuerat, Cn. Terentio senatori traduntur. Supplicatio etiam nomine Ciceronis decreta, qui honor nemini ante eum togato contigerat, his verbis: *quod urbem incendiis, caede cives, Italiam bello liberasset.*

Lentulum Allobroges coarguunt.

XCV. Quum inter haec agenda praeteriisset dies, obscuro jam consul, quid actum esset, populo exposuit: cujus magna pars paullo ante bello faverat. Tunc autem, subito commutata mente, Ciceronem ad coe-

Cicero laudatur ab omnibus.

Cap. XCIII. Plut. Vell. 2, 34. Dio. Cap. XCIV. Plut. Cic. in Cat. 3, 4. Sallust. Plut. Cicero. Sallust. Cicero. Flor. Appian. Plut. Sallust. Cicero. Dio. Appian. Plut. Cic. Sallust. Cicero. Quintil. 2, 16. Cic. in Pis. c. 3. Cap. XCV. Plut. Sallust.

lum tollebant laudibus, incendium maxime detestati, quod sibi in primis calamitosum fore non dubitabant. Forte eodem die, eademque hora diei, qua per forum conjurati in aedem Concordiae ducebantur, Jovis simulacrum ad ortum solis in conspectu curiae forique altioribus, quam antea, columnis impositum est; quum biennio ante locatum, neque tamen ob tarditatem operis statutum ad eam diem esset. Igitur, quod eodem tempore patefacta est conspiratio, quod futurum, eo signo sic posito, haruspices responderant, non sine numine Deorum tantis periculis ereptam esse civitatem crediderunt. U. c. 689. A. C. 63.

XCVI. Postridie, quum iterum senatus haberetur, introductus a consule P. Tarquitius, qui professus indicium fuerat, Crassum inter conjuratos nominavit, nobilitate, divitiis, potentiaque summa hominem. Conclamant senatores, *falsum indicium esse*, deque ea re, postulant, ut referatur, pars ita sentientes; alii, quod periculosum putabant, potentissimum virum vel vero crimine praecipitem agi; multi privatim obnoxii. Igitur, consulente Cicerone, frequens senatus decrevit, *indicium falsum videri*. Quidam existimabant, machinatorem ejus indicii P. Autronium fuisse, quo Crassi potentia reliquis praesidio esset. alii Ciceronis dolum, ut Crassus a suscipiendo improborum patrocinio, quod ipsi frequens erat, absterreretur. Ipsum utique Crassum querentem audivisse Sallustius scribit, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam: semperque postea fuit ab eo alienior. *Crassus inter conjuratos nominatur.*

XCVII. Caesarem quoque nominari per Allobrogas, aut alium indicem, Q. Catulus, C. Piso vehementer optarunt: sed nec prece nec pretio persuaderi Ciceroni potuit, ut pateretur. Cum utroque graves inimicitias Caesar alebat: Pisonem oppugnaverat modo in judicio propter Transpadani cujusdam injustam supplicium, quo tamen judicio Piso est, defendente consule Cicerone, absolutus: Q. Catulus extrema aetate, maximis honoribus usus, victum se a Caesare in petitione pontificatus, impatientissime ferebat. *Caesarem etiam nominari volunt ejus inimici.*

Cap. XCV. Dio. Cic. in Cat. 3, 8. Cap. XCVI. Sallust. Plut. Crasso. Dio. Sallust. Plut. Crasso. Sallust. et Plut. Caes. et Cic. Cap. XCVII. Cic. pro Flacco c. 39. Sallust. Vell. 2, 43.

U. c. 689.
A. C. 63.
Caesar in petitione pontificatus summos viros superat.

XCVIII. Nuper enim, Q. Metello Pio mortuo, quum pontificis maximi vacaret locus, T. Labienus legem tulerat, *ut, abrogata lege Cornelia, et revocata Domitia, populus sacerdotia mandaret.* Fiebat hoc in Caesaris gratiam, quem ita fovebat populus, ut nihil non ad demerendum eum facturus videretur. Itaque, licet duo summi viri Q. Catulus, P. Servilius Isauricus peterent, Caesar nihil territus se ostendit competitorem. Et Catulus, quanto major annis ac dignitate erat, impensius timens repulsam, per certos homines egisse cum Caesare dicebatur, magna ostensa mercede, ut a petitione desisteret. Ille contra longe majorem se impensam facturum in comitia declaravit. Nec verbis abfuit fides: tantaque largitione est usus, ut matri, descendentem ad comitia cum lacrimis osculanti, magnitudinem aeris alieni reputando, dixerit: *Hodie, mater, aut pontificem habebis filium, aut exsulem.* Ideoque duos tam potentes viros ita superavit, ut plura in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus, ferret.

XCIX. Piso igitur et Catulus, his odiorum caussis quum impellere consulem nequivissent, circumeundo tamen, et velut ex Volturcio aut Allobrogibus audita differendo, tantum illi invidiae conflarunt, ut equites Romani quidam ex eo numero, qui circum Concordiae armatus stabat, tamquam hosti publico gladiis minitarentur. Ibi Curio dicitur eum texisse toga sua, et consul, intuentibus in eum equitibus, abnuisse caedem: sive credebat innocentem, sive ille potentiam hominis metuebat, ne, caussa hujus et ceterorum mixta, potius illos ob Caesarem servaret populus, quam cum illis interire Caesarem pateretur. Territus tamen Caesar, an ut invidiam conflaret inimicis, in reliquum anni tempus curia abstinuit. Inter haec liberti et clientes conjuratorum servitia et faecem vulgi commovebant, ut vi Lentulum et ceteros eriperent. Qua re cognita, consul, cujus diligentiam nihil effugiebat, noctu Capitolium forumque praesidiis occupat: ipse in domo cujusdam amici praesentia insomnis ac sollicitus animo volvebat. Nam suam domum intrare religione vetabatur: quod ibi tum Terentia uxor cum Vestalibus sacrum Bonae Deae celebrabat. Detecta conjuratione

Ciceronis sollicitudo.

Cap. XCVIII. Dio. Plut. Caes. Sueton. Caes. c. 13. Plut. Sueton. Cap. XCIX. Sallust. Plut. et Sueton. Plut. Cicero. Sueton. Sallust. et Dio. Plut. Cicer. Dio. Plut.

laetabatur: sed nobilissimi deprehensi cives angebant, si tollerentur, invidiam sibi; sin viverent, reipublicae periculum allaturi. U. c. 689. A. C. 63.

C. Sub ortam lucem (Nonae Decembres erant) confirmatus prodigio, et nuncio Vestalium, *insistere* jubentium *consiliis*, *magnum ei lumen ad gloriam praeferentibus*, *quod domi ejus inter sacrificandum ex favilla et cinere luculenta flamma proruperat*; populum sacramento per praetores adigit, *ubi militibus opus esset, arma capturum*: ipse, convocato senatu, refert, *quid de iis fieri placeat, qui essent in custodias traditi*. Tum D. Junius Silanus consul designatus, (hi enim ferme sententiam primi rogabantur) *de illis, et praeterea de L. Cassio, P. Umbreno, P. Furio, Q. Annio, quum deprehensi forent, supplicium sumendum*, censuit. Adsentientibus aliis, Ti. Nero, *debellandum antea Catilinam*, dixit, *videri; ceteros haberi in custodia, praesidiis additis, donec iterum ea de re referatur*. *Sententiae in senatu feruntur de conjuratis.*

CI. Ubi ventum ad Caesarem est, qui tum erat praetor designatus, *mortem a Diis immortalibus supplicii caussa constitutam*, negans, *sed potius portum quemdam miseriarum, et quietem laborum esse; vinculis, eisque sempiternis, coërcendos* decrevit, *bona publicanda, ipsos in municipiis, quae Cicero consul probasset, habendos: neu quis de iis postea ad senatum referret, neve cum populo ageret: municipibus, si quis eorum vincula rupisset, atroces poenae praestituerentur: sic effugi invidiam, ne quis civis indicta caussa necatus videatur; reos interea gravius plecti, quam si supplicium paterentur*. *Caesaris sententia.*

CII. Adeo commoverat animos tam facundia orationis, quam potentia viri, ut non modo ceteri deinceps eam sententiam sequerentur; sed, qui sententiam prius dixerant, et ipse ante omnes Silanus, retractarent, quae censuerant, aut interpretatione mollirent; quum, post orationem insignem a consule interpositam, pene inter ultimos (adolescens enim adhuc, et tribunus plebis designatus erat) sententiam M. Cato rogatus, ita et Silani perstrinxit inconstantiam, et Caesarem suspicionibus et invidia obruit, ut in ejus sententiam, *sumendum de conjuratis supplicium*, decerneretur. *Catonis sententia.*

Cap. C. Cic. ad Fam. 1. ep. 9. Dio. Plut. Dio. Sallust. Plut. Appian. Sallust. Appian. Sallust. Cap. CI. Sueton. Dio. Appian. Plut. Caes. et Cic. Cic. in Cat. 4, 5. Sallust. Dio. Sallust. Cap. CII. Appian. Plut. Sueton. Cic. in Cat. 4. Vell. 2, 35. Plut. Cat. Min. Cic. ad Att. 12, 21.

U. c. 689. A. C. 63.

CIII. Etiam bona publicari, volebant plerique: sed Caesar, *indignum esse* testatus, *id unum ex sententia sua retineri, quod erat asperrimum*, (nec enim alii hoc censuerant) repugnavit; illisque non desistentibus appellavit tribunos. quum neque tribuni intercederent, consul sponte cessit, eamque sententiae partem remisit. Magnam ea dies Catoni celebritatem attulit, adeo incomparabilem pro republica et honesto animum attulisse viso, ut major pars senatus abeuntem domum prosequeretur.

Et ex ea celebritas.

Conjuratorum supplicium.

CIV. Consul, opperiri noctem, ne quid per eam novaretur, inutile ratus, triumviros capitales parare, quae pertineant ad supplicium, jubet: et, praesidiis dispositis, Lentulum e Palatio per sacram viam mediumque forum ipse ducit. Principes senatus consulem stipabant: populus, magnitudine rei attonitus, cum horrore et veneratione praeteribat. Ut ventum ad carcerem est, demisso in Tullianum Lentulo gula laqueo frangitur. Idem fit Cethego, Statilio, Gabinio, et Cepario, quos praetores adduxerant. Consul, spectato supplicio digrediens, quum frequentem adhuc in foro videret turbam, velut noctem efferingendi carceris caussa exspectantium, alta voce pronunciavit, *vixerunt:* hoc enim verbo ad mortis evitandum omen veteres utebantur.

Ciceroni maximi honores exhibentur, servata patria.

CV. Demum deinde jam coepta nocte redeuntem cum plausu et laetis acclamationibus deduxit populus; matronis etiam honoris ejus caussa, simulque servatorem urbis videndi cupidine, de tectis efferentibus faces. Prosequebantur eum primarii viri, gestis praeclare rebus, et triumphorum splendore nobiles: quibus non alius inter eundum sermo erat, quam *se quidem et similes alios imperium protulisse populi Romani; servatum populum Romanum cum imperio et imperatoribus, unius Ciceronis opus esse. hunc, non exercitu, neque vi militum, sed suis consiliis rogataque nixum industria, tantum incendium, quo conflagratura opulentissima post homines natos civitas fuerit, quinque admodum noxiorum sanguine restinxisse.*

Parens patriae vocatur.

CVI. Neque deinceps aut in rostris, aut in curia minus ei honoris ab optimo quoque delatum est. Cato certe

Cap. CIII. Sallust. Dio, etc. Plut. Cic. Sallust. Vell. 2, 35.
Cap. CIV. Appian. Sallust. Plut. Cicer. Sallust. Plut.

certe pro concione, deinde Q. Catulus frequentissimo senatu, *parentem patriae* nominarunt: non ut postea Caesares idem vocabulum, et quidquid tribuere adulatio potest habuerunt, sed integra libertate. L. Gellius vir censorius, *civicam ei coronam deberi*, dixit, *a republica.* U. c. 689. A. C. 63.

CVII. Quum hic bonorum omnium sensus esset, exortus est Q. Metellus Nepos, qui, tum tribunatu recens inito, cum L. Bestia collega, et designato praetore C. Caesare, Ciceronis acta laceraret. Is pridie Kalendas Januarias abeuntem magistratu verba facere ad populum vetuit, *ei, qui in alios animadvertisset indicta caussa, dicendi potestatem fieri non oportere*, dictitans: tantummodo jurare permisit. Tum Cicero, ut insultaret inimicorum pravitati, non sollenne magistratum ejurantium carmen, sed hoc magna voce juravit, *rempublicam atque Romam urbem sua unius opera esse salvam.* Nec indelectatus ea calliditate populus, magna voce et ipse juravit, *vere hoc ab illo juratum esse.* Ea res adversarios ejus momordit vehementer, utque se magis etiam contra eum interderent, stimulavit. Sed Ciceronis, ut ipse deinde in senatu dixit, is domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui cum illo esset, civium esse in numero videretur. *Ciceronis magistratu abeuntis jusjurandum.*

CVIII. Nec sane tanto viro nimius haberi honor poterat, cujus consulatui nullum alium omni memoria conferendum reperio. nam ceteri saepe domi bellive egregiam operam navarunt reipublicae, sed magnis plerumque praesidiis instructi. hic, sibi praecipue innixus, adjutus a paucissimis, oppugnatus a magno audacissimorum hominum agmine, et adhuc amplius latentes adversarios timens, atrocissimam post homines natos vaferrimamque conjurationem eruit industria, debilitavit facundia, virtute constantiaque singulari superavit. *Ciceronis consulatus omnibus aliis praefertur.*

Cap. CVI. Appian. et Plut. Cic. Pis. c. 3. Plin. 7, 30. Juven. Sat. 8. v. 243. Cap. CVII. Cic. in Pis. Plut. Cicer. Cic. ad Fam. 5. ep. 2. Plut. et Dio. Cic. ad Fam. 5. et in Pis. Dio. Cic. in Pis.

EPITOME

LIBRI CENTESIMI TERTII.

Catilina a C. Antonio proconsule cum exercitu

A C. Antonio proconsule] Recte *proconsule*. nam, ἐν ἀρχῇ εὐθὺς τοῦ ἔτους, ἐν ᾧ Ἰούνιός τε Σιλανὸς καὶ Λούκιος Λικίννιος ἦρξαν, periisse Catilinam, testatur Dio [37, 47.] J. FR. GRON. Praepositio omittitur in Voss. Ceterum Gronov. in ed. anni 1665. legendum conjecerat *consule*, quod in Addendis ipse damnavit; substitutis, quae hic ejus nomine leguntur.

Cum exercitu caesus] Vet. lib. *caesus est*. SIGON. Similiter omnes Msti mei, Exc. Pithoei, et edd. principes. Aldus demum τὸ *est* omiserat.

Quod in habitu mulieris sacrarium; in quod virum intrare nefas est] Vet. lib. *in sacrarium*. SIG. Pall. *in quo*. Fuit forte, *in sacrarium, quo*. GRUT. *in mulieris habitu* Exc. Pithoei, Norv. omnesque excusi ante Gronov. qui anno 1665. invertit ordinem, et edidit *in habitu mulieris; cum eo autem faciunt* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et ed. Campani. at insuper *in habitu muliebri* Boend. quod verum puto. Cic. 1. ad Att. 12. *P. Clodium Ap. filium, credo te audisse, cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris*. et Epist. 13. *Credo enim te audisse, quum apud Caesarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum*. Suet. Caes. 6. *Quem inter publicas ceremonias penetrasse ad eam muliebri veste tam constans fama erat*. Deinde *in sacrarium* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Supra Epit. 31. *In sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis intraverunt*. ubi vide, quae notantur. Praeterea *in quo* codd. nostri, Norvic. et primae edd. usque ad Moguntinos, qui *in quod* dederunt. Sed nec male Gruterus, deleta praepositione, *quo* scribendum, conjecit: ut τὸ *in* perperam repetitum sit ex litera ultima vocis praecedentis. V. ad 37, 11, 4. Quamvis autem in hoc auctore vix elegantiae captandae videantur, ita tamen evitabimus ingrate ter repetitam praepositionem *in habitu muliebri in sacrarium, in quod*. Denique *nefas erat* Voss. a manu pr. *nefas esset* Boend. et ed. Camp.

Intrasset, quumque uxorem Metelli pontificis stupravisset, absolutus] Cicero, Plutarchus, Suetonius, omnes denique Caesaris pontificis maximi uxorem fuisse credunt, non Metelli. Itaque non est credendum, in tam nota historia lapsum esse auctorem; verum, ut multos alios, sic hunc locum a librariis esse vitiatum. Ego vero sine dubio legendum esse duco *maximi pontificis*. Errandi caussa orta est ex compendiosa scriptura. Nam, cum paucis literis scriptum esset *M. pont.* imperitus ille, qui descripsit, interpretatus est *Metelli*, cum *maximi* ea vox significaret. SIGON. Voss. et Gudiani:

caesus est. P. Clodius accusatus, quod in habitu muliebri in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset, et uxorem maximi pontificis stuprasset, absolutus est. C. Pontinius praetor Allobrogas, qui rebellaverant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Caesar Lusitanos

cum intrasset, et uxorem: deinde *stuprasset.* Tollenda nimirum copulativa, *cum intrasset, uxorem maximi pontificis stuprasset.* J. FR. GRON. Vulgata lectio comparuit demum in ed. Moguntina. Priores tantum non omnes habent *cumque intrasset, uxorem Metelli Pontii stupravisset*; nisi quod in quibusdam sit *Metelli Ponti*, vel *Metelli Pon.* ut habet etiam Norv. *cum intrasset, cumque uxorem Metelli pontificis stupravisset* Exc. Pithoei. *cum intrasset, et uxorem Metelli pontificis stuprasset* Berg. et Lov. 2. *intrasset, et Metelli pontificis uxorem stuprasset* Leid. *intrasset, et uxorem Metelli pontificis stuprasset* Boend. et ed. Campani. Nomen Metelli hic vitiosum, et errorem inde natum esse, quod, quum hic pontificis maximi nomen desideraretur, aliquis historiae inperitus *Metelli* nomen scripserit, qui pontifex maximus ante Caesarem fuerat, monuit Manut. ad Cic. 1. ad Attic. 12. Emendo igitur *intrasset, et uxorem maximi pontificis stuprasset.* Praetores *absolutus est* primus edidit Gruterus. Nec aliter inveni in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Campani. Reliquae edd. ignorant *τὸ est.*

Cn. Potitius praetor Allobroges) Hic praetor fuit consule Cicerone, ab eoque et Sallustio *C. Pontinius*, a Dione Γάϊος Πομπτίνιος et Πομπτίνιος dicitur. Idem etiam post triumphavit ex Gallia. Ego *C. Pontinium* scribo. SIGON. Ante haec verba ultimam hujus epitomes periodum inserendam censuit Sigonius. Vide ad ea verba. Praetoris, a quo Allobroges domiti sunt, nomen varie in vetustis edd. et Mstis exaratur. *Cn. Pontirius* est in edd. Rom. anni 1472. et Parm. *Cn. Pontitius* in proximis, et cod. Norvic. pro quo Mediol. anni 1505. *Gn. Pontius*, Ascensius anno 1510. *Cnae. Potitius* dederunt, probantibus Ascensii lectionem recentioribus usque ad Sigonium. Is autem *C Pontinius*, Gruterus *Cn. Pontinius* reposuerunt. *Cn. Pompejus* praeferunt Boend. et ed. Campani; *Cn. Pontinus* Leid. et Lov. 2. *Cn. Pontius* Berg. *C. Pontinus* Voss. *C. Pontinius* Exc. Pithoei. Ex lapidibus etiam nihil certi erui potest. Nomen enim hujus gentis *Pontinius* et *Pontinus* scribitur apud Gruter. *Pontinius* apud Reines. *Pomptinius* apud Fabrett. pag. 640. et Donium class. 2, 189. ad class. 16, 14. *Pontinius* in nummo, victoriam et triumphum hujus praetoris de Allobrogibus celebrante, quem edidit Goltzius in Fast. ad A. V. 1oexcix. Praetorem hunc *C. Pomtinum* dictum censet Cortius ad Sall. Catil. 45. *C. Pomptinium* Oudend. ad Front. 2, 4, 7. *C. Pontinium* Crevierius ad h. loc. cujus exemplo ita etiam hic edidi. Ceterum *Allobrogos* Leid. et Boend. a manu pr. *Allobrogas* Berg. Lov. 2. et ed. Campani. V. ad Epit. 61.

subegit: eoque consulatus candidato, et captante rempublicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompejum, M. Crassum, C. Caesarem. Leges agrariae a Caesare consule cum magna contentione, invito senatu, et altero consule M. Bibulo, latae sunt. C. Antonius proconsul in

Ad Solonem domuit] Σολώνιον vocat Dio Caſſ. 39, 51. *ad Salonem* edidit Doujatius, sed verisimiliter operarum errore, quia in notis nihil monuit, et in Supplementis Freinshemii urbem ex auctoritate Dionis *Solonium* vocat. Errorem editionis Doujatianae servarunt Clericus et Crevierius. *ad Solonem* codd. noſtri servant; nisi quod *a Solone* sit in Voſſ.

P. Clodius ad plebem transit] *transit* Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Ita saepe variant librarii. Vide ad 1, 27, 4. 2, 48, 4. 3, 52, 1. 4, 16, 3. 5, 33, 2. 6, 2, 14. 22, 13, 1. ad Epit. 24. 46. 106. et 107. Similia alia vide ad 86, 20, 3. Mox *ergoque consulatus candidato* Voſſ. *eoque candidatu*, omiſſa media voce, Boenderm. a manu pr. *candidato* a manu sec.

Conspiratio inter tres principes civitatis] *conspiratio civitatis inter tres principes* Voſſ. Vox *tres* omittitur in Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. sed intercepta videtur ab ultima syllaba vocis praecedentis. *civitatis principes* Berg. et Lov. 2. Mox *et Caesarem* Voſſ. *et C. Caesarem* Boend. Exc. Pithoei, Norv. et editi ante Gruter. qui copulam ejecit. Eam ignorant etiam Leid. Berg. et Lov. 2.

Leges agrariae a Caesare consule cum maxima contentione] Voſſ. et Gudiani *magna*. J. FR. GRON. Praepositio *a* deeſt in Leid. vox *consule* in Boend. cujus loco *censore* perperam praefert Voſſ. Dein *magna* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Vulgatum servant Exc. Pithoei, et Norvic. Vide supra ad Epit. 50.

C. Antonius proconsul] *M. Antonius* Voſſ. et Berg. Sed male. Intelligitur enim Antonius Ciceronis in consulatu collega, qui *Caji* praenomen habuit. Ejus res geſtas vide apud Dion. Caſſ. 38, 64.

Lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset] *ab Ap. Claudio* Boend. ed. Camp. et, ut Hearne teſtatur, Romana princeps. *a P. Claudio* Norv. *ab P. Claudio*, vel *Clodio*, editiones memoratis proximae. *a P. Clodio* Aldus dedit. Vox *lata* omittitur in Leid. Deinde *quia indemnatos* Boend. Norv. et edd. ante Sigonium, qui emendavit *quod indemnatos*, ut exſtat in Leid. Voſſ. Berg. et Lov. 2. Tum *cives* deeſt in Leid. et mox verbum *est* in Voſſ. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei.

Helvetios, vagam gentem, domuit] *Etruscos* Voſſ. Tum *gentem vagam* Berg. Lov. 2. Boend. et edd. ante Gruter. Paullo ante vox *Caesar* exsulat ab Exc. Pithoei.

Per provinciam Caesaris Narbonem iter facere] Lege *per provinciam Caesaris Narbonen-*

Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero, lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset, in exsilium missus est. Caesar, in provinciam Galliam profectus, Helvetios, vagam gentem, domuit: quae, sedem quaerens, per provinciam Caesaris Narbonem iter facere volebat. Praesem. in aliam puta Galliam, quae non erat provincia. J. FR. GRONOV. Conjecturam Gronovii in contextum recepit Clericus, non monito lectore. Sed *Narbonem* servant omnes scripti, praeter solum Leid. qui vocem illam omisit. Potest etiam abesse, quia jam praecesserat, *Caesar in provinciam Galliam profectus*. Forte igitur ex margine in contextum inrepsit. Sequentia *Praeterea situm Galliarum continet* non adparent in Leid. quae rectius in omnibus reliquis supersunt. Verius enim videtur, Livium ad exemplum Caesaris, antequam belli cum Gallis gesti fata recenseret, brevem Galliae descriptionem praemisisse, ejusque auctorem Epitomarum nominatim mentionem fecisse, quemadmodum etiam ratione Germaniae fecit in initio lib. seq. *Prima pars libri situm Germaniae moresque continet.*

Pompejus de liberis Mithridatis, Tigrane, et Tigranis filio, triumphavit] Haec verba non puto suo loco sita esse. Ut ita sentiam, me impellit, quod Cicero lib. 1. ad Atticum, Plinius lib. 7. c. 25. et lib. 38. c. 2. Capitolinorum triumphorum scriptores, et reliqua omnia Romanae historiae monumenta loquuntur, Cn. Pompejum de Mithridate et Asia triumphasse, Pisone et Messalla consulibus. In hac autem epitoma triumphus post Gabinii et Pisonis consulatum, quo anno Caesar se scribit in Galliam venisse, et cum Helvetiis pugnasse, id est, post tertium annum, collocatur, cum tamen in eadem ante triumphum Pompeji mentio fiat conspirationis factae inter Pompejum et Caesarem, quae Pompejo praesente ante consulatum Caesaris facta est. Librarii tamen et hunc errorem fuisse, pro certo habeo. Nam, qui *Cn. Pompejus* etc. erat scripturus, per incuriam oculis ad Pontinium conjectis, *Cn. Pontinius* scripsit, et quae sequuntur. Post autem, cum intelligeret, se Pompeji triumphum temere praetermisisse, eundem ipsum in fine Epitomae collocasse. Est autem triumphus Pompeji rebus a Pontinio gestis anteponendus. SIG. Non inepte disputat Sigonius haec suo loco posita non esse. Sed et in historia vitium est. Cur enim de liberis potius Mithridatis, quam de ipso? Res est: *Pompejus de Mithridate, ductis ante currum Mithridatis liberis, et Tigrane Tigranis filio, triumphavit.* J. FR. GRON. Ordinem temporum hic non observari, ac Pompejum de Mithridate aliisque in oriente devictis diu ante initium belli Gallici triumphasse, certum est. Id vero utrum librariis, ut Sigonius existimat, an ipsi Epitomarum auctori adscribendum sit, incertum puto. Ab utrisque enim in hac re erratum esse, ex superioribus libris non uno in loco constare potest. Vide ad Epit. 2. 5. et alibi. Quum ta-

terea situm Galliarum continet. Pompejus de liberis Mithridatis, Tigrane, et Tigranis filio, trium-

men haec periodus in omnibus Mstis constanter in finem Epitomes rejiciatur, verisimilius est, errorem ab auctore Epitomarum commissum esse. Ceterum Gronovii conjectura convenit aliorum relationibus. Eutrop. 6, 16. *Triumphavit Pompejus de bello piratico et Mithridatico. Nulla umquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante ejus currum filii Mithridatis, filius Tigranis, et Aristobulus rex Judaeorum.* Adde Appian. in B. Mithrid. 252. et Plutarch. in Pomp. 642.

Magnusque a tota concione consalutatus est] Quando et a quo Pompejus cognomen *Magni* acceperit, varie traditum est. Plutarchi, Appiani et Auctoris Epitomes Livianae diversas sententias refert Illustris Spanhemius ad Juliani Caesares p. 167. ed. Amstel. Cum Plutarcho, qui in vita Pompeji narrat, eum, ex Africa victis Marianis reversum, a Sulla *Magnum* appellatum fuisse, convenit, quod Plinius 7. Hist. Nat. 26. scribit, eum, Africa subacta, *Magni* nomen in spolium inde cepisse. Nec contrarium ei, quod in Pompejo dicit Plutarchus, est, quod apud eumdem in Crasso legitur, a populo *Magnum* cognominatum fuisse. Nam hoc ita accipi potest, quum sive a Sulla, sive a militibus in Africa, quod quidam tradiderunt, ita consalutatus fuisset, populum deinde propter benevolentiam erga eum vulgo cognomen illud usurpasse. Appianus in princ. Mithridaticorum et 2. Civil. pag. 285. eum a rebus adversus Mithridatem gestis id consecutum auctor est. Deinde in Mithridatic. p. 238. conjecturam adfert, forsitan in de ortum fuisse, quod ei post confectum bellum piraticum imperium, quale numquam cuiquam ante eum, nimirum lege Manilia, datum, id est, ut Plutarchus dicit, universum imperium Romanum unius potestati subjectum fuerat; quod non faciendum putabat Hortensius apud Cic. pro L. Manil. cap. 17. Spanhemio maxime probabile videtur, quod in hac Epitoma scriptum est, ob rationem non contemnendam, quae apud eum legi potest. Sed Livius 30, 45. quem locum idem observavit, hoc cognomen ab adsentatione familiari coeptum fuisse celebrari putavit. Hoc consideratione dignum esse arbitror, non solum, quia quodammodo e Plutarcho in principio vitae Pompeji confirmari potest; sed etiam, quia Livius, aliquot annis ante mortem Pompeji natus, non ignorare potuit originem hujus cognominis, et quia Sallustius quoque, prope aequalis Pompejo, eamdem indicasse videtur lib. 3. Histor. e quo Nonius in v. *Aemulus*, et in *Accusativus pro genitivo* haec descripsit: *Sed Pompejus, a prima adolescentia sermone fautorum similem se fore credens Alexandro regi, facta consultaque ejus quidem aemulatus erat.* Nec absurde credi potest, Sullam, cui adulatio illi adsentantium familiarium non poterat non nota esse, eum, post rem egregie in Africa gestam, eodem cognomine, tamquam eo dignum, appellasse; deinde eum vulgo ita dici coepisse; ac postremo, quum post triumphum de rebus a se gestis apud populum, ut mos erat, disseruisset, a tota concione *Magnum* consalutatum fuisse. Harduinus ad d. l. Plinii scribit, Suetonium

phavit: Magnusque a tota concione consalutatus est.

prodidisse, Pompejum id cognominis ex Ponto, non ex Africa, retulisse. Rectius Appianum dixisset; ut liquet Suetonium in Caes. cap. 35. et Appianum lib. 2. Civil. pag. 485. inspicientibus. DUKER. *salutatus* Voss. Lov. 2. et Boend. Male. Livius 1, 7, 1. *Utrumque regem sua multitudo consalutaverat.* ubi vide. 22, 30, 2. *Circumfusosque militum ejus totum agmen patronos consalutasset.* Deinde τὸ *est*, quod omiserunt quaedam veterum editionum, recte itérum addiderunt Moguntini. Superest enim in omnibus meis MSis.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXVIII.

IN LOCUM LIBRI CIII. T. LIVII.

U. c. 690. A. C. 62. D. Junio, L. Licinio coss.

Metellus Ciceronem, Caesar Catulum vexat.

I. Turbulentum et atrocem annum excepit D. Junii M. F. Silani, L. Licinii L. F. Murenae consulatus, sicut periculorum oppressa majori parte tutior, ita reliquo adversus Catilinam bello, et gliscentibus in urbe discordiis, futurorumque exspectatione, haud minus laboriosus et minax. Kalendis Januariis, quum senatum novi consules convocassent, Q. Metellus tribunus plebis, Ciceronem vellicans, vicissim acriter est ab illo reprehensus. Et C. Caesar primo praeturae die Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, promulgata rogatione, qua curatio ea in alium transferretur, ut Catulum honore dedicationis depelleret.

II. Sive enim quaedam adhuc, ut ex tanto opere, imperfecta restabant, et depressae sub area cellae plures gradus, paremque fastigio suggestum fieri non erant passae, sive hoc fingebat Caesar; id certe agebatur, ut, peculatus praescriptione remoto Catulo, Pompeji nomen operi absoluto praescriberetur. In ea contentione tam contumeliose tractavit primarium virum, ut purgare se volentem ex inferiore loco juberet dicere. Sed, optimates, relicto novorum consulum officio, frequentes accurrisse videns ad resistendum, hanc quidem actionem deposuit: Metelli turbulentissimas actiones pertinaciter coepit defendere, infimae plebi totum se adplicans, quae res novare cupientibus in omni magna civitate paratissima semper materies fuit.

Optimates Catulum defendunt.

Cap. I. Cic. ad Fam. 5, 2. Sueton. Caes. c. 15. et Dio, l. 37. Cap. II. J. Ryck. Comment. de Capitol. Rom. Dio. Cic. ad Att. 2, 24. Sueton. Plut. Cat. Min.

III. Igitur M. Porcius Cato, minime alias largitor, ut eriperet homini populum, auctor Patribus dividendi in egenos cives frumenti fuit. Ea res licet constaret trecenties sestertium annui sumptus, tamen quietam eo anno rempublicam a formidata Caesaris praetura praestitit. atque is, post aliquot experimenta, quum deseri se a turba videret, reliquum magistratus sui tempus modeste et civiliter exegit. Sed haec paullo post referentur, ubi Catilinae et copiarum, quas secum habebat, exitum tradidero. U. c. 690. A. C. 62. *Cato frumenti dividendi populo fit auctor.*

IV. Is jam ex omni numero hominum, quos aut ipse adduxerat, aut coactos repererat a Manlio, duabus expletis legionibus, eventum consiliorum suorum in urbe exspectabat. Ubi deprehensa ea disturbataque, et principes conjurationis supplicio adfectos didicit; simul, ob eam rem multis deficientibus, res suas quotidie fieri imbecilliores, priusquam relinqueretur ab omnibus, per montes arduos in agrum Pistoriensem duxit, fugam in Galliam trans Alpes moliens. *Catilina fugam in Galliam molitur.*

V. Sed, intellecto ejus consilio, Q. Metellus Celer, castris ex agro Piceno propere motis, in radice montium, qua descendendum Catilinae erat, consedit. Interea et C. Antonius adfuit, qui cum magno exercitu sequutus fugientem fuerat. Ibi Catilina, locorum ingenio geminisque hostium castris clausus, quamprimum statuit decernere, in Antonium versus: quamquam ille dignitate praestabat, majoribusque et melioribus, quam Metellus, copiis erat instructus. Sed, quia non alienum a pravis consiliis noverat, futurum aliquid sperabat, quo ille ultro victoriae occasionem corrumperet. Neque dubitatum est, lentius periculosiusque futurum bellum fuisse, nisi M. Petrejus et P. Sextius cunctanti Antonio stimulos ad rem gerendam admovissent. *Sed impeditus ab Antonio,*

VI. Quaestor Antonii Sextius erat; Petrejus legatus, vir mirifico rei militaris usu, qui amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat. unde summa ipsi apud milites auctoritas; simul amor, quod noverat plerosque, et fortia eorum facta subinde com- *Pugnam init.*

Cap. III. Plut. Caes. et Cat. Cap. IV. Sall. Catil. c. 56. Dio. Sallust. Plut. Cicer. Jul. Obseq. Cap. V. Cassiod. Chron. Appian. Civil. l. 2. Sallust. Dio. Cic. pro Sext. c. 5. Cap. VI. Sallust.

U. c. 690. A. C. 62. memorabat. Is igitur, exploratis omnibus, (nam Antonius, pedibus aeger, aut simulato morbo, proelio non adfuit) signum pugnae proposuit.

Victorque occiditur. VII. Numquam certatum est pertinacius. Catilinae exercitus, quamquam viribus impar, quum perire unusquisque proelio, quam supplicio, mallet, fugae immemor, vita citius, quam loco, depelli potuit. Manlius, in primo dimicans, post insignem editam pugnam cecidit. Catilina, post expletas boni militis imperatorisque omnes partes, ubi se relictum cum paucis vidit, in confertissimos hostes impetu facto, longe a suis occisus est. ceteri quoque omnes, tria circiter hominum millia, ad unum pugnando interfecti: neque quisquam ingenuus civis aut inter proeliandum, aut in fuga captus est. Ex Antonianis quoque haud paucos pugna tam pertinax absumpsit. Antonius ex eo proelio, licet minore hostium interfecto numero, quam ob quem hic honor dari consueverat, *Imperator* est appellatus; triumphum tamen non petiit.

Metellus Creticus triumphat. VIII. At Q. Caecilius Metellus Creticus, ex Apulia reversus, ante diem Kalendas Junias triumphans urbem iniit; serius, quam meruerat, ob ejusdem Pompeji invidiam, qua et Luculli fuerat triumphus retardatus. Quin et Panarem Lasthenemque, praecipuos Cretum duces, ne in triumpho currum Metelli praecederent, per quemdam tribunum plebis eripuit Pompejus, suos dedititios esse caussatus.

IX. Ceterum in urbe, capite Catilinae viso, (nam illud certae securitatis pignus Antonii jussu adlatum fuerat) supplicatio decreta, quod alias ex civili bello fieri non solebat: et, sagis positis, ad priorem vestitum civitas rediit. C. Antonius statim in provinciam suam Macedoniam, reliqui etiam in suas provincias sunt profecti. Galliam cis Alpes Metellus Celer habebat: Transalpina C. Pontinio cessit. Hispaniam C. Cosconius, Q. Pompejus Africam sortiti sunt. L. Valerius Flaccus in Asiam est missus.

Reliquiae conjurationis opprimuntur. X. Reliquiae deinde conjurationis, quum, ne quiescere possent, metu suppliciorum praecipites agerem-

Cap. VI. Dio. Sallust. Cap. VII. Appian. Flor. Sallust. Liv. Epit. Plut. Dio. Sallust. Dio. Val. Max. 2, 8. 7. Cap. VIII. Eutrop. l. 6. Fasti Capit. Sall. Cat. c. 30. Vell. 2, 34. et 40. Dio, l. 36. Cap. IX. Dio, l. 37. Jul. Obseq. Pigh. Ann. Cap. X. Dio.

tur, diversis Italiae regionibus sunt exstinctae. Praecipui in his C. Marcelli fuerunt, pater et filius, sed alterum in Peignis, alterum in Bruttiis, M. Bibulus, Q. Cicero praetores oppresserant. De his motibus L. Vettii equitis Romani indicio fuerat cognitum: quod, ab initio salutare, mox varie corruptum, magnas et ipsum in civitate turbas excitavit. Multi enim adfines conjurationi protracti sunt, partimque morte, alii pecunia condemnati. quod tempus ab inimicis Ciceroni postea objectum est, quasi *domi suae judicia legis Plautiae exercuisset cum uxore Terentia*: cujus alioquin id erat ingenium, ut cupide se publicis negotiis ingereret. Sed Vettius, quum tabulam senatui exhibuisset, qua socios Catilinae dicebat contineri, ex intervallo eam repetiit, plures adscripturus. Enimvero Patres, hoc anceps et fraudibus opportunum rati, tabulam, ne forte etiam nomina quorumdam expungeret, non reddiderunt: ipsum, si quos praeterea indicaturus esset, voce jusserunt edere. Sic ille, pudore et metu perfusus, pauca addidit nomina.

U. c. 690. A. C. 62.

Vettius conjurationis index.

XI. Sed apud Novium Nigrum quaestorem ab eodem Vettio C. Caesar erat compellatus: quem etiam Q. Curius, cui primo Catilinariae conjurationis indici decreta praemia erant, in senatu nominaverat. Id vero intolerabile Caesari visum. Idcirco, Ciceronem in senatu testatus, *ad quem ultro quaedam de illa conjuratione detulisset*, effecit, ne praemia Curio darentur. Vettium, pignoribus captis et direpta suppellectile, male multatum, et pro rostris in concione pene discerptum, conjecit in carcerem: eodem et quaestorem Novium, quod majorem apud se potestatem compellari passus esset. Ab eodem indicio et per Italiam multa sollicitudo exstitit: dum etiam, qui non erant nominati, ne essent, metuunt, aut aliorum suspicione notarentur. Idcirco senatus, publicata Vettii tabula, securitatem ceteris et quietem praestitit. at, qui nominati erant, vocati in judicium, et praesentes, absentes condemnati sunt.

Etiam C. Caesarem nominat.

XII. Nec desinebat Ciceronem accusare Nepos, senatum oblique petens, cui negabat permissum, injussu populi civem occidere. Ceterum, facto senatuscon-

Metelli Nepotis actiones pravae.

Cap. X. Oros. 6, 6. Dio. Cic. ad Att. 2, 24. Dio. Sull. in Cic. Plut. Cic. c. 36. Dio. Cap. XI. Sueton. Caes. c. 17. Dio.

U. c. 690. A. C. 62. sulto, *ne cui pestilentes et in conjuratione deprehensos necasse fraudi foret*, additoque, *si quis contra haec periculum cuiquam faxit, eum senatui pro hoste futurum;* ista calumnia citra majorem tumultum conquievit.

Ei Cato resistit,

XIII. Illa Metelli ejusdem rogatio maximas turbas dedit, qua Pompejus una cum exercitu ad constituendam rempublicam vocabatur. hoc maxime modo Ciceronis se potentiam infracturos rebantur, uti salutarem reipublicae, ita novatoribus importunam. Metello inter pertinacissimos propugnatores C. Caesar aderat: Patrum seniores resistebant, et amplissimus quisque maxime. his firmissimum praesidium in animo Catonis erat: qui, jam a principio Metelli provisis consiliis, non alia de caussa, quam ut his occurreret, tribunatum petierat.

Tribunatu propter hanc caussam petito.

XIV. Forte cum amicis quibusdam et librorum supellectile proficiscebatur in Lucaniam, ubi praedia non contemnenda possidebat: quum, jumentorum sarcinarumque et servorum magna multitudine obvia, Metellum Nepotem in urbem ire didicit, tribunatus petendi caussa. Idcirco, quum paullisper restitisset cogitabundus, praecepit suis convertere iter. Mirantibus, qui aderant, *Non intelligitis*, inquit, *stoliditatem Metelli, bonis ultro formidabilem, nunc voluntate Pompeji velut amento concitatam, in rempublicam ferri? Minime vero hic cessandi locus est, sed aut reprimendus ille mihi, aut pro libertate moriendum.* Nam adfinis Pompeji Metellus omnia ex ipsius nutu facere facturusque videbatur. praeterea moribus erat improbis, unde et cognomentum ei *Nepotis*, licet a majoribus acceptum, mire congruebat. Profectus tamen, hortantibus illis, quo intenderat, nec multo post reversus in urbem, petiit tribunatum, et una designatus est.

Sed primo cum eo leniter agit.

XV. Hic igitur, Metellum in senatu compellans, non egit vehementer et illo Catoniano spiritu, sed praeter morem lenis, etiam ad preces devolutus, admonuit, *ne familiae suae decus, quae semper optimarum partium fuisset, abjiceret.* At illi, postquam rogari sensit, crevit animus: Catonisque domitam libertatem cedere sibi et succumbere putans, eo prorupit temeritatis, ut, *vel invito senatu, coepta exsequuturum*, dice-

Cap. XIII. Plut. Cicer. Sueton. Caes. c. 16. Dio. Plut. Cic. Plut. Cat. c. 27. Cic. pro Mur. c. 38. Cap. XIV. Plut. Cic. ad Fam. 5, 2. Val. Max. 9, 14, 4. Plut. Cat.

ret. Tum vero, mutato oris habitu, et vocem ac orationem a priori mansuetudine ad contentionem et vehementiam revocans Cato, acerrime cum illo disputavit de republica. postremo adjecit, *Pompejum armatum, se vivo, venturum in urbem non esse.* Ambo exivisse de potestate videbantur: sed Metellus quadam infernali rabie concitari; Cato coelitus adflatum furorem furere. U. c. 690. A. C. 62.

XVI. Quum deinde cum populo agendi dies adesset, in quem Metellus atque Caesar vim et arma paraverant, magnusque conflictus exspectaretur; domesticos anxios Cato confirmavit, coenaque de more sumpta quievit ita tranquille, ut a Q. Minucio Thermo collega, arcte dormiens, excitaretur. Cum hoc ad templum Castoris progressus, conspecta armatorum multitudine, *Homines*, inquit, *timidos et nequam, qui contra unum et inermem tantum praesidium compararunt!* Hoc dicto, perrumpens per densam circumstantium turbam, Minucio comite, et Munatium amicorum intimum manu vix pertrahens, ceteris exclusis omnibus, medium se Metello et Caesari interposuit, quo colloquium eorum dirimeret. *Mox vehementissime pugnans.*

XVII. Ibi omnibus de vita ejus timentibus, cum Thermo collega intercessit legi. Metellus ferre perseverabat. illi recitare scribam vetuerunt. Tum, arrepto codice, Metellus instituit recitare: Cato ei extorsit codicem. Metellus, qui memoriter tenebat verba legis, nihilominus eam populo satagebat exponere: quum Thermus opposita manu compressit os homini, farique prohibuit. Ibi Metellus, constantia virorum cognita, signo dato excivit armatos. hoc metu quum omnes diffugerent, solus Cato resisteret; saxis et fustibus petebatur. At consul Murena, quamquam accusatus a Catone nuper fuerat, obtenta toga pervicit, ut jacere cessarent, Catonemque secum in aedem Castoris abduxit. *Catonis periculum.*

XVIII. Metellus, vicisse ratus, et legem sine impedimento perferendam, discedere jussit armatos, iterumque coepit civiliter cum populo agere. Sed adversarii, subito recollecti, cum magno plenoque fiduciae clamore adfuerunt: vicissimque Metelli operae, venire illos arreptis alicunde armis rati, fuga facta va- *Et postremo victoria.*

Cap. XVI. Sueton. Plut. Cat. Cic. pro Sext. c. 29. Plut.
Cap. XVII. Cic. Dio. Plut.

U. c. 690. A. C. 62. *P. Clodii facinus in sacro Bonae Deae.*

XXIV. Sed, quasi gentilis sui suamque vindicatura injuriam, Pompeja Quinti filia, L. Sullae neptis, adulterandam se P. Clodio tradidit, simul publicis violatis ceremoniis. Quum enim, exeunte anno, domi praetoris Caesaris pro populo fieret, P. Clodius App. F. perditissimus adolescens, psaltriae vestitu in sacrarium (opertum vocabant) accessit: neque enim virum, interea dum Vestales ibi sacrum Bonae Deae facerent, fas erat interesse, aut omnino sub eodem tecto versari; in tantum ut picturas quoque masculorum animantium contegi mos esset. Inter haec tam horribilia arcana, mater Caesaris Aurelia, sororque Julia, cum ceteris matronis, P. Clodium, ancillam Pompejae opperientem, deprehenderant; velatisque continuo sacris, a mulieribus domo exactus est.

XXV. Eam rem eadem statim nocte viro quaque suo indicantibus, cum luce per totam urbem percrebuit, magnum et atrox admissum piaculum esse. Sacrificium a virginibus instauratum est. In senatu mentionem faciente Q. Cornificio, senatusconsultum factum, *ea de re ad virgines et pontifices referri oportere:* ab his, *nefas esse*, decretum est. Deinde senatus, *quaestionem de pollutis sacris habendam*, censuit, *consulesque* (jam M. Pupius M. F. Piso Calpurnianus, M. Valerius M. F. Messala Niger iniverant) *rogationem ea de re promulgare* jussit. Caesar uxorem tanta coopertam infamia dimisit.

U. c. 691. A. C. 61. M. Pupio, M. Valerio coss.

Provinciae.

XXVI. Quum deinde de provinciis ornandis ageretur, C. Antonio, qui multa facere injuste et illiberaliter dicebatur, successor dabatur, ni fuisset a Cicerone defensus. Sic ille Macedoniam retinuit, Q. Metellus Galliam citeriorem, C. Pontinius Transalpinam. Utrobique bellum erat, ortum auctumve ex conjuratione Catilinaria: et Helvetios novis rebus studere nunciatum ab sociis. Igitur senatus censuit, *uti, quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo reipublicae facere posset, Aeduos ceterosque amicos populi Romani defenderet.* C. Caesar Hispaniam ulteriorem, Q. Tullius Cicero Asiam sortiti obtinuerunt.

XXVII.

Cap. XXIV. Sueton. Caes. c. 4. Cic. ad Att. 1, 12. et 16. Liv. Epit. Dio. Plut. Caes. et Cic. Plut. Quaest. Rom. Senec. Ep. 97. Juvenal. Sat. 6. v. 338. Cap. XXV. Plut. Caes et Cic. Dio. Cic. ad Att. 1, 13. Marian. Scot. Cic. Ascon. in Milon. Plut. Dio. Cap. XXVI. Sueton. Cic. ad Att. 1, 9. et ad Fam. 5, 6. Cic. de Prov. Cons. c. 13. Caes. de B. Gall. 1, 2. et 35.

XXVII. Dum ista maxime fiunt, Pompejus ad urbem venit, non, ut plerique crediderant, armatus; sed Brundisii dimisso, sic tamen ut ad tempus triumphi praesto esset, exercitu. Vitare invidiam et certamina maluerat, quae utraque praegravia et acerba imminebant. Nam, quae esset omnium de Marii Sullaeque actis sententia, non ignorabat: movebaturque, quod et M. Crassus cum liberis et pecuniis, velut vim Pompeji timens, ex urbe profugerat: et Cato, haudquaquam spernendus adversarius, tum alios principes, tum maxime Lucullum, ad resistendum Pompejo excitabat. Ferunt, Catonis tantam jam tum fuisse Pompeji aestimatione auctoritatem, ut ad hunc conciliandum, sibi filioque duas Catonis propinquas in matrimonium peteret: repudiatusque a Catone est, qui pararium ejus Munatium nunciare Pompejo jussit; *Catonem per feminas capi non posse: ceterum recte agenti ultro amicum et adjutorem fore.*

U. c. 691. A. C. 61. *Pompejus ad urbem venit.*

XXVIII. Sed hanc, undecumque profectam, Pompeji modestiam tantus hominum favor excepit, ut cum paucis et inermibus, tamquam ex qualibet peregrinatione, redeuntem adgregata per viam maxima hominum multitudo deduxerit, nihil magnopere desideraturum pristinas copias, si quid novare cupisset. Ex urbe quoque frequenter obviam itum: longissime a juventute; post hos, ut cujusque aetas aut dignitas tulerunt; proxime portam senatus occurrit.

Maximo favore hominum exceptus.

XXIX. Non erat obscurum, quamcumque in partem vir eo robore inclinasset, momentum ingens fore: idcirco, qui Clodium salvum volebant, non omiserunt ad hunc se protinus convertere. M. Piso consul, quam ipse ferebat ex senatusconsulto, de religione violata rogationem, amicitia Clodii adductus, antiquatam cupiebat. Ejus impulsu Q. Fufius tribunus plebis Pompejum in concionem produxit, quum die nundinarum in circo Flaminio maxima frequentia populi esset, quaesivitque; *Placeretne ei, judices a praetore legi, quo consilio idem praetor uteretur.* Pompejus, *senatus auctoritatem semper sibi maximam visam esse, ejusque decretis obtemperandum*, respondit. Ad extremum Fufius

In concionem producitur.

Cap. XXVII. Sueton. Caes. c. 18. Cic. ad Att. 1, 15. Plut. Pomp. Vell. 2, 40. Plut. Dio. Plut. Lucull. et Cat. Plut. Pomp. et Cat. Cap. XXVIII. Plut. Pomp. Vell. Plut. App. Mithrid. Cap. XXIX. Cic. ad Att. 1, 13. 14. 16.

U. c. 691. A. C. 61. obtinuit, ut de judicum genere (in quo erant omnia) ipsi concederetur.

Clodius accusatur. XXX. Accusavit Clodium tribunus plebis P. Lentulus Spinther, duobus ex eadem gente subscriptoribus usus. Q. Hortensius praecipue, ut haec sineret, auctor senatui fuit; infensus Clodio, et nullis illum aut judicibus, aut accusatoribus effugiturum putans. Itaque, ne Fufius rogationi consulum intercederet, ita transactum, ut ipse ferret eadem omnia, praeterquam ut judices a praetore legerentur.

Clodii facinora. XXXI. Testimonium in hoc judicio Cato et Cicero dixerunt: Clodius, *Interamnae se fuisse*, pugnabat, *qua die incestasse sacra diceretur*. Sed Cicero vere quidem, sed impulsus, ut putant, a Terentia, ut eum testimonio laederet, *Romae apud se fuisse*, juravit. Multi praeterea principum, perjuria ejus, testamenta supposita, Nisibenam seditionem, homines centuriatos, stupra matronarum atque virginum, suis testimoniis exposuerunt.

Incestus cum sororibus. XXXII. Lucullus etiam ancillas produxit, *adulteratam a Clodio sororem germanam esse*, quam de tribus minimam idem Lucullus in matrimonio habuerat. Putabatur etiam cum duabus reliquis sororibus suis consuetudinem stupri habere, quarum Tertia Q. Marcio Regi nupta erat, Q. Metello Celeri major Clodia, prostigatissimi pudoris femina, quam vulgus *Quadrantariam* cognominabat; quod ei quidam aliquando moechus, quum aureos dare putaretur, loculos quadrantibus impleverat. Eamdem et Catullo poëtae sub Lesbiae nomine fuisse adamatam, Apulejo prodente, cognovimus.

Judicium corruptum. XXXIII. Inter haec testimonia Caesar quoque citatus negavit, se quidquam comperisse: quamvis et mater Aurelia, et soror Julia, apud eosdem judices, omnia ex fide retulissent. interrogatusque, *cur igitur repudiasset uxorem? Quoniam*, inquit, *meos tam suspicione, quam crimine, judico carere oportere*. At judices, quum initio se valde severos exhibuissent reo, praesidium-

Cap. XXX. Plut. Caes. et Val. Max. 4, 2. 5. et Cic. de Har. Resp. c. 17. Cic. ad Att. 1, 19. Cap. XXXI. Senec. Ep. 97. Cic. ibid. et pro Domo, c. 40. et pro Mil. c. 17. Plut. Cic. Dio. Plut. Caes. et Cicer. Cap. XXXII. Apul. Apolog. Cap. XXXIII. Dio. Plut. Caes. et Cic. Appian. Civil. l. 2. Sueton. Caes. c. 74.

que ab senatu, non nisi damnaturis necessarium, postulassent; M. Crasso suscipiente negotium, pars major ita turpiter sunt corrupti, ut, praeter pecuniam, noctes etiam certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuisse, Cicero scripserit. Igitur Q. Catulus, quum vidisset eorum aliquem, *Quid vos*, inquit, *praesidium a nobis petebatis? an, ne nummi vobis eriperentur?* U. c. 691. A. C. 61. *Catuli de eo dictum.*

XXXIV. Neque diu post Catulus senex admodum exstinctus est: vir summis honoribus in republica usus, optimarum semper partium, et incorrupta integritatis fama. Paullo ante mortem dedicato Capitolio consummasse felicitatem vitae visus est, praecipuo tum honore, et usque ad aliud incendium Vespasianique tempora mansuro.

XXXV. Nec omiserim, quae tum ei per somnium oblata futuri species dicitur. Namque post dedicationem duabus continuis noctibus somniasse dicitur: prima Jovem optimum maximum, praetextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secrevisse, atque sigillum Romae, quod manu gestabat, in ejus sinum deposuisse. at insequenti, animadvertisse se in gremio Capitolini Jovis eumdem puerum: quem quum detrahi jussisset, prohibitum monitu Dei, tamquam is ad tutelam reipublicae educaretur. Ac die proximo, quum adoraturus in Capitolium adscendisset, obvium sibi C. Octavium, qui postea est Augustus appellatus, numquam antea visum, non sine admiratione contuitus, similem dixit puero, de quo somniasset. Quidam aliter somnium Catuli exponunt, sed eodem recidente significatu. *Ejus somnium de Augusto.*

XXXVI. Inter haec pons Fabricius, ad insulam Tiberinam pertinens, exstructus est: qui, ad nostram aetatem incorrupta structura, hanc inscriptionem pertulit; L. FABRICIUS C. F. CUR. VIAR. FACIUNDUM COERAVIT. *Pons Fabricius exstructus.*

XXXVII. Dum in urbe ista fiunt, Allobroges, quam diu volverant animis, rebellionem coeptavere, facto in Galliam Narbonensem impetu. Sed C. Pontinius, *Allobrogum bellum cum Pontinio.*

Cap. XXXIII. Cic. ad Att. 1, 16. Senec. ep. 97. Plut. Cicer. Cap. XXXIV. Dio. Tac. Hist. 3, 72. Cap. XXXV. Sueton. Aug. c. 94. Tertullian. de Anima, c. 46. Dio, l. 45. init. Cap. XXXVI. Dio, l. 37. Pigh. Ann. Cap. XXXVII. Liv. Epit. Dio, l. 37.

U. c. 691. A. C. 61. idoneo loco castra metatus, ut ad omnia, quae tempus postularet, praesto esse posset, Manlium Lentinum cum copiis ad oppidum Ventiam recipiendum misit. Ventini, repentino hostium adventu territi, oppidum reliquerunt. qui relicti erant, missis oratoribus petierunt pacem. Interea totis agris ad auxilium concurritur: fit in Romanos ex improviso impetus: oppidumque in potestatem Allobrogum redit.

Catugnatus Allobrogum dux. XXXVIII. Agrum tamen impune Romanus populabatur, donec multi ad Isaram flumen accolentium cum Catugnato, gentis universae duce, adfuerunt. Ibi Manlius, quum transitu prohiberi hostes, propter multitudinem navigiorum, non possent, veritus, si aperte strueret aciem, ne conferti unitique incumberent, in propinquis flumini nemoribus occultus consedit, ut dissipatos et sine metu se trajicientes exciperet. Satis feliciter processit aliquamdiu dolus. Sed ubi, fugientes quosdam insequutus, in ipsum Catugnatum temere incidit, cum omnibus suis perierat, ni repentina tempestas hosti suam occasionem eripuisset. Postea, Catugnato longius abscedente, rediit ad Ventiam Lentinus, obsessamque et oppugnatam vi cepit.

Romani vincunt. XXXIX. Ser. autem Galba et L. Marcius legati, Rhodano transmisso, populabundi agros Allobrogum, Solonium oppidum pervenerant, castello munito haud procul inde potiti. Occurrentes deinde hostes proelio fuderunt, oppidique partem incenderunt, (nam pleraque aedificia ligno exstructa fuerant) ne universam caperent, Catugnati superventu prohibiti. His rebus auditis, Pontinius cum toto exercitu movit, obsessosque hostes, praeter Catugnatum, in deditionem recepit.

Comitiorum ambitus. XL. Dum haec geruntur, Romae comitiorum fervebat ambitus, non sine gravi culpa Pompeji, qui, ut Afranium Metellumque consules efficeret, largitione magis, quam vel auctoritate, vel gratia, pugnabat. In eo negotio M. Pisone consule uti credebatur. Contra haec tam adulta vitia parum aut veteribus legibus, aut novis profectum est. Nam Lurco tribunus plebis de ambitu ferebat hoc novum, *ut, qui nummos in tribu pronunciarit, si non dederit, impune sit: sin dederit, ut, quoad vivat, singulis tribubus sestertium terna millia debeat.*

Cap. XL. Cic. ad Att. 1, 16. Dio, Plut. Cat. et Pomp. Cic.

Sed minime lex perlata. Comitia in ante diem undecimum Kalendas Sextiles dilata sunt. U. c. 691. A. C. 61.

XLI. Cato, ut semper, pugnabat pro republica, eodemque tempore propinquis, maxime mulieribus, quae repudiatam Pompeji adfinitatem aegre tulerant, probavit consilium suum; ostenditque, *siquidem accepta conditio foret, nunc ipsis una subeundam fuisse tantae turpitudinis infamiam:* quod in hortis Pompeji dividi pecuniam crebro vulgi rumore jactabatur. Ciceronem quoque mordebat, in Afranii honore consulatum suum sugillari: quem magistratum, velut usucaptum a nobilibus, duo novi homines Arpinates, C. Marius excellente belli gloria, M. Cicero pacis artibus, meruissent. at Afranium neutro praestantem aequari sibi aegre ferebat. Sed potior his omnibus pecunia consules, quos volebat, Pompejus designavit, Q. Metellum Celerem, L. Afranium. *Pompejus pecuniam dividit ambitus causa.*

XLII. Censores eo anno quinam fuerint, haud dixerim: fuisse certum est. Nam et senatus recensitus est, solito quidem numerosior, quod omnes, qui magistratum quandoque gessissent, adlecti erant: et vectigalia locata a censoribus. Lustrum neque tum, neque post Cn. Lentulum, L. Gellium censores, factum est, donec Augustus sextum consul fecit. Eodem anno L. Domitius Ahenobarbus aedilis curulis ursos Numidicos centum, et totidem Aethiopas venatores in circo dedit, ante diem quartum decimum Kalendas Octobres. Sic quidem in annalibus est adnotatum. at leones intelligi putant, quod constet, Africam ursos non gignere. Sed et in nummis Domitii leonum, non ursorum, expressa effigies cernitur. Ludis tum populus primum prandendi caussa surgere instituit, prius sine interruptione perspectare solitus. *Censores ignoti.*

XLIII. Triumphum deinde tertium Pompejus biduo duxit, ante diem tertium et pridie Kalendas Octobres, quum una dies tot transvehendis opibus non sufficeret. In id tempus incidebat natalis ejus, ut consulto huc distulisse pompam videatur. Biduum quoque non cepit magnitudinem apparatus: et, quantum alii cuilibet instruendo triumpho fuisset satis, re- *Triumphus Pompeji.*

Cap. XLI. Plut. Cat. Cic. Cap. XLII. Dio. Cic. ad Att. 1, 17. et 18. Dio. Cic. Infra 134, 80. Plin. 8, 36. Juven. Sat. 4. v. 99. Solin. c. 29. Plin. Cap. XLIII. Fulv. Ursin. Dio. Plut. Pomp. Vell. 2, 40. Plin. 7, 26. et 37, 2.

U. c. 691. A. C. 61.

lictum et omissum est. Ejus triumphi haec fuit praefatio: *Quum oram maritimam a praedonibus liberasset, et imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judaeis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, et super haec de regibus Mithridate et Tigrane triumphum ducere.* At in concione, quum de rebus suis dissereret, *cum duobus et viginti regibus bellum se gessisse*, dixit: *et Asiam, quam provinciarum ultimam accepisset, mediam patriae reddidisse.*

Ejus inscriptio in templo Minervae.

XLIV. Ceterum in templo Minervae, quod ex manubiis dicabat, hunc inscripsit titulum: *Cn. Pompejus Magnus imperator, bello triginta annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum vicies semel centenis, octoginta tribus millibus; depressis aut captis navibus octingentis quadraginta sex; oppidis, castellis mille quingentis triginta octo in fidem receptis; terris a Maeotis lacu ad Rubrum mare subactis, votum merito Minervae.* Cognomen ex tot victoriis nullum adscivit, quamquam plurima offerrentur, contentus appellatione Magni, quam olim meruerat: sed tum a tota concione sic consalutatus est: hactenus familiaris magis adsentatio, quam consentientis famae judicium, fuerat.

Opes maximae in triumpho translatae.

XLV. Numquam antehac tanta spectata Romae opulentia fuit, neque tam exitiosa moribus, ad margaritarum gemmarumque studium hinc praecipue inclinatis: quarum rerum maximam ille copiam conspicuae magnitudinis aestimationisque in triumpho tulit. In acta relatus est alveus lusorius e duabus gemmis, latus pedes tres, longus quatuor. in eo fuit Luna aurea pondo triginta. Praeterea lecti tricliniares tres, in quibus unus Darii fuisse dicebatur, Hystaspe geniti: vasa ex auro et gemmis abacorum novem: signa aurea tria, Minervae, Martis, et Apollinis: coronae ex margaritis triginta tres; mons aureus quadratus cum cervis et leonibus, et pomis omnis generis, circumdata vite aurea, Aristobuli donum: Museum ex margaritis, in cujus fastigio horologium erat: imago C. Pompeji e margaritis.

Cap. XLIII. Plut. Plin. 7, 26. Val. Max. 8, 15. Oros. 6, 6. Plin. Cap. XLIV. Dio. Liv. Epit. Liv. 3, 45. Cap. XLV. Eutrop. 1, 6. Plin. 37, 1. et 2. Appian. Mithrid. Plin. Joseph. Ant. 14, 4. Plin.

XLVI. Tituli quoque praeferebantur pecuniae, quam impenderat: *Reipublicae caussa, legatis et quaestoribus, qui oras maris defendissent, datum mille talentum, militibus singulis sena millia sestertiorum.* Erat adscriptum, *universos populi Romani reditus antea fuisse bis millies: nunc suis victoriis Pompejum adjecisse millies quadringenties.*

U. c. 691. A. C. 61. *Tituli pecuniae reipublicae caussa impensae translati.*

XLVII. Praeter haec translata est Mithridatis regis dactyliotheca, quam mox dedicavit in Capitolio, cum illa, quam modo diximus, aurea vite aliisque donis. Naves in portum adduxit integras septingentas. Transvexit et sellam ac sceptrum Mithridatis, cum effigie illius aurea cubitorum octo, quamquam non totus, sed pectore tenus, expressus erat; itemque statuam argenteam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto; currusque aureos et argenteos. Arborum etiam genera tum primum ostensa Romae, ebenus, quam sola ferre putabatur India; et, uni quondam terrarum Judaeae concessa, balsamum.

Arborum nova genera.

XLVIII. Inter haec innumeri currus transvehebantur, arma portantes et navium rostra. Captivorum deinde ingens multitudo, sine vinculis, patrio habitu cultuque. Proxime currum reges aut liberi regum ducesque ibant, capti bello, aut obsidum loco traditi. Horum illustrissimi Tigranes minor, ejusque conjunx et filia, et regina Zosime, patris Tigranis uxor: et Artaphernes, Cyrusque, et Oxathres, et cum Dario Xerxes, sororesque eorum Orsabaris et Eupatra, Mithridatis liberi. Sed et Olthaces ducebatur, qui in Colchis regnaverat: et Judaeorum rex Aristobulus cum Antigono filio, et puellis duabus. praeterea Cilicum tyranni et archipiratae: Scytharum regiae mulieres: tres Iberorum, duo Albanorum duces; earumdemque gentium et Commageni regis obsides: itemque Laodicensis Menander, qui praefectus equitum Mithridatis fuerat. Absentium quoque imagines, Tigranisque ac Mithridatis pugnas et clades pictura repraesentabat. Omnium item proeliorum, quibus per se legatosve victor exstiterat, tabulae antelatae. Mithridatis praecipue postrema obsidio, et nocturna fuga, sed et exitus spectabatur, virginesque mortis paternae comi-

Captivi et obsides transducti.

Cap. XLVI. Plut. Cap. XLVII. Plin. Strabo, l. 12. p. 556. et apud Joseph. 14, 5. Appian. Plin. 33, 12. Plin. 12, 4. et 25. Cap. XLVIII. Appian. Plut. et Appian. Joseph. Ant. 14, 8. et de B. Jud. 1, 5. Appian. et Plut. Dio. Plut. et Appian.

U. c. 691. A. C. 61.

tes. Etiam reliquorum ejus filiorum filiarumque ante patrem mortuorum, nec non Deorum barbaricorum effigies transferebantur.

Titulus conditarum urbium.

XLIX. Titulus quoque visebatur conditarum urbium. octo in Cappadocia Pontoque aedificaverat: in Cilicia et Cava Syria viginti: in Palaestina quoque aliisque regionibus nonnullas: in universum undequadraginta. Reges victi memorabantur *Tigranes Armenius*, *Artoces Iberus*, *Oroeses Albanus*, *Darius Medus*, *cum Areta*, *qui Nabataeis Arabibus*, *et Antiocho*, *qui Commagenae imperabat*. Ipse triumphator, junctis exemplo Liberi elephantis, gemmato curru vehebatur, chlamyde, ut ferebatur, Alexandri Magni amictus, quam apud Coos in thesauris Cleopatrae Mithridates invenerat. Currum socii ministrique victoriae sequebantur, legati tribunique, pedites partim, alii in equis. nam exercitum diu ante dimissum non acciverat: quamquam veteri more Romano, sine exercitu triumphare imperatorem, bello confecto, absurdum habebatur. Mitior hic solito triumphus in captivos fuit: omnes dimissi sunt ad suos sumptu publico; praeter Aristobulum et Tigranem, in custodia servatos, ne ille fratris, hic patris pacem turbarent.

Summa in aerarium illatae pecuniae.

L. Majorem hic triumphus pecuniam in aerarium, quam ulla aetate quisquam, intulit: non comprehensa, quae ex manubiis est in Capitolio reposita, signati argenti septingenties quinquagies semel centena millia drachmarum translata, Appianus auctor est: Plutarchus in auro et argento facto signatoque in aerarium illata ad viginti talentorum millia. Multis novis inusitatisque ornamentis insignis iste triumphus quum haberetur, nihil illustrius visum, quam quod tribus triumphis totidem terrarum orbis partes devictae caussam titulosque praebuerunt. Ter enim et alii triumphantes Capitolium adscenderant: hic, quod antea contigerat nemini, primum triumphum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia duxit.

Pompejus Magno Alexandro conferitur.

LI. Ob tam celeres grandesque victorias a plerisque Magno Alexandro conferebatur: et, quo similior ei videretur, ut fit, ubi suis inventis homines blan-

---

Cap. XLIX. Plin. 8, 2. Appian. Dio. Appian. Cap. L. Vell. 2, 40. Val. Max. 8, 15. Cic. pro Balbo, 4. et 6. et pro Sext. c. 6. Albin. in Corp. Poet. p. 1542. Cap. LI. Plut. Vell. Plut.

diuntur, quatuor et triginta annis minorem finxerunt quidam; quum quintum atque quadragesimum expleviſſet: felix opinione hominum futurus, si quem gloriae, eumdem et vitae finem habuiſſet, neque vertentem fortunam eſſet, jam aetate provectior, expertus. U. c. 691. A. C. 61.

LII. Mense Decembri coepit agitari in senatu causa publicanorum, qui, redemptis Asiae vectigalibus, ut induceretur locatio, poſtulabant. Erat res invidiosa, et turpis confeſſio temeritatis. Tamen Craſſus, ut peterent, fuit auctor: Cicero adjuvit petentes, ut concordiam ordinum retineret, quam in consulatu ſtabiliverat. Sed Cato, semper adversus iniqua flagitantibus, summopere resiſtebat. Idemque praeterea, quod alterum ab senatu valde abalienavit equites, censuit, adsentiente senatu, *ut de iis, qui ob judicandum pecuniam accepiſſent, quaereretur.* *Equites offendunturab senatu.*

LIII. Ea de re certatum et olim fuerat, honeſtissimis equitum hanc conditionem recusantibus, *ut in dispari fortuna, dignitate, honoribusque ac praemiis, paria ipsis, atque ſenatoribus, pericula proponerentur: quum praeſertim ita lex Sempronia primum, dein Cornelia concepta eſſent, ut ſenatores complexae de ceteris non cogitaſſe viderentur.* Sed tum hoc agebatur, ut etiam equites nova lege illigarentur. Placebant haec et Metello, qui, designatus tum consul, quum poteſtate nondum uteretur, auctoritate permultum poterat: adeo quidem, ut sub finem hujus anni Compitalitios ludos, quos, auctore tribuno quodam plebis, magiſtri vicorum facturi erant, privatus adhuc fieri prohiberet. *Metelli consulis deſignati auctoritas.*

LIV. Eodem anno M. Aemilius Scaurus, qui relictus a Pompejo cum legionibus in Syria fuerat, Petram, Arabum Nabataeorum metropolim, aggreſſus, quum famem exercitus pateretur locis difficilibus, Antipatrum ad Aretam misit, qui deditionem suaderet. Hoc internuncio pactum, *ut trecenta talenta Romano darentur.* Bellum, Areta Scauroque volentibus, diremptum eſt; idque adjumento fuit Scauro, ut deſtinatam M. Pisoni provinciam in alterum annum, adnitente Cicerone, retineret. *M. Scauri bellum et pax cum Areta.*

Cap. LI. Vell. 2, 53. Plut. Liv. 9, 17. Cap. LII. Cic. ad Att. 1, 17. et 18. et 2, 1. Cap. LIII. Cic. pro Cluent. c. 56. Cic. ad Att. 1, 17. Cic. in Pis. c. 4. et ibi Ascon. Joseph. Antiq. 14, 9. et de B. Jud. 1, 6. Hegesipp. 1, 18. Joseph. Cic. ad Att. 1, 16.

U. c. 692. A. C. 60. L. Afranio, Q. Caecilio coss.

Novi consules molesti Pompejo.

LV. L. deinde Afranius A. F. Q. Caecilius Q. F. Metellus Celer consules inierunt: pro quibus, uti designarentur, maximis largitionibus pugnavisse Pompejum narravimus. Sed illi plus molestiae et impedimenti, quam, quod speraverat, auxilii, tantis impensis quaesitum est. Nam horum opera, tum alia, quae vellet, adsequuturum rebatur, tum uti acta sua confirmarentur: eo magis, quod legati sui ad exercitum operum summorum praecipui ministri iidem illi fuerant. Ceterum Afranius, saltandi, quam negotiorum, peritior, nihil ei profuit. Metellus etiam obfuit ab ira dimissae Muciae, quam sororem Metelli, quum haberet ex ea liberos, Pompejus repudiaverat. Accedebat excellentis gloriae perpetua comes invidia: praeterea simultates cum maximis viris Lucullo Metelloque, graves potius, quam iniquae, quos prior et sine caussa offenderat.

Luculli contentio cum Pompejo, de actis utriusque.

LVI. Igitur Lucullus, qui de cetero se penitus otio ac voluptatibus tradiderat, praeter pristini doloris stimulos, ab optimatibus nonnullis incitatus, in senatum venit, Pompejoque, rata haberi acta sua postulanti, acerrime restitit; *aequum esse, prius ut senatus cognoscat de singulis*, dictitans: *nam, ut promiscue omnia ignaris, qualia quaeque sint, Patribus confirmanda objiciantur, id vero incivile prorsus et dominationi proximum. Praeterea, quod a se constituta pleraque Pompejus labefactaverat, arbitrari* jubebat *senatum, utrius potiora esse decreta deberent.*

Pompejus ad plebem se applicat.

LVII. Haec quum per se non iniqua principes senatus M. Crassus, duoque Q. Metelli, Creticus et consul, sed et M. Cato, enixe defenderent, inferior in curia Pompejus ad tribunos plebis confugit, ut, quod per senatum nequiverat, populi favore consequeretur. Idcirco, quo infimi vulgi promptiora et plura suffragia quaererentur, L. Flavius tribunus plebis promulgavit rogationem, *uti Pompejanis militibus certus agri modus daretur: utque quibus civitatis, iisdem et suffragii jus omnibus esset.* Ea tota ratio senatui displicebat. Cicero, ut populo simul Pompejoque et possessoribus satisfaceret, secunda concionis voluntate tollebat ex lege, quae ad incommodum pertinebant privatorum, *ne*

Cap. LV. Dio, l. 37. Dio, l. 36. fin. et l. 37. versus init. Dio, l. 37. Vell. 2, 40. Flor. 4, 2. Cap. LVI. Plut. Lucull. et Pomp. Dio. Cap. LVII. Appian. Civil. l. 2. Dio. Vell. Plut. Cat. Plut. Pomp. Dio. Cic. ad Att. 1, 18. et 19.

quid mutaretur de agro, qui P. Mucio, L. Calpurnio consulibus publicus fuisset, quo anno Ti. Gracchus agrarias leges tulerat: *neve Sullanorum hominum possessiones moverentur*. Volaterranos etiam et Arretinos, quorum agrum publicarat Sulla, neque diviserat, defendebat: id solum concedens, ut ex ea pecunia, quae ex novis vectigalibus per quinquennium redigeretur, agrorum emptiones fierent. U. c. 692. A. C. 60.

LVIII. Sed haec contentio, quum maxime ferveret, Gallici belli metu paullisper remissa fuit. Nam Helvetii in armis esse, atque excursiones in provinciam facere, nunciabantur. Idcirco senatus decrevit, *ut consules duas Gallias sortirentur: delectus haberetur: vacationes ne valerent: legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliae civitates, darentque operam, ne se cum Helvetiis jungerent*. Quum in sortitione legatorum prima de consularibus sors Ciceronis, deinde Pompeji exisset; senatus una voce *retinendos hos in urbe* censuit. legati sunt Q. Metellus Creticus, L. Flaccus, et Lentulus Clodiani filius. Pacata tamen provincia mansit, quum victoria Cn. Pontinii facilem ad reliquias pacandas viam paravisset: atque ille, contentus domuisse, qui rebellaverant, non lacessivit quietos. *Helvetiorum motus.*

LIX. Igitur, quum motuum Gallicorum vanus rumor fuisset, et otium e Gallia nunciaretur, ad civiles contentiones acrius reditum, tam vehementi concertatione, ut Q. Metellus consul lapidibus appetitus percuteretur a seditiosis; deinde a tribuno in carcerem duceretur. sed neque consul eo terrore flecti potuit; neque tanti viri caussam deseruit senatus, quin apud illum in carcere convenire cuperet. *Consul in carcerem ducitur a tribuno.*

LX. Ibi Flavius, sella tribunitia ad fores collocata, jure inviolabilis potestatis clausit aditum, per murum intrare jubens senatum, si vellet; tam pertinaciter obluctans, ut eodem loco pernoctaturus videretur. Tum vero Pompejus, pudore ductus, et quia res perquam invidiosa etiam ad populum erat, discedere Flavium jussit, id a se petiisse Metellum mentitus. Sed notam animi magnitudinem Metellus effecerat, quum eum reliqui tribuni eximere vellent e carcere, id beneficium recusando. postea quoque, quum Flavius de- *Tribuni plebis improbitas.*

Cap. LVIII. Caes. de B. Gall. 1. Cic. ad Att. 1, 19. Dio. Cic. de Prov. Cons. c. 13. Cap. LIX. Cic. ad Att. 1, 20. Idem ibid. 2, 1. Dio.

U. c. 692. A. C. 60.

nunciasset, non passurum, ut in provinciam iret, nisi legi consensisset, quamquam cupidior triumphi haberetur, manere potius in urbe, quam de sententia dimoveri, sustinuit. Pompejus igitur, principum invidia potentiam suam urgeri videns, interdum poenitentia ducebatur, quod exercitum dimisisset: postremo, quamlibet rationem inimicos reprimendi honestam arbitratus, plane descivit ab optimatibus, stulto consilio, ut dignitatem tueretur, stolidis turbulentisque adolescentulis indigne se submittens: quae potissima ipsi seque et rempublicam perdendi caussa exstitit.

P. Clodius tribunatum ambit.

LXI. Commodum sub ea tempora P. Clodius, ab Siciliensi quaestura reversus, conceptum ex judicio suo adversus optimates odium tribunatus viribus exsequi gestiebat. et, ne propterea, quod erat patricius, impediretur petere, per C. Herennium tribunum plebis legem promulgandam curaverat, ut *universus populus in campo Martio suffragium ferret, quo P. Clodius, ejurato patriciatu, plebejus esset.*

Ei Q. Metellus obsistit.

LXII. Hoc perfecto, jam pro plebejo se gerens, quum omnes semper Claudii patriciae gentis acerrimi propugnatores assertoresque juris optimatium fuissent, tribunatum coepit petere. sed Q. Metellus consul, vir egregius, et patriae amans, impediebat tanta contentione animi, ut *eum sua se manu interfecturum* diceret, quamquam frater ejus patruelis erat. Sed maximum ei contra Herennii rogationem argumentum erat, quod negabat, *nisi Curiata lege, recte de illa caussa ferri potuisse.* Igitur, tribunis aliis intercedentibus, tum quidem irrita P. Clodii astutia fuit.

Lex de abrogandis portoriis.

LXIII. Lex deinde, auctore Q. Metello Nepote, qui praeturam gerebat, *de abrogandis urbis et Italiae portoriis* perlata est. Quum grata lex esset omnibus, non tam ob portorium, quam nonnullas injurias portitorum, tamen auctor displiceret; eo senatus inclinabat, ut, exemplo Lacedaemoniorum, qui commodam sententiam, ab improbo viro dictam, repeti a probato, atque huic adscribi jusserunt, alterius, quam

Cap. LX. Cic. ad Att. 1, 20. Dio. Plut. Pomp. Cap. LXI. Cic. ad Att. 2, 1. Pigh. Ann. Dio. Cic. ad Att. 1, 18. et 19. Cap. LXII. Cic. ad Att. 2, 1. Sueton. Tiber. c. 2. Cic. ibid. Cic. pro Coel. c. 24. Dio. Cic. ad Att. 1, 19. Cap. LXIII. Dio. Cic. ad Att. 2, 16. Cic. ad Q. Fratr. 1, 1. 11. Dio.

Nepotis, nomen legi praescriberetur. Sed id quidem omissum: voluntas tamen spectata senatus est. U. c. 692. A. C. 60.

LXIV. Eodem anno Faustus, Sullae dictatoris filius, munere gladiatorio, quod in patris honorem edebat, populo magnificentissimum epulum, balneumque et oleum dedit. Apollinares quoque ludi magnifice facti: primusque tum P. Spinther theatralia vela ex carbaso duxit. ostendit et amphoras ex onyche, Chiorum magnitudine cadorum: quod magnae tum admirationi, nec diuturnae fuit: quum intra quintum deinde annum columnae triginta duorum pedum magnitudine ex eodem lapide monstrarentur. *Faustus Sulla ludos in honorem patris edit.*

LXV. Dum haec in urbe gerebantur, Caesar Lusitanos insulasque nonnullas in oceano sitas subegit, quum in ulteriorem Hispaniam ex praetura venisset, M. Crassi ope profectione maturata, qui sibi Caesarem contra Pompeji praegraves opes cupiebat adjungere. Igitur, quum a creditoribus retineretur Caesar, Crassus pro eo spopondit ducenties. Nam, per ambitionem effuso patrimonio, contractoque gravi aere alieno, multo plus debebat, quam redigi ex bonis ejus potuisset. auditaque vox est dicentis, *opus sibi esse millies, ut habeat nihil.* At tum Crassi opera onerosissimo quoque importunissimoque creditorum levatus, priusquam provinciae ornarentur, contra morem ita celeriter profectus est, ut ambiguum relinqueret, metune judicii, an, quo maturius sociis implorantibus subveniretur, festinarit. *Caesaris aes alienum.*

LXVI. Ajunt in itinere per Alpes, quum ad conspectum pauperis vici comites ejus per jocum inter se controverterent, *an illic etiam sit ambitioni locus?* serio dixisse Caesarem, *malle se ibi primum, quam Romae secundum, esse.* Nam ingenium dominationis avidum, ne quidquam cogitare aliud posset, ominibus variis erectum in spem potiundi fuerat. *Ejus ambitio.*

LXVII. Quum adhuc quaestor in eadem Hispania conventus circumiret, jussu Veteris Antistii praetoris sui: visa Gadibus in Herculis fano Alexandri Magni imagine, ingemuit, nec sine lacrimis dixit ad amicos *Vox ad conspectum imaginem Alexandri.*

Cap. LXIII. Aeschin. in Timarch. Plut. Praecept. Polit. Cap. LXIV. Dio. Cic. in Vatin. c. 13. Plin. 19, 1. Plin. 36, 7. Cap. LXV. Dio. Sueton. Caes. c. 18. Plut. Caes. Appian. Civil. l. 2. Plut. Sueton. Cap. LXVI. Plut. Cap. LXVII. Auctor de B. Hisp. fin. Sueton. Caes. c. 7.

U. c. 692. A. C. 60.

conversus, *Me miserum! qui hac aetate, qua iste terrarum orbem subegit, nihil adhuc gesserim memorabile.* Neque distulit missionem efflagitare, quo regressus in urbem majorum rerum captaret occasiones: maxime postquam absurdo proximae noctis somnio, et conjectorum promissis inflatus majorem in modum animus fuit. Quod enim ille cum matre concubuisse per quietem sibi visus erat, *Imperium orbis terrarum potendi, quod omnium mater terra esset*, interpretati sunt. Spem deinde confirmavit insolitae figurae ac ingenii equus, quem erat nactus, fissis prioribus ungulis, neque sessoris, nisi Caesaris, patientem.

Omina et praesagia futurae dominationis.

Gesta Caesaris in Hispania.

LXVIII. Idcirco, quum latrocinia, locis illis sollemnia, minore negotio compescere praetor posset, bellum maluit: novaque legione paucos intra dies supra priores duas conscripta, contendit ad Herminium montem, et habitatores, situ loci ad praedas agendas incitari caussatus, in plana jussit descendere. Sic initio belli quaesito, et hos armis domuit: et vicinos populos, qui, relictis oppidis suis, trans Durium amnem cum uxoribus liberisque fugiebant, oppressit.

LXIX. Rebellantes deinde montis Herminii incolas quum iterum subito adortus profligasset, atque illi, fuga ad oceanum facta, in quamdam insulam transjecissent; partem militum ratibus impositam, quia navigia deerant, immisit. Sed ille, cui commissum hoc negotium fuerat, in scopulo quodam vicino insulae exposuit copias, pedestri deinde itinere perrecturas ad hostem: ipse, priusquam faceret exscensionem, abreptus aestu recurrente, relinquere expositos coactus est.

P. Scaevae virtus.

LXX. Ibi milites circumventi caesique sunt, quum fortiter aliquamdiu se defendisset: neque, praeter P. Scaevam, prodigiosae virtutis hominem, quisquam servatus est. Is, quum diu magnam hostium multitudinem sustinuisset, saucius fessusque, scuto, quod jam inutile innumeri excepti ictus fecerant, relicto, se conjecit in aestuarium, et interim, ubi profundior aqua occurrebat, natando vix evasit in litus; conspectoque Caesare, qui haec omnia cum admiratione viderat, genibus accidens veniam amissorum armorum

Cap. LXVII. Vell. 2, 43. Dio. Sueton. Plut. Sueton. Plut. Sueton. Dio. Cap. LXVIII. Plut. Dio. Cap. LXX. Val. Max. 3, 2. 23.

supplex petiit. Caesar, non modo virtute hominis, sed etiam disciplinae reverentia probata, centurionatum ei praemii loco dedit. Sed hoc quidem alii Britannico factum bello tradiderunt: quod si ita esset, vix fuisset a Caesare praetermissum. Ceterum Caesar, classe Gadibus advehi jussa, totum trajecit exercitum; hostesque, penuria rerum omnium pressos, in deditionem accepit. Inde in Gallaecos transtulit bellum, qui Brigantium oppidum habebant: hominesque non ante visa classe sic exterruit, ut imperata prompte facturos pollicerentur. U. c. 692. A. C. 60.

LXXI. Sic pacata provincia, gentibusque aliquot novis imperio adjectis, juri dicundo conventibusque dedit operam, ut concordiam civitatum stabiliret, quae propter aeris alieni magnitudinem plerisque locis convellebatur. Igitur, constituto, ut *ex debitorum redditibus bessem creditores perciperent, donec dissolutum aes alienum esset*, cum magna gratia sociorum, se exercituque locuplete praeda aucto, praeterea Imperatorium nomen belle adeptus, non exspectato successore, ad triumphi simul consulatusque petitionem decessit. *Discordias propter aes alienum.*

LXXII. Et quidem, quod grandem pecuniae summam ad aerarium miserat, decretus ei triumphus est. sed erat improba hominis et intricata ambitio: nam postulaturo triumphum extra urbem manendum, candidato honoris petendum in urbe erat. Igitur ab senatu contendit, *ut absentis et per amicos petentis rationem haberi liceret.* Neque deerant, qui faverent, nulla id lege prohibitum, praeterea et aliis concessum jactantes. sed multi contradicebant, et ante omnes Cato, qui, ne decretum ea de re fieret, diem, quae postrema erat temporis, intra quod profiteri candidatos oportebat, dicendo exemit. *Caesar triumphum simul consulatumque petit.*

LXXIII. His cognitis, Caesar, ne consulatu excluderetur, unde plus sibi virium, et ampliorem triumphi materiam pollicebatur, dimisso triumpho, urbem ingressus, eam continuo suscepit actionem, qua rempublicam captans invadere, praeter Catonem atque Ciceronem, omnes fefellit. Namque Pompejum et Crassum, aemulatione potentiae discordes, inter se et si- *Dimisso triumpho urbem intrat.* *Pompejum et Crassum.*

Cap. LXX. Plut. Val. Max. Dio. Plut. Dio. Cap. LXXI. Plut. Dio. Sueton. Cap. LXXII. Appian. Civil. l. 2. Plut. et Sueton. Appian. Cic. in Rull. 2, 9. Appian. Sueton. Plut. Caes. et Cat. Cap. LXXIII. Dio. Plut. Caes. Appian. Sueton. Dio.

U. c. 691. A. C. 60. *inter se et sibi conciliat.*

bi conciliavit, his legibus, *ut omnibus in rebus adjumento invicem essent; nè quid, quod cuilibet horum displicuisset, in republica ageretur.*

LXXIV. Haec libertatem urbis deglutiit triceps conspiratio; quam exinde, velut infernale monstrum Cerbereo rictu absorbentem omnia, M. Varronis satyra, sub titulo Tricareni, perstrinxit; qui, sub id temporis aedilis cum C. Murena, Lacedaemone excisum lateritiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturae, formis inclusum, ad Comitium exornandum deportavit. quod opus per se mirum hominibus; sed magis admirationi fuit, transferri potuisse.

Caussae cuivis particulares injiti triumviratui.

LXXV. Ceterum tres illi principes suis quisque caussis societatem inierant: Pompejus, ut tandem acta sua confirmarentur: Caesar, nondum adultum robur committere cum viro tantis radicibus immaturum ratus, ipsius illius opibus, ut se muniret, abutebatur, omni interim illi delegata invidia: simul Crassi retinebat studia, graviter adversaturi, si Pompejum sibi antepositum a Caesare vidisset. M. Crassus, cupidus primi loci, sed retinendo impar, ad rem pertinere credebat, si duorum potentissimorum viribus fulciretur; sperabatque Caesaris crescentem potentiam cum matura Pompeji auctoritate ita commissurum, ut, his mutuo se adterentibus, majores ipse opes consequeretur. Nam huc omnia sua consilia olim retulerat; neque optimatibus prorsus addictus, neque vicissim ita popularis, ut oblitus curiae videretur. tantum hoc agebat, ut, quidquid utrislibet gratum accidisset, id se auctore; quae contra essent, invito aut ignaro facta censerentur.

Dissimulatio initae conspirationis.

LXXVI. Atqui reliquorum etiam principum nemo sincerum ad rempublicam studium, nullis admixtis ambitionis avaritiaeve sordibus, adferebat; uno excepto Catone, cujus invicta ad extremum constantia, quamquam nudata praesidiis omnibus, in tuenda republica perstitit. ceterum, quo majores adquireret vires tardius animadversa conspiratio, dederunt diligentem ope-

Cap. LXXIII. Liv. Epit. Plut. Cic. Phil. 2, 10. Cap. LXXIV. Plut. Appian. Dio. Sueton. Liv. Epit. Appian. Plin. 35, 14. Cap. LXXV. Vell. 2, 44. Dio. Plut. Pomp. et Caes. et Cras. Vell. Dio.

operam, ut tegerent eam dissimularentque: neque eo secius communicabant consilia, et, quidquid conducere suis rationibus visum erat, conjunctis opibus exsequebantur. U. c. 692. A. C. 60.

LXXVII. Jam primum in petitione consulatus, quum haberet competitores duos Caesar, L. Luccejum historiarum scriptorem, et M. Bibulum, per Arrium cum Luccejo coïvit, pactus, *ut is, quia graviae, quam Caesar, minus, pecuniae plus habebat, nummos de suo, communi nomine, per centurias pronunciaret.* Contra optimates, nihil non in consulatu Caesaris timentes, si concordem collegam nactus esset, auctores Bibulo fuerunt tantumdem pollicendi: ac plerique contulerunt pecunias, ne Catone quidem inficiante, esse e republica, largitionem eam fieri. haec tum erant tempora. Caesar cum Bibulo designatur. Igitur optimates dederunt operam, ut provinciae futuris consulibus minimi negotii, id est, silvae callesque, decernerentur. *Caesaris pactum cum Luccejo.*

LXXVIII. Interim C. Octavius, ex praetura summa cum laude gesta Macedoniam sortitus, (quod C. Antonio male provinciam administranti successorem mitti placuerat) negotio sibi ab senatu extra ordinem dato, agrum Thurinum purgavit, jam olim infamem latrociniis, residuamque ex Spartaci et Catilinae copiis fugitivorum manum delevit. *C. Octavii gesta.*

LXXIX. Sequitur jam non consulatus C. Caesaris, sed regnum: quo tempore collegam potestatis M. Calpurnium Bibulum nomine, re et opere Cn. Magnum, M. Crassum habuit. Idcirco, nullo jam veteris et probi moris respectu, tantum ea, quae ad fundandas conjurationis opes pertinebant, ingenio Caesaris, auctoritate Pompeji, divitiis Crassi perficiebantur: neque Romanis fiebat injuria libertatem amittentibus, quam ingratus stolidusque populus accepta mercede vendiderat. Prodigia tum multa, non sine minis et horrore malorum imminentium, nunciata aut visa sunt. Procella repens in urbe et circum arbores exstirpavit, aedificia scidit, naves in Tiberi juxta urbem et ad ostia fluminis mersit, pontem sublicium rupit. Theatrum quoque, ad ludos quosdam e ligno structum, cor- U. c. 693. A. C. 59. C. Julio, M. Calpurnio coss. *Triumvirorum nimia potentia.* *Prodigia.*

Cap. LXXVII. Sueton. Cic. ad Att. 1, 17. Sueton. Appian. Civil. l. 2. Sueton. Cap. LXXVIII. Cic. ad Q. fratr. 1, 1. 7. Sueton. Aug. c. 3. Dio, l. 38. Sueton. Cap. LXXIX. Dio.

U. c. 693. A. C. 59.

ruit: omnibusque his cladibus magna hominum absumpta multitudo est. Sed prima honoris initi antiquitatis specie decora, aut, latente adhuc Caesaris proposito, pro innoxiis fuerunt: ut, quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur; quod ex vetustate relatum: ut tam senatus, quam populi, diurna acta conficerentur et publicarentur; quod ipse instituit primus, quo per provincias et exercitus nosceretur, nihil agi Romae, nisi ex voluntate trium principum, posse.

Caesaris leges.

LXXX. Inter haec Bibulum, ut concorditer secum rempublicam gerere velit, in senatu rogans, ab intentione muniendi sese avocatum, ipse, clam paratis subsidiis, fallacibus blanditiis mulcebat: donec, provisis, quae voluerat, ad majora itum, legesque promulgari a consule coeptae, quales vix tribunus plebis paullo modestior tulisset: agrariae ante omnes, quae maximam contentionem, quod invito senatu ferebantur, habuerunt. Sed nimirum Caesar, ita se fore popularem, semper erat professus, ut nihil esset acturus, quod non ad senatus quoque commodum pertineret. Igitur sic conceperat verba legis, ut nihil in his reprehendendum videretur; et tamen ne sic quidem laturum testabatur, nisi senatu auctore.

Et in his ferendis astutia.

LXXXI. Sed optimates non fallebat, haec omnia non alia caussa fieri, quam ut abductam a Patribus plebem Caesar hac largitione sibi auctoraret. ideoque hoc ipsum erat dolori, quod ita scripta lex esset, ut, qui eam impedirent, non tam voluntati plebis, quam aequitati manifestissimae utilitatique publicae, refragari viderentur. Namque multitudo illa, numero et egestate urbi intoleranda, exhauriebatur; frequentabantur Italiae regiones, inopia hominum desertae: consulebatur annonae, instaurata passim agricultura: et haec sine impensa reipublicae, sine incommodo principum fiebant: immo his ultro honor et emolumentum adjiciebatur, quod ex eorum numero viginti viros dividundis agris creabat Caesar, seque nominatim excipiebat, ne scilicet suum in usum aliquid ferre existimaretur.

Cap. LXXIX. Sueton. Caes. Liv. 2, 1. A. Gell. 2, 15. Sueton. Cap. LXXX. Appian. Plut. Caes. et Cat. et Pomp. Liv. Epit. Dio, l. 38.

LXXXII. Cetera quoque ita complexus erat, ut neque prudentiam, neque aequitatem desiderares. Publicum agrum omnem dividebat, Campano, ob praestantiam regionis, ad subsidia reipublicae reservato: privatum non nisi a volentibus emi jubebat, neque minoris plurisve, quam aestimatus in censu esset. Pecuniam autem affatim subministrabat quum triumphus Pompeji, tum recens ab eo constituta vectigalia: quae civium usibus, quorum et periculis parta forent, non immerito dicebant impendi. Haec utrumne placeret ferri, singulos interrogabat, correcturum, si quid secus scriptum videretur, aut plane deleturum pollicitus. Illi, quum nec incusare legem possent, nec ferri vellent, promisso, auctorem senatum fore, quaesitis impedimentis morabantur. U. c. 693. A. C. 59. *Legis Agrariae argumentum.*

LXXXIII. At Cato, pro libertate ingenii sui palam, quae sentiret, praeferens, legem non damnabat; ceterum negabat, ex his, quae antea constituta essent, moveri quidquam oportere: ducebatque dicendo diem, ne perfici res ea posset. quippe sententiam rogato senatori licebat, etiam aliis de rebus, quoad vellet, disserere. Tum Caesar ira commotus, simul ut ceteris incuteret metum, Catonem extrahi curia per lictorem, ducique in carcerem jussit. nam illum tribunos appellaturum sperabat. Cato, nulla voce missa, sequebatur: neque pauci, relicto senatu, comites ei ibant: quorum M. Petrejus, objurgatus a Caesare, quod nondum misso senatu discederet, *Malo*, inquit, *esse cum Catone in carcere, quam tecum in curia.* Ob hanc invidiam, et quia plebem quoque gravatim haec ferre animadvertebatur, destitit Caesar, submissoque tribuno plebis dimittendum Catonem curavit. *Catonis certamen cum Caesare.*

LXXXIV. Eo tempore, quum senatum mitteret, laetus contigisse, quem optaverat, ad plebem se adplicandi colorem, hoc tantum adjecit; *Equidem vos et judices legis et auctores esse volui, priusquam cum populo agerem, Patres conscripti: sed, quoniam vobis tam bona conditio displicet, et pro honore, quem vobis habebam, tantum injurias reponditis, age, jubebit populus, quod ei videbitur.* Exinde, senatu prorsus neglecto, ferre ad populum coepit. Quo tamen honestiores haberet auctores, in concione interrogavit collegam, *ecquid ei in lege displiceret?* *Caesar senatum negligit.*

Cap. LXXXIII. A. Gell. 4, 10. Sueton. Plut. Caes. et Cat. Dio. Val. Max. 2, 10. Dio. Plut. Cap. LXXXIV. Dio.

U. c. 698. A. C. 59. Ille nihil, *nisi non permissurum, ut aliquid novetur, se consule.* Tum Caesar rogare illum coepit, idemque faciundi auctor populo fuit. nec mollior inde Bibulus, sublata voce, *Ne si omnes quidem volueritis, legem habebitis:* et cum dicto discessit.

Pompejus legem Caesaris probat.

LXXXV. Caesar, reliquos magistratus interrogare intutum putans, quum hujus esset contra spem expertus constantiam, Pompejum Crassumque produxit, privatos quidem, sed opibus et auctoritate principes. Ibi Pompejus, *Ego vero, Quirites, omnia haec summopere probo: nec ego solum, sed jam tum universus probavit senatus, quum et meis et Metelli militibus agrum decerneret. Sed eo quidem tempore propter inopiam reipublicae ea largitio dilata est. eadem nunc, beneficio Deorum et opera mea locupletior, et illis praestare promissa, et reliquis reddere finctus communium laborum potest.* Haec loquutus, singula legis capita recensens dilaudabat.

Eique defensorem fore pollicetur.

LXXXVI. Id quum cupientissimo populo fieret, adjecit Caesar; *Quaero igitur ex te, Magne Pompei, quoniam legem probas, an ei defensor sis futurus, si quam adversarii vim fecerint?* simul versus ad plebem, orare Magnum hortabatur. Pompejus, hoc honore valde elatus, quod consul populi Romani atque ipse populus ad auctoritatem privati confugeret, multa de rebus suis magnifice loquutus, postremo dixit, *si quis sumere gladium ausus esset, se cum scuto et gladio adfuturum.* quo uno dicto nihil umquam exciderat Pompejo immodestius. Et offendebantur quidem haud perfunctorie optimates. sed, quum haec omnia M. Crasso probarentur, alii quoque minus tetenderunt in re populo gratissima, hisque duobus accesserunt, qui et boni viri, et Caesari non amicissimi putabantur: adhuc enim conspirationem suam occultabant.

Caesar filiam Pompejo collocat.

LXXXVII. Sed eruperunt paullo post ejus rei manifesta indicia, quum Caesar filiam, Caepioni Servilio, cui desponsa fuerat, cujusque praecipua opera Bibulum impugnaverat, ademptam, Pompejo collocavit; Pompeji filiam Caepioni pollicitus, quamquam et illa sponsum haberet Faustum Sullam. Haec faciebat provinciam cogitans; simul, ne, se absente, Pompe-

Cap. LXXXV. Plut. Caes. et Pomp. Appian. Dio. Cap. LXXXVI. Plut. Caes. et Pomp. Dio. Cap. LXXXVII. Cic. ad Att. 2, 17. Plut. Dio. Sueton. Caes. c. 20. Vell. 2, 44.

jus aliquid novaret per Gabinium, foedissimum adulatorem suum, qui consul in sequentem annum destinabatur. ipse Calpurniam duxit, ut patrem ejus L. Pisonem, quem alterum facturi consulem erant, hac adfinitate pignoratum haberet: non dissimulante Catone, talibus nuptiis dotem a republica imperium et exercitus dari. Post hanc adfinitatem Caesar in senatu Pompejum primum sententiam rogare coepit, quum M. Crassum soleret: cujus rei rationem senatui reddendam putavit, quia moris erat, ut, quem quis rogandi sententias Kalendis Januariis instituisset ordinem, eum toto anno servaret: id quoque novo more, quum olim, qui princeps in senatum esset lectus, etiam sententiae dicendae esset princeps. U. c. 693. A. C. 59.

LXXXVIII. Ne sic quidem mutavit sententiam Bibulus, quin ope trium tribunorum plebis, Cn. Domitii, Q. Ancharii, C. Fannii, suffultus, legem impediret tanta pervicacia, ut, consumptis omnibus moraecaussis, ad extremum in singulos consulatus sui reliquos dies ferias indiceret: ne enim feriis coïret populus, legibus vetabatur. Sed Caesar, spreto Bibulo, nihilominus praedixit comitiis legis ferendae caussa diem: inque idem tempus Pompejus, jam ducta Julia Caesaris gener, armatis urbem compleverat. *Bibulus legem impedit.*

LXXXIX. Adfuit et Bibulus, instigantibus Patribus, qui domum consulis venerant, quod, altero impediente consule, convocari senatus nequibat; ut potius aliena improbitate victus esse, quam sua sponte cessasse, videretur: et per densam multitudinem, quae sicas sub vestibus ferens forum de nocte occupaverat, ad aedem Castoris, Lucullo et Catone comitantibus, contendit; aliis reverentia potestatis, multis, qui sententiam mutasse crediderant, viam dantibus. Sed, ubi ex superiore loco impugnare legem coepit, tanta est commota seditio, ut ipse de gradibus deturbaretur, cophinus stercore repletus in caput consulis effunderetur, fasces frangerentur, multi comitum, atque inter alios duo tribuni, verberibus vulneribusque adficerentur. *Inde magna seditio exoritur.*

Cap. LXXXVII. Plut. Caes. Dio. Appian. Plut. Cat. et Pomp. Appian. Dio. Plut. Sueton. A. Gell. 4, 10. Sueton. A. Gell. 4, 10. et 14, 7. Cap. LXXXVIII. Dio. Cic. pro Sext. c. 53. Dio. Plut. Caes. et Pomp. Cap. LXXXIX. Appian. Civil. l. 2. Dio. Appian. Plut. Pomp. Dio. Sueton. Dio. Appian. Plut. Pomp. et Cat.

U. c. 693. A. C. 59. *Bibuli constantia.*

XC. Inter haec Bibulus insigni constantia nudabat jugulum, efferebat, ad caedem magna voce invitabat Caesaris satellites, *Ego vero*, inquiens, *si Caesarem, ut juste agat, movere nequeo, id saltem efficiam, ut mea mors sceleſtiorem inviſioremque omnibus reddat.* Haec vociferantem in vicinam Jovis Statoris aedem amici rapuerunt. Tum in Catonem versus impetus, qui, ut erat juvenis et robusto corpore, per medium agmen via facta, quum verba coepisset facere, sublimis a factione Caesaris est elatus. At ille, diversa fori parte recurrens, convicia Caesari ingerebat: donec iterum priorem ad modum est elatus. Ita per vim perlata lege, jurare populum jussit Caesar, perpetuo ratam fore. idem deinde jusjurandum a senatu exegit.

Bibulus domi se continet.

XCI. Bibulus, aegre vitato exitio, postridie in curia conqueritur, rescindere acta parat: Pompejo Crassoque resistentibus, plerisque metu aut errore quietis, nihil promovetur. Igitur Bibulus, in reliquum anni tempus (menses autem octo supererant) domi se continens, tantum agenti aliquid Caesari *ferias esse* obnunciabat per edicta. Sed P. Vatinius, tribunus plebis levissimus, qui et nuper consulem in vincula ducere conatus erat, viatorem misit, qui eum domo vi extraheret. Nam hic se ad omnia Caesaris cupita signiferum praestabat, unde Cicero, occultius ad Atticum de his temporibus scribens, *Athenionem* vocat, cum illo servorum in Sicilia duce vilissimae plebis concitorem Vatinium comparans. Nec ex toto illo collegio quisquam illo anno legem tulit, quum nemo non haberet promulgatas, praeter Vatinium, qui nec auspicia, nec Aeliam Fusiamque leges curabat. Ceterum, collegis Vatinii intercedentibus, Bibulus, omissus in praesentia, nihil postea neque ipse, neque tribuni, qui cum eo senserant, publicae rei egerunt.

Vatinii improbitas.

XCII. Adhuc in legem aliqui senatorum non juraverant, Q. Metellus Celer, exemplum Numidici referens, M. Cato, et hujus imitationem adfectans M. Favonius. Idcirco Caesar legem tulit, *ut, qui certam ante diem non jurasset, capitalem fraudem fraudus esset.* Hic metus, an quia lege jam perlata nihil ex sua calamitate

Cap. XC. Appian. Plut. Cat. Cap. XCI. Dio. Sueton. Dio. Sueton. Plut. Pomp. Appian. Vell. Dio. Cic. in Vatin. c. 9. Cic. ad Att. 2, 12. Cic. in Vatin. c. 7. Dio. Cap. XCII. Appian. Plut. Cat. Cic. pro Sext. c. 28.

commodi perventurum ad rempublicam erat, et illos, et tribunos plebis ad jurandum adegit. U. c. 693. A. C. 59.

XCIII. Sic ille non modo agrum, de quo pugnatum erat, divisit; sed etiam, qui exceptus anteà fuerat, Campanum Stellatemque extra sortem dedit patribus familias, quibus terni, aut eo plures, liberi essent. horum ad viginti millia reperti: et ab eo primum tempore coloniis Romanis connumerata Capua est, quum circiter annos centum quinquaginta praefecturae formam nomenque habuisset. His legibus ingenti ad populum quaesita gratia, quo equestrem ordinem adjungeret, publicanis (erant enim ex eo ordine) trientem plebiscito remisit: hactenus enim, resistentibus quibusdam, et praecipue Catone, nihil ab senatu impetraverant. *Agrorum divisiones.*

XCIV. Sic in ordinem redactis Patribus, reliqua civitate devincta, quidquid voluit, cui voluit, dedit. Acta Pompeji, ne ipso quidem ultra renitente Lucullo, quem ita calumniarum metu exterruerat, ut ad genua sua accideret, nedum aliis, confirmavit; provincias, ut Spintheri Hispaniam, dandas, quibus ipse cuperet, curavit: de variis rebus ex suo conjuratorumque arbitratu leges tulit, de Majestate, de Sacerdotiis, de Provinciis, de Repetundis; paratis in quodlibet populi suffragiis, quae praeter cetera ludorum et venationum mercede quaesiverat. Totam denique rempublicam, latente collega, solus administravit. Unde homines urbani, quae gesta eo anno essent, non, ut solitum, duobus consulibus, sed ejusdem nomine ac cognomento signabant, *Julio et Caesare consulibus.* *Caesaris potentia.*

XCV. Hunc rerum statum quum multi gravarentur, et aliquando Caesar in senatu de infrequentia quereretur; Q. Considius, *arma timirum et milites timeri*, respondit. *Quin igitur te*, inquit Caesar, *eadem formido continuit domi?* Tum ille: *Hoc metu senectus me liberat; quae gladiis tuis parvam reliquit vitae, nec dignam cautione, particulam.* Inter quae Q. Fusius Calenus praetor, animadverso, in suffragiis promiscue latis bene consulta sibi quemque adscribere, deteriorum culpam *Q. Considii gravitas.*

Cap. XCII. Dio. Appian. Cap. XCIII. Plut. Cat. Dio. Sueton. Cic. ad Att. 2, 16. et 17. Appian. Dio. Sueton. Vell. 2, 44. Dio. Cap. XCIV. Appian. Sueton. Dio. Sueton. Caes. B. Civ. 1. et Cic. ad Fam. 1, 9. Dio. Pigh. Ann. Appian. Sueton. et Dio. Cap. XCV. Plut. Caes. Dio.

U. c. 693. A. C. 59. transferre in alios, legem tulit, uti *singulorum corporum suffragia seorsim colligerentur*, quo intelligi possit, si non quid viritim unicuique, nam id ad leges solvendas tabellarias pertinebat, certe quid cuilibet ordini placuisset.

Provinciae et exercitus Caesari decernuntur.

XCVI. Nihil id Caesaris intererat, qui, se praesentibus abunde contentum ferens, quidquid cupiebat, aliorum opera, nec a plebe solum, sed postea etiam a senatu, consequebatur. Nam Illyricum Galliamque Cisalpinam, quam ex omnibus provinciis elegerat, socero generoque suffragantibus, cum legionibus tribus in quinquennium accepit rogatione Vatinia: mox quarta legio, et, quae trans Alpes est, Gallia senatusconsulto accessit. Verebantur enim Patres, ne, cunctantibus ipsis, et hanc populus daret, qui jam contra legem Semproniam juris hujus usurpationem primam gustaverat. Neque dissimulavit hujus victoriae gaudium, paucisque interjectis diebus, frequenti curia, *omnium se capitibus illusurum*, jactavit: ac, negante quopiam, *facile hoc ulli feminae fore*, respondit, *in Assyria quoque regnasse Semiramin, et magnam Asiae partem olim paruisse Amazonibus.*

Caesar reges socios sibi conciliat.

XCVII. Neque contentus domesticis praesidiis, regna sociorum omnibus modis studuit adjungere. Ariovistum Suevorum regem, itemque Ptolemaeum, cui et magnam pecuniae summam crediderat, *socium et amicum* appellandum, et lege et senatusconsulto, foedusque cum eo in Capitolio feriendum curavit. Inter haec consules designati sunt, uti convenerat, L. Piso, A. Gabinius. Gabinium de ambitu interrogare C. Cato adolescens cupiebat. Sed, quum per aliquot dies copiam sui praetores non facerent, in concionem adscendit Cato, et Pompejum privatus *Dictatorem* appellavit. Unde magnus exortus tumultus est, propiusque nihil factum, quam ut homo temerarius et nullius consilii occideretur.

Vettius turbas excitat.

XCVIII. Sed acriores sub idem tempus turbas excitavit L. Vettius, Catilinariae conjurationis index, qui, subornatus a Caesare, sollicitatum se a qui-

Cap. XCVI. Sueton. Dio. Appian. Plut. Vell. Sueton. Dio. Oros. 6, 7. Sueton. Cic. in Vatin. c. 15. et pro Domo, c. 9. Sueton. Cap. XCVII. Caes. de B. Gall. 1. Dio, l. 38. Plut. Caes. Dio, l. 39. Caes. de B. Civ. 3. Cic. pro Sext. c. 26. Cic. ad Q. Fratr. 1, 2. Cap. XCVIII. Cic. ad Att. 2, 24. Sueton.

busdam de inferenda Cn. Pompejo et C. Caesari nece dicebat. Et fabula aliquanto aliter, quam ornata putabatur, acta est. Vettius enim cum pugione, servique ejus cum telis in foro deprehendi, mox Vettius indicium profiteri debuerat. Sed ille, quo Curionem adolescentem in suspicionem adduceret, familiaritate ejus adfectata, dixerat sibi certum esse, cum suis servis impetum in Pompejum facere, idque ille ad patrem, pater ad Pompejum detulerat. Erat autem Curioni filio Caesar offensus, quod, aperte triumvirorum nimias opes traducens, adsensum habere multitudinis videbatur, eique ludis Apollinaribus equites stantes plauserant, quum, ingrediente theatrum Caesare, quievissent. U. c. 693. A. C. 59.

XCIX. At Vettius, in senatum introductus, fide publica postulata, exposuit, *manum fuisse juventutis, duce Curione, in qua Paullus initio fuisset, et Q. Caepio Brutus, et Lentulus Flaminis filius, conscio patre, postea C. Septimium, scribam Bibuli, pugionem sibi a Bibulo attulisse.* Quod totum irrisum est, Vettio pugionem defuisse, nisi dedisset eum consul: praesertim quum ipse Bibulus Pompejum, ut caveret insidias, monuisset, eoque nomine Pompejus ei gratias egisset. Introductus Curio filius refellit Vettium eo maxime, quod Paullum ille dixerat adferre manus Pompeio voluisse, quo tempore Paullum constabat fuisse in Macedonia. Fit senatusconsultum, *uti Vettius, quod confessus esset se cum telo fuisse, in vinculis conjiceretur: qui eum emisisset, eum contra rempublicam esse facturum.* *Multos nominat, tamquam insidiatos Pompejo.*

C. Non obstitit senatusconsultum Caesari, quo minus postero die produceret in rostra Vettium, et, tribuno plebis P. Vatinio secundas agente, dicere juberet ex eo loco, ad quem consuli Bibulo non licebat accedere, quemque Caesar in praetura Q. Catulo praecluserat. Igitur Vettius auctores impulsoresque sceleris nominavit M. Bibulum, C. Curionem cum filio, L. Paullum, qui tum quaestor in Macedonia aberat: praeterea L. Lucullum, L. Domitium, quos in senatu ne tenuissima quidem suspicione adsperserat. Contra Caepionem, quem ibidem acerrime nominaverat, in foro omisit; ut appareret noctem et nocturnam depreca- *Subornatur a Caesare.*

Cap. XCVIII. Cic. Cic. ad Att. 2, 18. et 19. Cap. XCIX. Cic. ad Att. 2, 24. et in Vatin. c. 10. Cic. ad Att. Cap. C. Cic. in Vatin. et ad Att.

U. c. 698. A. C. 59. tionem interveniſſe Serviliae, quae mater Caepionis cum Caesare habere consuetudinem putabatur. Ciceronem non nominavit, sed dixit, *Consularem diſertum, vicinum consuli, ſibi dixiſſe, Abalam Servilium aliquem, aut etiam Brutum opus eſſe opperiri.* Deinde, quum jam descendiſſet de Roſtris, colloquutus cum eo Vatinius revocavit, interrogavitque, *ecquosnam alios poſſet nominare?* tum ille C. Pisonem generum Ciceronis, et M. Laterensem conscios edidit.

Occiditur. CI. Quamquam in his multa erant, quae falsum indicium proderent, tamen promulgata lex eſt a Vatinio, *ut Vettio praemia decernerentur; deque nominatis ab eo quaeſtio haberetur.* Interim Vettius, apud Craſſum Divitem de vi poſtulatus, quum fraudis architecti consilii tam praecipitis eventum desperarent, in carcere occisus eſt: Caesare suspicionem in alios transferre niso, quamquam ipse necis auctor crederetur. Impetravit tamen ab addicta plebe, ut illius voluntate juſſuque praesidium sibi circumdaret: verbo adversus insidias; revera, ut opprimendis inimicis se muniret.

Caesar praesidium sibi circumdat.

CII. Erat plane miserabilis temporum ſtatus, quum paterentur homines, quae nollent, omitterent mederi, quum poſſent, et tamen ne taciti quidem sortem suam indignarentur. Ludis Apollinaribus maxime perspecta populi voluntas eſt: quum neque Caesari praesenti plausum, et in Pompejum (coloniam enim Capuam deducebat) petulantiſſime invectus Diphilus tragoedus ita placuit, ut saepius a populo juberetur repetere: *Noſtra miſeria tu es magnus*, et, *Virturem iſtam, veniet tempus, quum graviter gemes.* Edicta vero Bibuli, probrorum in illum et Caesarem plena, tam erant jucunda populo, ut locum, ubi proponebantur, prae multitudine legentium, transire nemo poſſet.

C. Antonius damnatur. CIII. Quum iſta maxime fierent, C. Antonium ex provincia reversum accusatores corripuerunt L. Caninius Gallus, Q. Maximus Aemilianus, et M. Coelius admodum adolescens, apud Cn. Lentulum Clodianum. Catilinariam conjurationem objiciebant: nec eo crimine convictus, ob alia, quae proprie in judicium deducta non erant, eſt condemnatus, male geſtis in

Cap. CI. Sueton. Dio, l. 38. Cicero. Appian. Cap. CII. Cic. ad Att. 2, 20. Cic. ad Att. 2, 19. Val. Max. 6, 2. Cic. ad Att. 2, 21. Cap. CIII. Val. Max. 4, 2. Cic. in Vatin. c. 11. et pro Coel. c. 31. Cic. pro Coel. c. 7.

Thracia rebus. Macedoniam provinciam obtinuerat, eoque, ſtatim ut in agro Piſtoriensi victus fuerat Catilina, cum laureatis fascibus profectus (quae res poſt eventum in omen tracta eſt, quasi victoriam hoſtibus, ad quos laurum victricem tulerat, portendiſſet) multa sociis finitimisque, tum adhuc pacatis, incommoda per avaritiam intulerat. U. c. 698. A. C. 59.

CIV. Non tulerunt Dardani praedas ex suis finibus agentem: suoque et vicinorum contracto exercitu iverunt obviam. Sed ille, non ausus exspectare, quos laceſſiveraſ, tamquam ad alia praevertens, cum equitatu profugit. pedeſtres copiae caesae fugataeque sunt. praeda omnis amiſſa. Simili cauſſa eventuque commovit timuitque Mysiae bellum, poſtquam ad Iſtrianorum urbem Scythae Baſtarnaeque incolis auxilio advenerant. Hujus damnatione Catilinae sepulcrum floribus ornatum, juſtaque ei a perditiſſimis hominibus facta sunt. Ipse Cephalleniam legit exsilii sedem, ibique urbem inſtituit condere, totam insulam tamquam suam poſſeſſionem tenens: ut jam tum appareat, majora fuiſſe exsulum viatica, quam fuerint principum antiquorum patrimonia. Hujus deinde filiam accusator ejus Caninius duxit. *Macedoniam incursant finitimi.*

CV. Sed Antonium, in consulatu collegam, Cicero defenderat, quamquam adspersum se suspicione gravatus, quod inter rapinas suas partem quaeri Ciceroni jactaverat. In eo judicio forte quaedam de praesenti reipublicae ſtatu queſtus erat Cicero, quae, ad Caesarem Pompejumque delata, graviter eos offenderunt. Et erat jam ante iratus Ciceroni Caesar, quod in viginti viris dividendo agro Campano eſſe noluiſſet. magnum enim inimicitiarum argumentum putabatur edere, qui ne honorem quidem delatum ab illo accipere vellet. Igitur nihil ultra cunctandum rati, ut simul potentiam suam vimque adversariis oſtentarent, eadem adhuc die horaque nona, quum illa sub sextam a Cicerone dicta eſſent, acerbiſſimum ejus inimicum P. Clodium ad plebem transduxerunt. *Cicero Caesarem et Pompejum offendit.*

CVI. Id olim agitabat Clodius, sed, varie fruſtrato proposito, nihildum promoverat. Nuper autem Q. *P. Clodius traducitur ad plebem.*

Cap. CIII. Dio. Liv. Epit. Jul. Obseq. Dio. Cap. CIV. Cic. pro Flacco, c. 38. Strabo, l. 10. p. 455. Val. Max. 4, 2. Cap. CV. Dio. Cic. ad Att. 1, 12. Cic. pro Domo, c. 16. Dio. Sueton. Cic. ad Att. 2, 19. et 9, 2. et de Prov. Cons. c. 17. Vell. 2, 45. Cic. ad Att. 9, 2. Cap. CVI. Dio. Sueton.

U. c. 693. A. C. 59. Celer, qui fortissime proposito Clodii restiterat, morte subductus erat, tam opportune et velociter, ut scelus uxoris, quae fratri et in aliis nimis dicebatur esse morigera, plerique suspicarentur. Tum vero, agente Caesare, inventus est P. Fontejus quidam ex plebe Romana, qui lege curiata Clodium adoptaret, statimque emitteret manu: quod per se evidens erat elusarum legum commentum, et sanequam rationi et juri repugnans, quod major natu Clodius a minori adoptabatur. Exhinc multa injecta sunt in rempublicam et integerrimos quosque custodes ejus fulmina, patefacto ad tribunatum aditu, quem mox petiit Clodius; et designatus est.

M. Laterensis laudabile factum. CVII. Petierat et M. Laterensis egregius adolescens. sed, quia lex de agro Campano exsecrationem habebat in coitione candidatorum, *si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ex legibus Juliis*, petere destitit, ne juraret. Post Antonii damnationem reus ex Asia L. Valerius Flaccus ab eodem Cicerone apud T. Vettium felicius est defensus, et opportunitate joci cujusdam absolutus. Eodem quoque patrono bis hoc anno judicum suffragiis liberatus est A. Minucius Thermus. Inito deinde tribunatu P. Clodius M. Bibulum, verba facere in deponendo magistratu incipientem, prohibuit, et sollemni jurejurando jussit esse contentum.

Indi in Germania capti. CVIII. Eodem anno Q. Metello Celeri, quum in Galliam proconsule profectus esset, rex Suevorum Ariovistus homines quosdam ex India dono dedit, qui, quum e patria commercii caussa navigarent, tempestatibus erant in Germaniam abrepti. Marcius Philippus, qui Syriam ex praetura obtinebat, cum Arabum praedonibus, provinciam incursantibus, parum prospere bellum gessit: alioquin etiam haud optima fama agendo, ut clarissima C. Octavius; qui Macedoniae non minore justitia, quam fortitudine, praeerat. Atque is, Bessis, ferocissimis Thracum, magno proelio fusis, *Imperator* appellatus est.

Cap. CVI. Cic. pro Domo. Supra, c. 62. Cic. pro Coel. c. 24. Cic. pro Domo, capp. 13. et 14. Cic. pro Sext. c. 7. Plut. Caes. et Cic. Cap. CVII. Appian. Cic. ad Att. 2, 18. Cic. pro Flacco, c. 38. Id. ibid. c. 34. Macrob. Sat. 2, 1. Cic. pro Flacco, c. 39. Dio. Cap. CVIII. Plin. 2, 67. et Pomp. Mela. 3, 5 Appian. Syriac. Cic. ad Q. Fratr. 1, 2. Sueton. Aug. c. 3. Vell. 2, 59.

CIX. At Clodius, omni ad opprimendum Ciceronem intento nisu, favorem sibi ordinum prius parandum rogatione ratus, annonariam legem, itemque aliam de instaurandis collegiis tulit, triduo postquam L. Calpurnius L. F. L. N. Piso Caesoninus, A. Gabinius A. F. consulatum iniissent. Erant haec summe popularia. nam frumentum populo, quod antea semissibus et trientibus in singulos modios dabatur, gratuitum fiebat: et collegia non tantum, quae senatus sustulerat, restituebantur; sed multa praeterea, quae numquam fuerant, ex faece plebis constituebantur. Ut autem senatu placato uteretur, (nam consules, Pisoni Macedonia, Gabinio Syria, datis provinciis, emerat) tulit, *ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve notarent, nisi qui apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset.* Ne autem cum plebe acturo de coelo servantium obnunciatio noceret, unam maximam perniciosarum legum remoram, Fusiam et Aeliam leges, quae erant de auspiciis latae, abrogavit; cauto, *ne quis magistratus per eos dies, quibus tribunus plebis cum populo ageret, de coelo seruaret.* Nam antiquitus otinnerat, ut, quum plurimum auguriis ominibusque Romani tribuerent, infinita haberent singulis negotiis, ut putabant, significantia eventum. Sed augurium de coelo praecipuum habebatur, idque semel captum in totam eam diem et ad omnia negotia valebat. Eadem rogatione Clodii comprehensum, *ut omnibus fastis diebus legem ferre liceret*, etiam intercessione sublata: ne quid divini humanive juris morari praecipitem hominis furorem posset.

U. c. 693. A. C. 69. *Clodii perniciosae leges.*

U. c. 694. A. C. 58. L. Calpurnio, A. Gabinio coss.

CX. Nec fallebat Ciceronem, adversus se omnes istas machinas comparari; quapropter L. Mummium Quadratum tribunum plebis invenit, qui Clodianis actionibus omnibus intercederet. Hic et Kalendis Januariis, quum in id tempus Compitalitiorum dies incidisset, Sex. Clodium, operarum Clodianarum ducem, prohibere tentaverat, ne ludos faceret: et P. Clodio se adversarium ubique intendebat.

Cicero resistit Clodio.

CXI. Idcirco Clodius et, qui occulte in perniciem Ciceronis conspiraverant, Pompejus atque Caesar, do-

Sed dolo Clodii evertitur.

Cap. CIX. Marmor, apud Pigh. Plut. Cic. Dio. Cic. in Pis. c. 9. et ibi Ascon. Cic. passim in Orat. Dio. Cic. passim. Ascon. in Pis. Dio. Cic. post Redit. in Sen. et de Har. Resp. et pro Domo, etc. Cap. CX. Cic. in Pis. c. 4. et ibi Ascon. Dio. Cap. CXI. Vell. 2, 54.

U. c. 694. A. C. 58. lum instruunt. Pompejus, cui Cicero fidem habebat, *Clodium a se, uti ne in tribunatu contra Ciceronem faciat quidquam, omni cautione, foedere, exsecratione devinctum*, confirmat; praeterea praeclare atque magnifice omnia pollicetur. his uti color constaret, ipse jam Clodius remissius leniusque incessere Ciceronem: magis incusare Terentiam; saepe desiderium instaurandae gratiae profiteri. Ita decepto Cicerone, et quiescente Mummio, leges istae perferuntur.

Ciceronis periculum. CXII. Continuo promulgatur, *uti aqua ignique interdiceretur eis, qui civem indemnatum occiderent, occidissent.* Hoc crimine, si crimen esset, totus senatus tenebatur: sed Cicero, solum se aut primum peti gnarus, qui Lentulum ceterosque Catilinariae conjurationis antesignanos de sententia senatus supplicio adfecerat, priusquam cum eo nominatim agi coeptum esset, vestitu mutato, populum rogare coepit: quod consilium, sejuncta caussa sua, perniciosum fuisse, postea ipse agnovit.

Cura pro eo equitum. CXIII. Mutavit cum eo vestem omnis pene Romanorum equitum multitudo: nec minus viginti millia juvenum, promisso capillo, cum eo circumibant rogabantque, P. Crasso M. F. auctore ac duce. Sed omnibus viis, qua incederet, Clodius cum ingenti perditorum hominum agmine occurrebat, perculso insultantium, lapidesque et coenum in eum jactantium. Senatus quoque *vestem mutare populum, velut in publico luctu*, jubebat: sed consules refragabantur, et cum armatis curiam obsidens Clodius. Sic quoque erupit magna pars Patrum, scissis vestibus, invidiam adversariis cum clamore cientes.

CXIV. At, ubi ne ista quidem tam lamentabilis facies, ad movendum aut misericordiam plebis, aut pudorem, satis efficax fuit; cedendumque urbe Ciceroni, aut pugnandum armis apparuit: tum Cicero, crescente anxietate, intentius etiam rogabat primores civitatis, noctu atque interdiu circumiens domos. Sed ceteris plus voluntatis, quam potentiae, aderat: Crassus palam oppugnabat eum: Pompejus atque Caesar

Caesaris et

Cap. CXI. Cic. ad Att. 2, 19. et 20. et pro Sext. c. 7. Dio. Plut. Cicer. Cap. CXII. Dio. Plut. Vell. Liv. Epit. Dio. Plut. Appian. Cic. ad Att. 3, 15. Cap. CXIII. Plut. Cic. post redit. ad Quir. c. 3. Plut. Crasso. Appian. Plut. Cicer. Cap. CXIV. Dio. Plut. Dio.

sceleſtius tegebant odia, quam fovebant, certique illum perdere, quo magis illicerent in fraudem, quamquam ipsi unanimes, discordia consilia dabant. Caesar secum ire jubebat in Gallias, legatione oblata, sic honeſte declinaturum pericula. Pompejus id quidem magnopere dissuadebat, fugam appellando, neque consilium aliunde, quam ab inimico animo, profectum subinnuens. *Quin ille pro ſe atque senatu fortiter propugnaret, nec ſuum ei, nec ceterorum bonorum auxilia defutura, quibus haud aegre ſuperaturus Clodium eſſet.* Acceſſit haud invitus huic sententiae Cicero, semper in Pompejum pronior. praeterea opes ejus, quibus supra omnes eminebat, intuitus, per hunc maxime retineri Clodium poſſe putabat, qui adfinis ei per Muciam, et sub ejus imperio diu in exercitu fuerat. Consules autem, Gabinium quidem totum noverat eſſe Pompeji; Pisonem non inhumanum, et propter adfinitatem sui ſtudiosum rebatur.

U. c. 694. A. C. 58. *Pompeji fraus.*

CXV. Ergo, resumpta fiducia, se parabat ad pugnam, multorum adjutus insignibus ſtudiis. Nam per ea tempora equites Romani, frequentes in Capitolio congreſſi, deprecatores ad consules et senatum quum alios ex suo ordine, tum principes civitatis Q. Hortensium, C. Curionem miserunt. L. Mummius tribunus plebis praeter alia, quae ſtudiose pro Cicerone factitaverat, etiam plebem ad veſtem mutandam eſt adhortatus: quod senatores itidem plerique fecerunt, donec edicto consulum ad veſtitum redire compulsi sunt. Major enim adversariorum potentia fuit: et, intercessione sublata, parum L. Mummii valebat auctoritas: et equites per Gabinium consulem aditu curiae sunt prohibiti: L. etiam Aelius Lamia, quod vehementius inſtiterat, relegatus: Hortensius et Curio, ad populi concionem a Clodio rapti, per homines ad id praeparatos contumelias et verbera, susceptae legationis praemium, retulerunt.

Aliorum ſtudia in Ciceronem.

CXVI. Igitur, rebus ad extrema deductis, Cicero ipse, aut per amicos, Pompejo supplicabat. Ille, quo pudorem improbe deserti amici saltem absentia tegeret, in Albano degebat. Eo primum Ciceronis gener

Pompejus Ciceronem deserit.

Cap. CXIV. Cic. ad Att. 2, 18. et 19. Plut. Dio. Flor. 4, 2. Dio. Cic. ad Fam. 5, 2. Dio. Cap. CXV. Cic. ad Q. Fratr. 2, 2. Cic. ad Att. et in Pis. c. 5. et pro Sext. c. 11. Dio. Cic. in Pis. c. 8. Dio. Cic. in Pis. c. 27. et pro Sext. c. 12. et pro Mil. c. 14. Dio. Cap. CXVI. Plut. Cic.

U. c. 694. A. C. 58. C. Piso, deinde ipse quoque Cicero venit; quum ille hominis ante amicissimi, et qui pro se multas contentiones suscepisset, vultum non sustinens, ne in conspectum veniret, per alias fores se subduxit. Postremo accesserunt ad eum L. Lentulus tum praetor, Q. Fabius Sanga, et ex consularibus L. Torquatus, M. Lucullus. Sed remissi sunt ad consules, negante Pompejo, *se, nisi relatum ea de re, senatusque consultum factum esset, arma capturum.* Itur ad consules, quorum non erat ignota Pompejo sententia. Gabinius duriter respondet: lenius in speciem, sed eodem animo, L. Piso, *nihil opus esse contentione: posse iterum a Cicerone servari rempublicam, si cedat. ni faxit, infinitam caedem, et ipsi inevitabile periculum fore.*

Sensus principum in periculo Ciceronis.

CXVII. Jam dies a Clodio perferendae legi dicta aderat, et concio, quo Caesar, qui jam paludatus profectus ex urbe fuerat, interesset, extra pomoeria habebatur. Ibi producti ad populum consules, et interrogati, *quid de lege sentirent?* Piso respondit, *numquam sibi placuisse crudelitatem:* Gabinius non Ciceronem modo, sed etiam equites ac senatum incusavit. Caesar deinde jussus dicere, *Lentulum, Cethegumque, et ceteros jure necatos videri*, negavit: *neque obscurum cuiquam esse, quid de ea caussa semper sensisset. poenam tamen ejus facti non probare: praeterita mala oblivione sepelienda.* At Crassus, quamquam filium suum, quam posset, opem ferre Ciceroni pateretur, ad populi sensum, ut solebat, adcommodavit orationem. Pompejus, ore magis, quam animo, verecundo, per simulationem aliorum negotiorum absfuit.

Cato in Cyprum proficiscitur,

CXVIII. Inter haec Ciceronem consilii incertum Lucullus vim vi repellere hortabatur: ceteri, et maxime M. Cato, Q. Hortensius, Q. Arrius, bellum civile abnuebant. Cato tum in Cyprum proficiscebatur arte tyrannorum, qui, non nisi duobus his publicae libertatis amotis adsertoribus, consiliorum suorum, qualem volebant, eventum opperiebantur. Neque enim dubio illorum impulsu P. Clodius, de Ciceronis oppressione desperans, donec in urbe Cato esset, hanc ejus

Artibus P. Clodii.

Cap. CXVI. Cic. in Pis. c. 31. Plut. Cic. in Pis. Dio. Cap. CXVII. Cic. in Pis. c. 6. Dio. Cic. post red. in Sen. c. 5. Dio. Sallust. Incert. 1. Dio. Cap. CXVIII. Plut. Dio. Cic. ad Q. Fratr. 1, 3. Cic. pro Domo, c. 9. Plut. Cat. Dio. Cic. pro Sext. c. 28.

ejus per speciem honoris admoliendi aſtutiam eſt commentus. U. c. 694. A. C. 58.

CXIX. In Cypro Ptolemaeus regnabat, omnibus contaminatus morum vitiis. ceterum nec id ad populum Romanum pertinebat; neque is erat Clodius, ut alienas vitas, omni ipse turpitudine coopertus, caſtigare deberet. Sed ille Ptolemaeum oderat, quod se captum a piratis redimere neglexiſſet; promulgabatque de Cypro ei adimenda. Magna paupertas erat tum aerarii, magna Cypriarum opum fama: civitatis corrupti mores, populus injuſtus, principes avari. his omnibus de cauſſis injuſtiſſima rogatio cupide accepta eſt.

CXX. Ea de re cum Catone, non multo poſt initum tribunatum, colloquutus, *ei ſe curationem illam daturum*, dicebat, *quem Romanorum omnium innocentiſſimum, ideoque beneficio illo dignum arbitraretur*. Reclamante Catone, *ſe vero infidias et injuriam, non beneficium, Clodii agnoſcere*; tum ille arroganter et aspere, *Quando igitur volentem*, inquit, *emittere nequeo, nolentem expellam*. continuoque profectus in concionem legem tulit, *uti Cato quaeſtor cum jure praetorio, adjecto etiam quaeſtore, ad exuendum regno Ptolemaeum in Cyprum mitteretur: idemque Byzantinorum reduceret exſules*. quo nimirum diutius absens in tribunatu graſſandi locum Clodio daret. *Catonis cum Clodio jurgium.*

CXXI. Hoc igitur tam firmo propugnaculo quum se deſtitutum Cicero reputaret, signo Minervae, quod diu habuerat domi, in Capitolium cum inscriptione *Cuſtodis Urbis* posito, nocte profectus ex urbe, deducente amicorum praesidio, Siculos petiit, publice privatimque devinctos plurimis beneficiis, et quia provinciam eam C. Virgilius obtinebat, vir meliorum partium, et vetuſta amicitia Ciceroni conjunctus. In illo itinere, dum in villa quadam Atinatis agri diversatur, primam ei meliorum temporum spem oblatus per quietem C. Marius cum laureatis fascibus obtulit; a quo, consulatus insignibus ornato, interrogari se putavit, *quid ita triſtis incerto itinere pergeret?* deinde proximum sibi lictorem ab eo datum, qui se in monumentum Marii *Cicero in exsilium abit.*

Cap. CXVIII. Vell. 2, 45. Cap. CXIX. Strabo, l. 14. p. 684. Vell. Dio. Plut. Marcellin. 14, 27. Flor. 3, 9. Cic. pro Sext. c. 27. Cap. CXX. Plut. Vell. 2, 45. Plut. Cap. CXXI. Dio. Cic. pro Domo, c. 57. Plut. Cic. Dio. Cic. pro Planc. c. 40. Val. Max. 1, 7. Cic. de Divin. l. 1. c. 28.

U. c. 694. A. C. 58. deduceret, adjecto, *in eo salutem fore.* Id somnium quum fugae comiti Sallustio narrasset, *reditum ei celerem et gloriosum paratum esse*, Sallustius exclamavit. Et eventu comprobatam rem ferunt: idque senatusconsultum, quo reditus Ciceroni procuratus est, in aede Jovis Mariana factum esse.

Q. Ciceronis somnium de fratre.

CXXII. Sub idem tempus obtinenti Asiam fratri Ciceronis Quinto visus per quietem Marcus erat equo ad ripam magni fluminis advehi: deinde lapsus in flumen disparere; postremo redditus esse moerenti laetus, eodemque equo adversam adscendisse ripam, et venisse in fratris amplexus. Cognito Ciceronis discessu, Clodius exsilium ei scivit, aqua et igni interdicto, vetitoque, *ne a quoquam intra quingentesimum ab urbe milliare tecto reciperetur. si quis intra eos fines ipsum, aut a quo receptus tecto esset, occidisset, ut impune esset.* quae tanto omnium metu perlata rogatio est, ut etiam strenuissimi quique Ciceronis defensores adsentirentur. Senatus tamen publice regibus civitatibusque commendavit virum.

Senatus Ciceronem commendat publice.

CXXIII. Ob eam rem, et propria merita famamque, plurimorum obviis studiis exceptus adjutusque, tamen, quum Vibonem venisset, a Vibio, quem multis adfecerat beneficiis, praefectumque fabrum habuerat in consulatu, domo exclusus, etiam a C. Virgilio literas accepit, abstinere Sicilia jubentes. igitur, a Brundisio transmittens, ventoque rejectus, iterato cursu Dyrrhachium tenuit. ibi, quia inter exscendendum terra tremuerat, et reciprocaverat aequor, celerem ei reditum vates praedixerunt. Ipse tamen tristis et abjectus animo, quamquam Graeciae civitates studiis in eum certabant, privatimque amicorum officia supererant; non aliorum consolationibus, non sapientiae monitis, quamquam id studium praecipue jactare solitus, adlevabatur.

Clodius in Pompejum insurgit.

CXXIV. Interea Clodius bona ejus subjecerat hastae, nec sectorem reperiebat. incendit ergo villas, diruit, velut publicatam, domum, area Libertati con-

Cap. CXXI. Val. Max. Cic. pro Sext. c. 54. Cap. CXXII. Cic. de Divin. Plut. Dio. Cic. pro Domo, c. 18. Plut. Dio. Cic. ad Att. 3, 4. Cic. ad Fam. 14, 4. Dio. Appian. Cap. CXXIII. Cic. pro Planc. c. 32. Plut. Cic. pro Planc. c. 40. Plut. Cic. ad Att. ad Terent. ad Q. Fratr. Plut. Cap. CXXIV. Dio. Appian.

secrata. Haec omnia quum, territis optimatibus, tam celeriter ex voto confecissset; praefidens animo, neminemque superiorem potentia ratus, in Pompejum insurgere, et ipsius sollicitare acta coepit. Praeterea Tigranem, qui ductus in triumpho tum adhuc in custodia apud L. Flavium amicum Pompejo detinebatur, acceptis pecuniis, liberavit emisitque. Erat eo anno praetor L. Flavius, a quo forte super coenam Clodius petiit, *ut Tigranem adduci juberet*, cupidum se videndi ejus simulans. Adductum deinde collocavit in convivio, neque Flavio statim, neque postea Pompejo repetenti reddidit: sed apud se aliquamdiu habitum imposuit in navem; et profugere jussit. Sed ille, tempestate relatus, quum a Sex. Clodio missu tribuni receptus ad urbem reduceretur, Flavius, re cognita, ad eum diripiendum excucurrit. ad quartum ab urbe lapidem pugna facta, multi ex Clodianis, plures a parte Flavii ceciderunt, inter quos et M. Papirius, eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeji. Flavius sine comite Romam vix perfugit. U. c. 694. A. C. 58.

CXXV. Tum demum deserti Ciceronis poenitentia Pompejum subiit, dolentem ita sibi cecidisse nequiter omnia, ut cliens modo suus Clodius ad se opprimendum tribunatus a se restituti viribus abuteretur: statimque coepit revocandi Ciceronem agitare consilia, estque eo res perducta, quum, atrociter repugnante Clodio, perfici nihil posset, ut tamen senatusconsultum fieret, *ne quidquam prius publicae rei, quam de reditu Ciceronis, decerneretur.* *Inde Pompejus Ciceronem revocare studet.*

CXXVI. Ob eas res quotidiana in urbe proelia fiebant, Pompejum Gabiniumque consulem, qui pro Pompejo stabat, foedissimis conviciis proscindente Clodio. multi mortales inter eas rixas verberati vulneratique sunt: fasces consulis fracti, bona a tribuno consecrata. Contra L. Mummius, adjutus a collegis septem, resistebat acriter. Hic enim Kalendis Juniis de reditu Ciceronis retulit, (quae res intercessione P. Aelii Liguris est sublata) et bona P. Clodii, illius exemplo, Cereri consecravit. *Hinc in urbe proelia.*

Cap. CXXIV. Cic. pro Domo, c. 43. Plut. Cic. pro Domo, c. 25. Ascon. in Milon. Plut. Pomp. Dio. Ascon. Cic. pro Mil. 7. et 14. Ascon. Cap. CXXV. Vell. Plut. Cic. Dio. Plut. Cic. ad Att. 3, 24. et in Pis. c. 13. etc. Dio. Cap. CXXVI. Cic. in Pis. c. 12. Dio. Cic. pro Domo, c. 47. Cic. pro Sext. c. 31. et 32.

U. c. 694. A. C. 58.

Pompejus domi suae obsidetur.

CXXVII. Pompejus, sive contumeliarum impatiens, quod a Clodianis in medio foro saepe conviciis spurcissimis exagitatus erat; sive metu insidiarum, post deprehensum in turba cum gladio Clodii servum; quamdiu fuit in tribunatu Clodius, domi suae se tenuit. Ibi quoque obsessus est ab homine audacissimo, liberto Clodii, Damione, qui et L. Novium tribunum plebis ferro vulneravit. Sed, nec a Caesare vellicando Clodius abstinens, leges Julias contra auspicia latas in concionibus jactabat; quamquam in his esset curiata illa, qua adoptio Clodii continebatur: interrogabatque productum in rostra M. Bibulum, *utrumne, leges ferente Caesare, semper de coelo servasses?* interrogabat augures, *quae ita lata essent, rectene lata essent?*

CXXVIII. Interea Caesar, qui proficisci noluerat, donec relegatos a republica Ciceronem Catonemque vidisset, alterius ingenium, alterius animum, non fraude, non vi superabilia; metuens, sub initium Aprilis in provinciam iit. Pacatissima ibi erant omnia, minime ex voto Caesaris; qui, rebus turbatis, ex ditissimis nationibus praedam, et de pugnacissimis materiam triumphorum quaerebat. Igitur de motu Helvetiorum laetus audivit; qui, ab Orgetorige principe gentis incitati, quamquam illo defuncto, consilium, cujus auctorem damnaverant, exsequuti, incensis sedibus suis, alias quaesitum ad ripam Rhodani contendebant.

Motus Helvetiorum.

Eorum migrationem interpellat Caesar.

CXXIX. His Caesar auditis, tanta festinatione peregit iter, ut octavo die, quam erat ab urbe profectus, ad Rhodanum flumen perveniret. cujus adventu cognito, legatos Helvetii mittunt petitum, ut sibi per provinciam eundi copiam faciat, sine maleficio transituris. Caesar, quasi deliberabundus, reverti legatos ante diem Idus Apriles jubet. interim contrahit strenue copias, provinciae indicit delectum, murum fossamque a lacu Lemano ad montem Juram ducit, quo Helvetiis, Rhodanum ad Genevam transmissuris, iter praecluderet. Igitur illi, quum se delusos intelligerent, et vim tentantes repellerentur, per Sequanos et Aeduos in Santonum fines penetrare instituunt. Hoc im-

Cap. CXXVII. Cic. pro Domo, c. 48. Plut. Pomp. Cic. pro Mil. c. 14. et de Har. Resp. c. 23. Ascon. in Mil. Cic. de Har. Resp. c. 23. et pro Domo, c. 15. CXXVIII. Plut. Caes. Caes. de B. Gall. 1. Dio. Sueton. Caes. c. 22. Appian. Celtic. Dio. Caes. Oros. 6, 7. Cap. CXXIX. Caes. Plut. Caes. Flor. 3, 10. Plut. Caes. Dio. Caes. Liv. Epit. Caes.

pediturus Caesar, T. Labieno legato ei munitioni, quam ad Rhodanum fecerat, imposito, celeriter in Italiam regressus, duas legiones novas conscribit, easque cum tribus, quae circa Aquilejam hiemabant, per Alpes non sine certamine transducit in Galliam. U. c. 694. A. C. 58.

CXXX. Inter haec Helvetii, Aeduorum agros populando, coëgerunt illos, Ambarrosque, et Allobrogum, quae trans Rhodanum colebat, partem, auxilium a Caesare petere. Nec abnuit ille, quo potius, his sociis, bellum adversus Helvetios, quam, neglectis et alienatis, adversus hos simul illosque, gereret. Ad Ararim sive Sagonam (utroque enim nomine appellatur flumen) prima commissa pugna est: ubi quarta ferme pars Helvetiorum, (pagus Tigurinus erat) quum ceteri amnem transissent, a Caesare profligata est. Ceteri per Diviconem legatum, qui bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat, pacem a Caesare postulando verius, quam petendo, conditiones ferebant, *uti sibi sedes constitueret: ibi futuros, ubi ipse voluisset.* recusanti minas ingerunt, pristinarum populi Romani cladium admonent, *neque magni facere* ostendunt, *quod nocturno Caesaris furto partem suorum desiderent: virtute reparaturos, quod hostili dolo damnum captum sit.* Caesar, ad haec dato, quali opus erat, responso, *si quidem dent obsides, facturum, quae peterent,* ostendit. Helvetius contra, *sic se a majoribus suis institutos, ut obsides accipere, non dare, consueverint.* *Tigurinorum clades.*

CXXXI. Sic abjecto pacis negotio, quum hostes progrederentur, Caesar sociorum equitatum praemittit, exploraturum hostium iter. Quatuor millia equitum erant, qui, numero confisi, cum longe paucioribus Helvetiis alieno loco pugnam conseruerunt. paucis cadentibus, fit fuga a Dumnorige, praefecto equitatus, quem Aedui auxilio Caesari miserant, quique, Orgetorigis ducta filia, clam rebus Helvetiorum studebat. *Helvetii Caesaris equites fundunt.*

CXXXII. Helvetii, quod eorum equites quingenti admodum multitudinem tantam fuderant, majore cum fiducia coepta prosequuntur. Subsequitur iter facientes cum suis copiis Caesar, ita ut, per dies praeterpropter quindecim, inter novissimum hostium et primum illius agmen, non amplius quinis aut senis millibus passuum interesset. Quum ita ad duodevicesi- *Deinde ipsum petunt.*

Cap. CXXX. Dio. Caes.

U. c. 694. A. C. 58. mum milliare ab oppido Aeduorum Bibracte perventum esset, Caesar, rei frumentariae caussa eo digressus, opinionem injecit hosti, timore correptos Romanos, et adversi proelii memoria discedere. Igitur, omisso itinere, insequi Caesarem atque lacessere coeperunt. Ille, subductis in collem copiis, dum aciem instrueret, equitatum ad sustinendos hostes emittit: sarcinas in summo colle unum in locum conferri, eumque ab auxiliaribus copiis, ad viginti hominum millia erant, duabusque nuper conscriptis legionibus muniri jubet. Interea Helvetii, cum omnibus suis carris suggressi, postquam seorsim impedimenta collocassent, rejecto Caesaris equitatu, ad collem instructa phalange processerunt.

Sed commisso proelio vincuntur.

CXXXIII. Caesar, suo primum equo, deinde omnium, e conspectu amotis, ut aequato periculo spem fugae tolleret, quatuor veteranis legionibus proelium committit. Ab hora septima usque ad vesperam ita certatur, ut terga neutri verterent; Helvetii, pars major, in montem se quemdam reciperent, vulneribus onerati: Boji Tulingique ad impedimenta carrosque se referrent. In hos ad mediam usque noctem pugnatum, non viris tantum, sed feminis atque pueris, acerrime se defendentibus. postremo tamen capta impedimenta, et cum his Orgetorigis filia, atque unus e filiis ejus. Hostes, qui proelio superfuerunt, ad centum triginta hominum millia, quamquam labore et vulneribus fessi, tota nocte continenter ierunt: et quartum intra diem in fines Lingonum sunt delati. Caesar, qui propter vulnera militum et sepulturam occisorum tridui moram fecerat, literas ad Lingones mittit; Helvetios frumento ullave alia re juvari vetat: secus facientes pro hostibus habiturum minatur.

Et se Caesari dedunt.

CXXXIV. Ea res quum ad extremam inopiam Helvetios redegisset, legatos ad Caesarem de deditione mittunt. Caesar eodem loci adventum suum praestolari jubet: ubi venit, arma, obsides, servos, qui ad eos perfugissent, postulat. Inter haec conquirenda quum nox incidisset, Verbigeni pagi homines, sex circiter millia, ad Rhenum finesque Germanorum ituri, clam excesserunt castris. Hoc ubi Caesar rescivit, iisdem, per quorum agros incesserant, denunciat cum minis, ut illos reducant: reductis pro hostibus utitur: reli-

Cap. CXXXIII. Plut. Caes.

quos omnes, obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accipit. U. c. 604. A. C. 58.

CXXXV. Helvetios, Tulingos, Lacobrigos ad sua reverti jussit, pristinasque sedes instaurare: Allobrogibus imperat, ut frumenti copiam his faciant, quod nihil haberent domi, quo famem tolerarent. Nolebat enim Helvetiorum vacuos fines a Germanis occupari, quos graves provinciis Romanis futuros accolas metuebat. Bojos, quod egregia virtute erant, petentibus Aeduis dedit, quos in finibus suis praesidium contra Germanos collocarent: eosque postea Aedui in parem juris atque libertatis conditionem, qua ipsi agerent, receperunt. In castris Helvetiorum tabulas repertas esse, Graecis literis confectas, Caesar tradidit, harumdem rerum auctor idem scriptorque incomparabilis, quibus ratio contineretur generum capitumque Helvetiorum et sociorum, quae domo exissent. Summa erat Helvetiorum millia ducenta sexaginta tria: Tulingorum millia triginta sex: Lacobrigorum quatuordecim: Rauracorum tria et viginti: Bojorum duo et triginta: horum, qui arma ferre possent, ad millia duo et nonaginta. ex omni hoc numero tantum centum et decem millia domum redierunt. *Summa capitum in Helvetica migratione.*

CXXXVI. Hoc primum Caesaris in Gallia bellum fuit, unde mox alia aliaque secuta, quibus ille per annos novem totam ad Rhenum oceanumque perdomuit; etiam semel iterumque, trajecto Rheno, Germaniam ingressus. Haec omnia quo facilius meliusque noscantur, regionum illarum situs, et quibus sub ea tempora gentibus inhabitatae fuerint, pretium est exponere.

CXXXVII. Galliam Romani duplicem antiquitus fecerunt, Alpibus discretas. Harum, quae ab Roma est remotior, ea hoc vocabulo hodieque censetur. at, quam illi *Togatam* vocarunt, eam posterior aetas ab novis incolis nominavit *Longobardiam:* nunc Italiae pars est. Veram Galliam vetus aetas in Braccatam, Comatamque divisit. Braccata, quae et Narbonensis, vetus populi Romani provincia fuit. Comatam Caesar triplicem fecit, Belgas a Rheno ad Sequanam, Celtas inter Sequanam et Garumnam; reliquam partem, quae Garumna, Pyrenaeisque, et oceano clauditur, attri- *Galliarum situs.*

Cap. CXXXV. Strabo, l. 4. p. 193. Caes. Cap. CXXXVI. Sueton. Caes. c. 25. Eutrop. l. 6. Cap. CXXXVII. Scalig. Notit. Galliae.

U. c. 694. A. C. 58. *Earumdem divisio.*

buit Aquitanis. Sed, ea quum videretur ineptior divisio, quod et Narbonensis excludebatur provincia, et Aquitaniae fines, ceterarum comparatione partium, nimis exiles viderentur, Augustus Caesar, quidquid intra Alpes, mare mediterraneum, et oceanum, et Rhenum, terrarum jacet, uno Galliarum nomine complexus, Aquitaniae nationes adjecit quatuordecim: universae Galliae provincias constituit quatuor, Narbonensi addita: quae iterum sub tempora Constantini discesserunt in partes septemdecim: quae deinde partitio a Romanis semper est retenta. Ejus haec est notitia: Viennensis, Lugdunensis, Germania prima, Germania secunda, Belgica prima, Belgica secunda, Alpes Maritimae, Alpes Penninae et Grajae, Maxima Sequanorum, Aquitanica prima, Aquitanica secunda, Novem populorum, Narbonensis prima, Narbonensis secunda, Lugdunensis secunda, Lugdunensis tertia, Lugdunensis Senonia.

Et notitia.

Viennensis provincia.

CXXXVIII. Harum Viennensis hodie *Delphinatus* vocatur, inter fluvios Isaram Rhodanumque ad fines Allobrogum sita: cujus etiamnum caput Vienna est, Archiepiscopi sedes, sicut olim consularis fuit. pleraeque enim omnes urbes, quas Romanum imperium metropoles fecit, Archiepiscopales postea exstiterunt.

CXXXIX. Ceterum urbes Viennensis provinciae in Itinerario, quod Antonini vocant, notantur quatuordecim: Vienna metropolis, civitas Genevensium, Gratianopolitanorum, Albensium, seu Vivario, Deënsium, Valentinorum, Tricastinorum, Vasionensium, Arausicorum, Carpentoractensium, Caballicorum, Massiliensium, Avennicorum, Arelatensium. quae omnes suis adhuc aut paullum deflexis nominibus noscuntur; totidem nunc Episcopatus, praeter duas ultimas, Archiepiscopalibus infulis insignes. Gratianopolis etiam tribunal habet, *Parlamentum* vocant. Sequitur Lugdunensis in quatuor tributa partes, universa nomen a metropoli habens. Prima partium, praeter metropolin, quatuor habebat civitates, quae et ipsae nunc Episcopatus sunt, civitatem Aeduorum, hoc est Augustodunum, Lingonum, (nunc *Langrensem* Episcopatum vocant) Castrum Matisconense, et Cabillonense.

Lugdunensis.

Germaniae duae.

CXL. Germanias duas in Rheni ripa citeriore vocarunt Romani, quod eam Galliae partem Germanicae nationes insederant. Earum, quae prima vocabatur, a meridie Burgundos respicit et montem Juram, Rhe-

num ab ortu habet, ad occasum Lugdunenses Senones colunt. Metropolis huic est Maguntiacensium civitas: reliquae, praeter alia municipia, Argentoratensium, Nemetum, qui nunc *Spirenses* sunt, et Vangionum, in quorum urbe haec scribebamus: quae hodie *Vormatia* vocatur. (Borbetomagum fuisse opinantur) et hae quoque omnes, praeter metropolin Archiepiscopalem, Episcopos suos habent. Inferior Germania, post metropolin Coloniam, civitate Tungrorum, quam Caesar *Asuaticum* vocat, insignitur. U. c. 694. A. C. 58.

CXLI. Belgica fluminibus Mosella, qui et *Obringa* vocabatur, et Sequana terminatur: Mosa dividitur. Primae Trevirorum est civitas metropolis, mox Mediomatricum, id est *Metis*, Leucorum, sive *Tullo*, et Verdunensium. Secunda Belgica nobiles civitates antiquitus habuit duodecim: civitatem Remorum, quae nunc etiam est metropolis, Suessonum, Catalaunorum, Veromanduorum, Atrebatum, (nunc *Arras* vocant) Cameracensium, Turnacensium, Silvanectum, qui nunc Episcopatus *Senlisiensis* est, Bellovacorum, Ambianensium, Morinorum, (*Ternanensis* Episcopatus intelligitur) et Bononiensium, ubi Gesforiacum fuit. *Belgica.*

CXLII. Ad oceanum deinde Britannicum secunda Lugdunensis Rotomago metropoli, et sex praeterea civitatibus, nobilis: Bajocassium, Abricantum, Sajorum, Eburovicum, Lexoviorum, Constantiensium. Tertiam deinde Lugdunensem, cui caput Turonum, constituebant civitates Cenomanorum, (*Mansensis* Episcopatus hodie) Redonum, Andegavorum, Nannetum, Curiosopitarum, (is est *Caruovallensis* Episcopatus) Ciantium, id est Venetum, (*Vennensis* Episcopatus) Osismiorum, Diablintum, quas duas civitates ignoramus. Quarta Lugdunensis, quae et Senonia, inter Sequanam et Ligerim has amplectebatur civitates, Senonum metropolin, Carnutum, Altisiodorum, Trecassium, Aurelianorum, Parisiorum, Meldorum, quos hodie *Meausenses* pronunciant. *Lugdunensis secunda, tertia, quarta.*

CXLIII. Alpium maritimarum civitates, obscuri hodie nominis, Rigomagensium, Solliniensium, Cemelenensium referuntur: notiores praeterea, Ebrodunensium metropolis, (*Ambrunum* hodie vocant, Archiepiscopalem urbem) Diniensium, Saniciensium, (*Senes* appellant vulgo) Glanatenna, et Venciensium, qui *S. Pauli Venciensis* Episcopatus nunc usurpatur. At in Penninis Grajisve Alpibus, ubi sunt Allobrogum Sa- *Alpes maritimae.*

U. c. 694. A. C. 58. baudi, et Helvetiorum particula, metropolis Centronum, id est Tarantasia, locatur, et praeter hanc Vallensium civitas Octodurus, hodie *S. Mauricii* nomine notior.

Maxima Sequanorum. CXLIV. Maxima Sequanorum, Burgundiam Helvetiosque complexa, Crispolinorum civitatem agnoscebat metropolin, quae Vesuntio est, vel, ut hodie pronunciant, *Besansonensis* Archiepiscopatus. Huic civitates octo suberant, Equestrium, id est Noviodunum ad lacum Lemanum, quae, Genevam et Lausannam interjacens, hodie *Nion* appellatur: Elvicorum, id est Aventicum, nunc *Avanches:* Basiliensium, Castrum Viridunense, Castrum Ebrodunense, Castrum Argentariense, (cujus ex ruinis Colmaria surrexisse putatur) Castrum Rauracense, ceteris oppidis tum illustrius, hodie nomen Augustum, sed sine specie, retinens prope Basileani, in quam vetustioris et dignitas et appellatio translata videtur sub Graecis imperatoribus: et portus, Abucina. Hi Belgarum Celtarumque nobiliores populi fuerunt.

Aquitania. CXLV. Aquitaniam ad mare sitam, eoque vetusta incolarum lingua appellatam *Aremoricam*, oceanus ab occasu claudit: Boreale latus ortumque solis Ligeris fluvius terminat: a meridie Pyrenaeis montibus et Narbonensi Gallia finitur. Hoc spatium terrarum Garumna fluvius, ex Pyrenaeo monte delapsus, in duas provincias secat. Primae caput Biturigum Cuborum civitas est, (nunc *Bourgensis* Archiepiscopatus) quamquam Biturigas Lugdunensi primae Marcellinus accensuit. Huic junguntur civitates Arvernorum, Rutenorum, Albigensium, Cadurcorum, Lemovicum, Gabalorum, Valaunorum. Quod deinde a ripa Garumnae ad Ligerim fluvium protenditur, sub Aquitaniae secundae vocabulo sex civitates habuit, Agennensium, Encolismensium, (*Angulema* hodie est) Santonum, Pictavorum, Petrocoriorum, cum metropoli Burdegala.

Prima et secunda.

Novem populi. CXLVI. Novem populos prope Aquitaniam, propterea que *tertiam* a multis dictam, in qua Vascones habitant, Auscii commendant et Vasatae: reliquorum septem haec fuerunt nomina, Vibisci, Meduli, Boatae, Convenae, Consaranni, Bigerriones, Tarbelli.

Cap. CXLV. Plin. 4, 17.

Horum duodecim recensentur in veteri itinerario civitates: Ausciorum metropolis, Convenarii, (quae duae jam aetate Strabonis jus Latii habebant) Aquensium, Lactoratium, Consarannorum, hodie *Couserans*, Boatum, Benearnensium, Aturensium, nunc *Aire*, Vasatica, Turba vel castrum Begerra, nunc Episcopatus *Tarba-Bigorrensis*, Eloronensium, id est *Oleron*, Elusatium, id est *Eause*, quam Narbonensis partem facit Ammianus. U. c. 694. A. C. 58.

CXLVII. Sed alii Narbonensem, et ipsam duplicem, ita distinguunt: ut primam, Cebennis montibus ab Aquilone, Pyrenaeis et mari Gallico a meridie inclusam, septem insigniant civitatibus. Nam praeter metropolin Narbonensium, civitates ei tribuunt Tolosatium, Beterrensium, Agatensium, Nemausensium, Magalonensium, Lutevensium, sive castrum Lutevam, Ucetiensium. Secundam Narbonensem, quae a Rhodano flumine usque ad Varum versus ortum porrigitur, a meridie mare Gallicum habet, cui metropolis olim Arelate fuit, nunc Aquensium est civitas, sex praeterea civitates honestabant, Aptensium, Rejensium, Forojuliensium, Vapincensium, Segesterorum, Antipolitana. *Narbonensis prima.* *Narbonensis secunda.*

CXLVIII. Haec ferme fuit Galliarum, sub initia Constantinopolitani imperii, descriptio: sed idem situs gentium, plerarumque civitatum eadem fuisse nomina, Caesare bellum gerente, videntur: quamquam gentium numerus, ut solitum est, cresceret, aut contraheretur. Nam ara, quae apud Lugdunum Augusti Caesaris fuit, inscriptionem habuit gentium sexaginta: nec multis post annis universae Galliae quatuor et sexaginta civitates numerabantur. Sed Appianum, qui sub Adriano Caesare scripsit, pacatas a C. Julio populos quadringentos, oppida octingenta, tradidisse putant. Mihi numerorum potius errorem intervenisse liquet, ut pro ν' aut ο' Graecorum litera, quarum illa quinquaginta, haec septuaginta notat, ρ', quae est quadringentorum nota, temere scripta lectave videatur: idque tum ex consensu veterum, tum adjecto numero oppidorum, quae tantae gentium multitudini pro portione parum respondet, haud difficile arbitratu est. *Gentium Gallicarum numerus.*

Cap. CXLVIII. Strabo, l. 4. p. 192. Serv. Aen. 1. v. 290. Appian. Celt. et de B. Civil. 2. p. 523.

U. c. 694. A. C. 58. Ceterum tractus ille terrarum, soli bonitate et incolarum abundantia maximarum opum famam, nec falso, adeptus, invitavit Caesarem, ut hanc unam, prae ceteris omnibus provinciis, suo proposito commodissimam crederet. Nam divitiis ad emendum imperium indigebat: militem duraturus erat ad civilia bella; famam reportaturus ex victoria clarissimam, periculisque et laboribus ampliorem; quod tum adhuc durabat Gallicae fortitudinis opinio, virtus paullatim deficiebat.

Cap. CXLVIII. Sueton. Caes. c. 54. et Tac. Ann. 11, 23. Tac. Germ. c. 28.

EPITOME

LIBRI CENTESIMI QUARTI

Prima pars libri situm Germaniae moresque continet. C. Caesar, quum adversus Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam transcenderant, exercitum duceret, rogatus ab Aeduis et Sequanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum, propter metum novorum hostium ortam, adlocutione exercitus inhibuit, et victos proelio Germanos Gallia expu-

C. Caesar, quum contra Germanos etc. *exercitum duceret*] Ita primus edidit Gruterus, quum antea vulgati praeferant *C. Caesar contra Germanos* etc. *quum e. d.* quod etiam in Norv. superest. Sed ordinem verborum, qui Grutero placuit, servant Voss. Leid. Lovel. 2. Berg. Boend. et ed. Campani: qui iidem etiam legunt *adversus Germanos*. Vide supra ad Epit. 57. Praeterea *ducere* Exc. Pithoei. *ducerent* Norv. et editiones Aldina priores, excepta ea, quam procuravit Campanus. Illa autem *duceret*, ut Aldus restituit, et omnes codd. mei exhibent, vulgavit.

Qui Ariovisto duce in Galliam descenderant] MSS. Barb. et Gudiani *transcenderant*. J. FR. GRONOV. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Livius 28, 42, 14. *Quum Hasdrubal in Italiam transcendit*. 32, 13, 9. *Omisso incepto in Macedoniam transcendit*. 38, 3, 4. *Eadem spe in Aperantiam transcenderunt*. 43, 23, 3. *In agrum Antigonensem transcendit*. Auctor Epit. Liv. lib. 108. *Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit*. Quin etiam, qui mari vel flumine, ut hic Germani Rheno, trajecto in regionem veniunt, *in eam transcendere* dicuntur. Liv. 23, 1, 2. *Quasi angustis insulae terminis clauderetur, in Italiam transcendit*. Etiam *in eam transgredi* 42, 1, 8. *Cum quibus praetor, cui Sardinia obtigisset, in Corsicam transgressus bellum gereret*. Oros. 6, 9. *Caesar in Germaniam facto ponte transgrediens*. Vide Cort. ad Sall. 1. Hist. 955.

Quorum ager possidebatur] *quorum agrum possidebat* Boend. et ed. Campani. Mox *trepidatione militum* etc., *orta* Berg. et Lov. 2.

Gallia omni expulit] Vet. lib. *Gallia expulit*. SIG. Similiter legunt Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et Exc. Pithoei. Paullo ante *victor proelio* Berg. In sequentibus *horsanté*, *procente*, Berg. et ed. Campani.

lit. M. Cicero, Pompejo inter alios orante, et T. Annio Milone tribuno plebis agente, ingenti gaudio senatus ac totius Italiae, ab exsilio reductus est. Cn. Pompejo per quinquennium annonae cura mandata est. Caesar Ambianos, Suessiones, Veromanduos,

exercente Leid. Berg. et Lov. 2. *exerente* Voss. An voluerunt librarii *Pompejo inter alios exorante?*

Et T. Annio Milone tribuno plebis, ingenti gaudio] Suspicor legendum *et T. Annio Milone tribuno plebis agente:* neque enim hoc placet, ne Milonem, qui in magistratu erat, et legem rogare poterat, orasse dicamus, sed egisse: orasse autem Pompejum, qui erat privatus. Excidisse autem hanc vocem propter eam, quae similis sequitur, *ingenti*, puto. SIG. *et Ti. Antonio tribuno plebis* Leid. *et T. Antonio tribuno plebis* Berg. *et G. Antonio tribuno plebis* Voss. *et T. Annio milite tr. pl.* Lov. 2. *et T. Annio Milone tri. pl.* Boend. Ex his confirmatur conjectura supra ad Epit. 58. proposita, ubi pro *C. Antonius* legendum monui *T. Annius.* Deinde vox *agente*, quam Sigonius addidit, exsulat a Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Exc. Pithoei, et Norv. Solus Boend. ex quo in excerptis hic nihil notatur, eam agnoscere videtur. Adprime etiam convenit. Nam Milo non tantum pro reditu Ciceronis oravit, sed etiam Clodium, qui legem ea de re ferri inpediebat, licet gladiatoribus armatum, lege Plotia de vi postulavit, et, quum judicia sublata videret, gladiatores emit, quibus conatus furorosque Clodii comprimeret. Vide Fabricii Histor. Cic. ad A. V. 1052.

Ac totius Italiae, ab exsilio reductus est] Hanc lectionem nobis dedit Gronovius anno 1665. nec aliter legunt Leid. Voss. Berg. et Boend. *ac totius urbis* praefert Lov. 2. Antea edebatur *ac universae Italiae.* sed primos editores passim *universus*, pro *totus*, in his epitomis substituisse, vidimus ad Epit. 52. Id etiam lectionem illam vitii arguit, quod particulam *ac* adsciscat ante vocem a vocali incipientem: ejus rei aliud exemplum apud auctorem Epitomarum non observavi, qui ab hac locutione abstinere didicit exemplo Livii. V. quae notantur ad Liv. 10, 36, 17. Praeterea voces *ab exsilio* non adparent in Leid. Deinde *revocatus est* legit Lov. 2.

Ambiones, Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos] *Ambrones* Voss. et Berg. Verum Ambrones Helvetiorum populi fuerunt. V. Cellar. Geogr. Ant. 2, 3, 176. Sed hic auctor Belgarum populos memorat, inter quos notissimi fuerunt Ambiani. Vide eumdem Cellar. pag. 244. Dein *Suessones* Leid. quomodo saepe alibi in Mstis hoc nomen scribi solet, et quidam etiam viri docti scribendum contendunt. Vide Cellar. ibid. pag. 249. et quae notantur ad Caesar. 7. B. Gall. 75. ut et ad Lucani 1, 423. *Suesonas* Berg. *Suesionas* Lovel. 2. Tum *Virumandos* Boend. *Viromandos* Berg. et ed. Camp. *Viruoniam duo* Voss. *Viruomanduos* Leid. Lovel. 2. et Exc. Pithoei, *Viromanduos* edd. ante Gronovium; quam ortho-

Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo erat, proelio victos in deditionem accepit: ac deinde contra Nervios unius civitatis cum magno discrimine pugnavit, eamque gentem delevit; quae bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum

graphiam probare videtur lapis apud Gruter. pag. cccLXXV. in quo memoratur *L BESIVS. SVPERIOR. VIROMAND. EQ. R.* Sed *Veromanduos*, ut Gronovius reposuit, passim vocat Caesar in B. Gall. Vide Cellar. ibid. pag. 246. Postea *Atrebares* Leid. et Voss. *Attrebates* Berg. et Exc. Pithoei. Denique *Belgas populos* Boend.

Quorum quidem maxima multitudo erat, proelio victos in deditionem accepit] Vet. lib. non habent *quidem*. SIG. Gud. *quorum gens multitudo*. Voss. et Gud. alter: *quorum ingens multitudo*. J. FR. GRON. Particulam *quidem* omittunt etiam omnes nostri, et Exc. Pithoei. Vide ad Epit. 55. *ingens multitudo* etiam omnes iidem. Vide ad Epit. 51. et mox hac Epit. *ingens est multitudo* ed. Camp. *est*, pro *erat*, praefert etiam Boend. Deinde voces *proelio victos* omittit Leid. at *proelio victos* legunt Norv. et editiones ante Frobenianam anni 1535.

Ac deinde contra Nervios, unam harum civitatum, cum maximo discrimine pugnavit] Forte *unam horum civitatem*. *Horum* puta Belgarum. Nec male Barb. et Gudiani: *Nervios, unius civitatis*. J. FR. GRONOV. Vox *deinde* deest in Leid. Tum *Nervios duas ex his civitatibus* Voss. *Nervios unam ex his civitatibus* Boend. quod forte voluit ed. Camp. quae prodigiose corrupta *Hermosimum ex his civitatibus* praefert. *Nervios unius ex his civitatibus* Exc. Pithoei. *Nervios unius civitatis* Leid. Berg. et Lov. 2. quod quum etiam Gronovius in suis invenerit, in contextum recepi. Prior Gronovii conjectura maxime Crevierio adridet. Insuper *cum magno discrimine* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. 50.

Ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent, ex nonaginta quinque senatoribus tres tantummodo evaderent] Variant hi numeri. Barber. *ex sexaginta millibus armatorum septem superessent, ex sexcentis senatoribus tres*. At apud Caesar. est lib. 2, [28.] *Ex sexcentis ad tres senatores; ex hominum millibus sexaginta, vix ad quingentos, qui arma ferre possent*. Ubi Ciacconius ex Plutarcho *ex quadringentis*. Gud. *ex LX milibus armatorum superessent, et ex V^c senatoribus tres tantum evaderent*. Alter: *ex sexaginta quinque milibus arm. septem superessent, et ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent*. J. FR. GRONOV. Codices admodum variant. *ex CXLX armatorum millibus trecenti superessent, ex VI^c senatoribus tantum evaderent* Berg. *ex LX. CCC superessent, ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent* Lov. 2. *ex sexaginta millibus armatorum CXC senatoribus tres tantum evaderent* Voss. *ex LX milibus armatorum trecenti superessent, ex sexcentis senato-*

trecenti superessent: ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent. Lege lata de redigenda in provinciae formam Cypro, et publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio ejus rei mandata est. Ptolemaeus,

ribus tres tantum evaderent Boend. et ed. Campani. *ex DC tres superessent, ex quadringentis senatoribus tres tantum evaderent* Exc. Pithoei. *ex sexaginta quinque millibus armatorum septem, et ex sexcentis senatoribus tres tantum superessent* Leid. ex cujus postremi cod. vestigiis et ex Caesaris loco a Gronovio laudato forte legendum est, *ex sexaginta millibus armatorum trecenti, ex sexcentis senatoribus tres tantum superessent.* Ex variantibus autem codicum constat, inter eos convenire, *tantum*, pro *tantummodo*, legendum esse; quod admisi. Pro *nonaginta quinque* Gronov. in contextum recepit *quadringentis*, cujus loco ex longe plurium codd. auctoritate dedi *sexcentis*.

De redigenda in provinciae formam Cypro], *de redigenda provincia Cypro* Boend. et ed. Camp. *de redigenda provinciae forma Cypro* Leid. Voss. et Berg. Mox *regia pecunia* alio ordine Lov. 2.

C. Catoni administratio ejusdem rei mandata est] Vet. lib. *ejus rei.* SIGON. Similiter Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Praeterea legendum esse *M. Catoni*, ut verbo monuit Crevierius ad h. loc. videbimus ad initium Epitomes sequentis.

Ob injurias, quas patiebantur, a suis regno pulsus Romam venit] Vet. lib. *ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus Romam venit.* SIGON. In hac scriptura non optimus sensus esse videtur: nam reges non solent regno pelli ob injurias, quas a suis accipiunt, sed ob eas, quibus ipsi suos afficiunt. Si ipse tam intolerabiles injurias a suis accepisset, auctor Epitomes rectius dixisset, *ob injurias, quas patiebatur a suis, regno profugus*, quam *regno pulsus*. Sed neque regno pulsus est, si Timageni credimus: nam hic apud Plutarchum in Pompejo [p. 645.] scripsit, eum nulla necessitate coactum Aegypto excessisse. Nec a suis pulsum fuisse, non obscure e Dione colligi potest, qui lib. 39. p. 97. rem ita narrat: Quum propter exactiones pecuniarum in odium Aegyptiorum incurrisset, et iis nec persuadere, ut quiescerent, nec eos vi cogere posset, eum Romam fugisse, et se a suis regno pulsum questum fuisse. Aegyptios ignorantes, eum in Italiam profectum, et mortuum esse ratos, filiae illius Berenice regnum tradidisse, ac deinde, re comperta, legatos Romam misisse, qui eos adversus accusationes illius defenderent, et ipsum de injuriis illatis accusarent. Itaque, si hic in scriptura vulgata nihil vitii est, ea forsan non de eo, quod factum fuerat, sed quod rex factum querebatur, intelligi potest: quasi scriptum esset *regno pulsus, ut ferebat*, aut *querebatur*. DUK. *quas patiebatur a suis* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend.

lemaeus, Aegypti rex, ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus, Romam venit. C. Caesar Venetos, gentem oceano junctam, navali proelio vicit. Praeterea res a legatis ejus eadem fortuna gestas continet.

et Exc. Pithoei. Non sine caussa autem voces *regno pulsus* Clariss. Dukero displicuerunt: Ptolemaeum enim non regno pulsum esse, sed a civibus diffidentem Alexandriam reliquisse, et Romam navigasse. refert Plut. in Cat. min. pag. 776. quo eodem loco Cato exprobrans ipsi inprudentiam, qua summam felicitatem reliquisset, ac suadens, ut rediret, et cum civibus in gratiam reverteretur, non obscure indicat, eum potius sponte cessisse, quam vi pulsum esse. An igitur fides habenda est codici Leid. qui voces illas expungit? Forte igitur pro glossemate habendae sunt, quae olim margini adscriptae fuerunt explicandi caussa injurias, quas Ptolemaeus a suis patiebatur.

Venetos, gentem oceano junctam] *gentem oceano junctam, scilicet Venetos* Norv. et edd. principes. *gentem oceano junctam, Venetos*, omissa voce, Frob. anno 1535. edidit, quod etiam superest in Exc. Pithoei. Gruterus demum alio ordine *Venetos, gentem oceano junctam*, concinentibus Leid. Berg. et Lovel. 2. neque aliter Boend. et ed. Camp. nisi quod *conjunctam* praeferant. *Venetam gentem, oceano junctam* legit Voss.

Praeterea res ab legatis ejus eadem fortuna gestas continet] Ita Gronov. anno 1665. vulgari curavit, idque pariter praeferunt Leid. Voss. Berg et Lov. 2. nisi quod omnes legant *a legatis*, et Voss. omittat vocem *ejus*, Berg. ipsius loco *suis* scribat. Olim edebatur *Praeterea a legatis ejus eadem fortuna res gestas continet;* qui ordo verborum etiam obtinet in Boend. Exc. Pithoei, et Norv. Eamdem varietatem supra habuimus Epit. 47. et 90. sed vocabula in eumdem ordinem digesta, in quem Gronovius digessit, obcurrunt Epit. 40. 60. 87. 94. 108. et 120. in alterum ordinem Epit. 92. ubi tamen in aliis codd. *gesta*, pro *res gestas*, inveni.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXIX.

IN LOCUM LIBRI CIV. T. LIVII.

U. c. 694. A. C. 58.

I. C. Caesar, Helvetiorum gente perdomita, quod ea fortissima totius Celticae habebatur, ingentem apud Gallos gloriam meruit. Idcirco passim ex civitatibus gratulatum venerunt principes; simul petitum, *ut bona cum ipsius gratia concilium totius Galliae sibi liceat indicere.* In illo, ut postea apparuit, de Germanorum amoliendo jugo deliberatum: et ab iisdem principibus flentibus et ad pedes prostratis rogatus est Caesar, *ut oppressis auxilium ferret.*

Ariovistus adfectat imperium Galliae.

II. Ariovistus Suevorum rex, per Avernorum Sequanorumque contentiones, cum centum viginti millium exercitu Galliae partem occupaverat: Aeduos eorumque clientes semel iterumque magnis proeliis vicerat: iis quoque gravis, a quibus erat accitus, universae Galliae imperio imminebat. Caesar, quum in suo consulatu petentem cupide Ariovistum socium amicumque populi Romani appellandum curasset, caussam belli a se removens, Ariovistum ad se venire jubet, ut de praesentibus colloquantur: ratus, quod accidit, regem moleste laturum, atque inde caussam belli exstituram. Nam Ariovistus Caesarem, si quid vellet, ad se jussit accedere. Tum Caesar postulata sua per legatos edidit: *ne quos praeterea Germanos trans Rhenum arcesseret: ne sociorum populi Romani fines armatus ingrederetur: obsides etiam ab illis acceptos redderet.* Ad haec ferociter ab Ariovisto responsum: oblataque Caesari conditio, *amico se, an hoste, uti mallet.*

Caesari superbe respondet.

III. Sub idem tempus, quo haec sunt renunciata Caesari, Aeduorum etiam et Trevirorum legati adfue-

---

Cap. I. Caes. de B. Gall. 1, 30. Id. ibid. 1, 1. Id. ibid. 1, 30. Cap. II. Plut. Caes. Dio, l. 38. Caes. Plut. Dio. Caes. Dio. Flor. 3, 10. Caes.

runt. Illi querebantur, Harudes, nuper in Galliam transportatos, fines suos populari: Treviri, centum pagos Suevorum ad Rheni ripam consedisse, nunciabant, hoc animo, ut amnem transirent. Igitur Caesar, minime differendum ratus, ad Ariovistum, priusquam novae copiae cum veteribus ejus se conjungerent, magnis itineribus contendens, Vesontionem Sequanorum, ne ab hoste occuparetur, praecepit. Quae deinde gesta sunt, quoniam multorum Germaniae populorum mentionem continent, obscuram molestamque futuram legentibus, nisi commosta explicatione illustrentur; locus hic desiderat, ut veteris Germaniae situm moresque exponamus. U. c. 694. A. C. 58.

Veteris Germaniae situs moresque.

IV. Igitur Germaniam ad occidentem a Gallis Rhaetisque Rhenus, ad orientem a Pannoniis Danubius certissimi limites separabant: septentrionale latus vocatus inde Germanicus oceanus ambit: a meridie montes claudunt, Alpibus ita propinqui, ut pars earum videantur, appellenturque: a Sarmatis versus solem orientem montium, qui proprie Sarmatici vocabantur, asperitate et amne Vistula dirimebatur. Eodem pertinebat et Hercynia silva, quae tum novem dierum iter habebat in latitudine, et ab Helvetiorum, et Nemetum, et Rauracorum finibus, secundum flumen Danubium, ad fines Dacorum Anartiumque pertinebat: deinde sinistrorsum flexa multos attingebat propter magnitudinem populos, ultra sexaginta dierum iter porrecta. *Fines Germaniae.*

V. Hoc spatio multae tum gentes coluere, veteribus non satis cognitae, quod asperae bellis, in pace commerciorum negligentes, ab aliis populis haud facile adibantur. Quod tamen inter antiquos constat, initium Germaniae, qua Sarmatas attingebat, mons Sevo fuit, sinum Codanum, id est Cdanum sive Danicum, efficiens, insulis refertum. Quarum clarissimam nominabant Scandinaviam, tria borealia regna amplectentem, ideoque veteribus incompertae magnitudinis, falso tamen insulam creditam: cujus partem Hellevionum gens, sic rupium incolas indigena sermo vocabat, quingentis pagis, scribente Plinio, obtinebat. Ab eodem auctore Germanorum genera quinque sic ponuntur, ut excludi Scandinaviae gentes appareat: primum *Vindilos* vocat, *quorum pars Burgundiones*, *Varini*, *Scandinavia.*

Cap. III. Liv. Epit. Cap. IV. Tac. Germ. 1.

U. c. 604. A. C. 58. *Carini, Guttones fuerint.* Vandalos intelligi putant, quorum sedes a Poloniae finibus atque Vistulae capite per Megaloburgensium, Pomeranorum, Prutenorumque regiones, et Marchiam, Saxoniaeque partem extentae fuerunt.

Peuce. VI. Alterum genus Peucini Bastarnaeque Peucen insulam, ad ostia Danubii positam, et vicina inter Sarmatas Dacosque loca occupabant. Cetera Germaniae tres habebant ex situ loci habitatorum differentias, totidemque nomina. Ingaevones qui scribuntur apud Plinium, eos Vigaevones non absurda conjectura Rhenanus intelligit, sic appellatos, quod ad sinum maris incolerent. Ejusdem Plinii Istaevones, occiduos interpretantur, quod ea parte fluit Rhenus, quem accolebant. Inter hos intercepti veteribus Hermiones vocabantur, incertum unde: et, qui detorquendis vocabulis sine alio indicio conjecturae nimis indulgent, eos proclivius est in mille errores incidere, quam unam veritatem.

Accolae Rheni. VII. Ex his gentes nobiliores ad Rheni ripam, praeter quas in Galliae descriptione retulimus, Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis, colebant, Cattis orti. At dextrum Rheni latus, quod Germaniae praetexitur, incertae olim possessionis fuit; eoque notitia illius obscurior. Rhenus ipse, a Rhaeticis Alpibus et monte Gothardi per abruta devolutus, Curiensem agrum percurrit; mox duos efficit lacus, Acronium et Venetum: hinc, modico flexu in occidentem pronior, juxta Rauracos ad septentriones redit, agrum Helvetium a Germanico dividens; quae res olim perpetuis duarum gentium bellis occasiones praebuit. nec alia major caussa fuit, cur Helvetii, sedibus suis incensis, alias instituerint in Gallia interiori quaerere.

Decumates agri. VIII. Ibi jam antiquitus initium Germaniae fuit: sed ea loca incerti erant juris, quod nunc a Gallis invadebantur, nunc recipiebantur a Germanis. Ibi Decumates agri fuerunt postea trans Rhenum Danubiumque; cujus in propinquo fontes sunt, vix duorum milliarium a ripa Rheni spatio dirempti. Hegoviam nostrates vocant, oppositam Helvetiorum Turgaviae. Infra Hegoviam Clecgovia jacet, Martiano nemore (quod Hercyniae silvae caput est) et Rheno amne terminata. In illis regionibus, et quae praeterea usque ad Catto-

rum fines descendunt, Decumates agros fuisse intelligo, sinum Imperii, et Rhaeticae provinciae partem. U. c. 694. A. C. 58.

IX. Ultra hos Catti tenuerunt iis finibus, quibus nunc Turingi sunt Hassique, et ad Rhenum fluvium porrecta Westphalorum portio. Eorum pars Mattiaci, quum Tacitus scriberet, Romanis subditi, dictum ab oppido Mattio agrum coluerunt: cujus oppidi nomen adhuc et vestigia servare tenuis ad Adranam vicus traditur. In eorum agro calidissimi fontes visebantur, quos hodie frustra nisi apud Visbadenses, contra Moguntiam sitos, requiras. Neque moveor, quod apud Ptolemaeum Mattiaci et Moguntiaci ad millia passuum centum septuaginta disjungi videntur. Nec enim ignotum est, ne auctori culpam imputemus, quam proclivis sit in notis numerorum, atque in illius praecipue scriptoris opere frequens, librariorum aberratio. Cattos penitus fuisse deletos quorumdam opinio est; mihi verius videtur, Hassos nunc esse, qui olim Catti fuerunt; neque aliud nomen, sed tantummodo pronunciatione differens, non aliter quam et alia multa vocabula, quae apud ejusdem gentis varios populos aliter atque aliter efferuntur. *Catti.*

X. Sub Cattis Usipios Tencterosque ad Rhenum locans Tacitus, haud dubie tractum illis adsignat, ubi nunc Franci colunt ad Salam Maenumque flumina: inter Bohemos Noricosque et Rhenum, a meridie Sueviam spectantes, ab aquilone Turingiam. Sed et Clivensium fines tenuisse videntur: et quae ad Rhenum inde loca versus Francofordiam usque pertinent, Hassorum hodie ditio. *Usipii et Tencteri.*

XI. Juxta Tencteros Bructeri occurrebant, quorum agrum inter Amisiam Luppiamque amnes a Germanico vastatum Tacitus retulit. Hi tum ultimi Bructerorum erant. pars alia late terras inter Salam Westphaliae fluvium ac Rhenum interceptas possidebat. Ita, Juliacensis Bergensisque et Clivensis ditionum partes, comitatumque Marcanum, et Lippensem usque in Westphaliam, a Bructeris habitatum fuisse, non absurda opinio est. At Ubiorum sedes Colonia monstrat, certum clarumque monumentum. *Bructeri.*

XII. Ab his juxta Rheni ostia et Frisios Sicambri, mox Chamavi et Angrivarii, deinde Tubantes, postea Usipii, tum Franci, ad extremum Westphali, Monasteriensem agrum Cliviaeque et Geldrorum partem te- *Angrivarii.*

U. c. 694. A. C. 58.

nuerunt. Ab Angrivariis certe Angriae ducatus ad Visurgim amnem, qui nunc inter titulos Archiepiscopi Coloniensis est, nominatus creditur. A quibus diversi Ansibarii, quondam a Chaucis pulsi, vacuos juxta Frisiorum regiones agros insederunt: quos deinde Francis Marcellinus accensuit. Angrivarios a tergo Dulgibini et Chasuarii claudebant. in fronte Frisii usque ad oceanum pertingunt, populosum genus, in majores minoresque distinctum: nunc orientalium et occidentalium nominibus dividuntur. Haec ad occidentem solem veteris Germaniae tabula est.

Chauci.

XIII. A septentrione Chaucorum gens, a Frisiis incipiens, partemque litoris occupans, terga gentium Rhenanarum claudit, usque dum in Cattos ingenti sinu redeat. Hi quoque majores minoresque appellabantur. Majores prope Angrivarios, ultra Visurgim, ad Albim usque tenuerunt; quorum oppidum fuit Fabiranum, quae hodie Brema putatur. Minores a Visurgi ad Rhenum Westphaliae Frisiaeque partem versus Issalam Rheni amnis ostium sedes habuerunt. Cherusci, mediterraneus populus, Hercyniae partem, quae vulgo *Hartz* nuncupatur, accoluerunt, cis Albim fluvium, ubi nunc Misni Turingique et Ascanienses sive Anhaltini habitant. Cheruscis conterminos fuisse Fosos, ex uno Tacito discimus: quo latere fuerint, incertum. Sed Cimbri proxime oceanum colebant, et inter duo maria, orientale Germanicum et occidentale Britannicum, peninsula Cimbricae Chersonnesi nomine nobilitata est.

Cimbri.

Suevi.

XIV. Prae cunctis istis populis uti maxima potentia, ita nomen quoque clarissimum, Suevorum fuit, majorem Germaniae partem occupans, et multas in nationes distributum. Nam, a Rheno usque ad Albim protenta, parte sui etiam trans Albim jacentes campos obtinuit. Generis Suevici gentes quatuor et quinquaginta suo tempore numerabat Orosius. Olim centum pagos habere dicebantur: ex quibus quotannis singula millia bellandi caussa suis ex finibus educerent. Mari Suevico nomen haud dubie ab accolis fuit: hicque eorum olim terminus.

Suevorum veterum sedes.

XV. Igitur, ab Holsatia et Jutia, Cimbrorum sedibus, ad Bohemicam usque silvam, Pomeraniam, Marchiam, Saxoniam late repleverunt: mox etiam ad

Cap. XIV. Caes. de B. Gall. 4, 1.

Danubium et Rhaetiae partem transgressi, Sueviae, quae nunc est, appellationem cultoresque dederunt. Sed et praecipua Saxoniae nobilitas Suevicae est originis. Ceterum inter Suevicas gentes nobilissimi olim Semnones fuerunt, Lusatiam et Marchiae partem ad Suevi fluminis utramque ripam habitantes. Haec copiosa gens fuit. Longobardica, virtute, quam numero, potior, cis Albim in agro Luneburgensi reliquisse nominis sediumque suarum memoriam in oppido Bardunvigo creditur, quod Henricus cognomento Leo delevit. U. c. 694. A. C. 58.

XVI. Post hos Reudigni, et Aviones, et Angli, et Varini, Eudosesque, et cum Suardonibus Nuithones a Tacito memorantur. quorum Reudignos et Avionas in aquilonari et maritima Saxoniae plaga collocat Andreas Althamerus, cujus diligentiam tota hac descriptione plurimum sequor, (Cluverium enim, qui haec copiosissime est exsequutus, adipisci non licuit) ubi nunc Megaloburgensis ducatus nominatur. *Reudigni, Aviones, etc.*

XVII. Anglorum autem veterem habitationem inter Saxonas Vitarumque gentem fuisse, Beda tradidit, inde migrasse in Britanniam. Sed hos arguit Vecta insula, cui vocabulum hoc impositum est ab his incolis. Pro Vitis alii scriptores Jutas ponunt, notius nomen. Quidam putant habitasse Anglos ad mare Germanicum et Albim fluvium eas partes, quas hodie Luneburgensis atque Brunovicensis ditiones occupant. Ceterum peninsula inter Sliam et Flensburgum, Balthici maris sinus, incorrupta adhuc appellatione veteris Angliae situm commonstrat. Ceteris, quos memoravimus, per Germanici maris litora versus orientem a Pomerania in Prussiam, a conjectura potius, quam notitia, sedes adsignantur. Nam aetate Strabonis Germania Transalbiana prorsus erat incognita: quum Tacitus scriberet, is quoque fluvius adiri ab Romanis nequibat. Plinius autem Varinos Vandaloram fecit partem. *Angli.*

XVIII. Paullo certiora sunt, quae de gentibus ad Danubium scriptores prisci tradiderunt. Ex his Hermundurorum terra, Albis ortu notata, et vicinia Semnonum Cattorumque, quibuscum de fluvio Sala magno proelio decertarunt, minus ignoratur; Misniam et Bohemiae partem fuisse indiciis illis declarantibus. Juxta Hermunduros Narisci, deinde Marcomanni et Quadi agebant. Nariscos Voytlandiam superioremque *Gentes apud Danubium.*

U. c. 694. A. C. 58. Palatinatum habuisse putant, cum Transdanubiana Bojariae portione. Nec absonum est, ab his esse vocabulum regioni, quam Nordgaviam vocant, quum ab incolarum vulgo *Narca* nominetur.

Marcomanni. XIX. Moraviam Marcomannis fuisse patriam, priusquam in Bohemiam immigrarent, vix dubitatur. His ferme conjungi Quadorum natio solet, ad Danubium flumen colens. Moraviae Silesiaeque partem, deinde Austriam obtinuisse, non inepta conjectura existimatur. Superest orientalis Germaniae portio, qua Pannoniam Sarmatasque respiciebat. Ex his Marsigni Buriique Suevico sermone habituque testabantur originem: Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua, teste Tacito, coarguebat non esse Germanos, et quia tributa patiebantur. Omnes eae gentes terga Marcomannorum Quadorumque claudebant, inter hos et Sarmatas intercepti; ut Silesiae Moraviaeque partem habitasse appareat; Buriis etiam ad Vistulam fluvium pertinentibus.

XX. At post hos Lygiorum multae civitates ad Danubium, qua nunc Austriae Hungariaeque trans amnem partes incoluntur, late tenuerunt. Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos vetus aetas appellavit, sequens oblita est. Gothonum sedes, quos et Guttones scribunt, succinum ostendit, quod tantum Prutenico litore legitur. hos Vandalis adscripsit Plinius. Rugiorum insula sedes antiquas ejus populi, nomine nihildum mutato, satis demonstrat. His quia finitimi fuerunt Lemovii, Pomeraniae cultores fuisse, non immerito quis arbitretur. Extremos Suevorum *Suiones.* in ipso oceano statuit Suionas Tacitus, Sitonumque gentes: quorum illi nomen atque potentiam antiquam hodieque retinent: sermone etiam, quia penetrare eo Romani aliique externi non potuerunt, propius accedente ad veterem, ut ex antiquissimis monumentis Germanicae linguae certo cognoscitur.

Sitones. XXI. Sitonas Norvegiam possedisse argumento est, quod Suionibus similes continuique tradantur; ac apud eos videatur aetate Taciti regnasse soror Hasmundi, minor annis fratre, sed audacia superior. nec multo post Sticla et Rusla virgines cum Trando fratre diutissime de regno certaverunt. Qua tamen re distingui a Suionibus non debuerunt. nam et apud illos antiqui-

Cap. XXI. Krantz, Norveg. 1, 27.

tus utrique sexui praestans virtus adfuit; et modo virginis regnum fuit, qualem aequari sibi magnitudine animi, rerumque gestarum gloria, et imperandi artibus, nemo vel maximorum regum indignetur. Neque enim animis, uti corporibus, differentia sexus inest: neque pars ea, quae servire in singulis hominibus debet, ubi de imperio in quam plurimos agitur, respicienda est: ut, nisi culpam istam Tacitus aliis meritis redemisset, notandus eo nomine haud perfunctorie fuerit, quod, qui mulieris imperio regantur, eos etiam a servitute desciviſſe judicavit, homo Nerones atque Othones et Domitianos passus, quorum mollitie atque flagitiis pleraque pars vel abjectissimarum feminarum erubesceret.

U. c. 694. A. C. 58.

Tacitus arguitur.

XXII. Sed ad descriptionem Germaniae redeo; supersunt enim ad dextrum Suevici maris litus Aestyorum gentes, quorum hodie durat apud Finnones appellatio, et per Livoniam sermo usurpatur. antiquitus in Prussiam usque pertingebant: argumento succini, quod soli omnium ea aetate legebant, *glesum* appellantes, quo nomine vitrum Germani vocamus.

XXIII. Bastarnas fuisse Germanos, sed mixto Sarmatis sanguine, veteres auctores prodiderunt. horum Peucini ex insulae, quam habitabant, nomine vocantur: Roxani magis pertinebant ad aquilonem, inter Tanaïm et Borysthenem pascere soliti. At Venedos Fennosque, licet quaedam ex Germanicis moribus traxissent, Sarmatis potius adscribendos crediderim, maximo certissimoque linguae argumento, quae nulla parte Germanicae est similis. Hellusios veterum in Gotlandia putant habitasse: Oxionas in Livonici sinus insula ponit vocabulum Oxiliae, (nunc *Oesiliam* frequentius vocant) et quod ovis avium vescebantur: inde a quibusdam *Oones* appellati: quae nota nostris etiam temporibus durat. nam avium innumerabilium agmina sub Majum mensem iis locis foetificant: earum dispoliant incolae nidos, ovaque sale condita ad diuturniorem victum recondunt.

Bastarnae.

XXIV. Hactenus, Cornelii Taciti maxime sequuti ductum, Germaniam ex obscuro vetustatis situ eruimus. restat ut de moribus earum gentium pauca refe-

Mores veterum Germanorum.

Cap. XXII. Tac. Germ. 45. Plin. 37, 3. Cap. XXIII. Plin. 4, 13. Mela, 3, 6.

U. c. 694. A. C. 58. rantur. In universum aestimanti liquet, coeli terrarumque genio Germanos ad feritatem et arma inclinari debuisse. Tanta enim erat antiquitus partium istarum asperitas, ut maximo mihi argumento sit tam incredibilis facta mutatio, praeter cognitos siderum cursus, certo quodam, sed nos fallente, motu naturae partes invicem conjungi aut discedere. Sed ista subtiliorem indagationem desiderant.

Habitus corporum. XXV. Ceterum Germanis corporum magnitudo roburque, et copiosus sanguis pugnarum aviditatem et vulnerum contemptum attulit. Valida et ingentia membra, truces et caeruleï oculi, rutilae comae, communis olim omnibus habitus nunc quoque manent, ubi minus peregrini sanguinis immixtum est. Nam haec nostra Germania, maxime quae Rheno est propinquior, peragrata Romanis exercitibus, insessa coloniis, conjugiis innexa, quantum a cognatione priorum, tantum a similitudine recessit. Sed et pacis artibus cultior, morumque longe meliore temperamento agit. Nam pristina Germanorum feritas latrocinia, dum extra fines cujusque civitatis fierent, in laude ponebat: eadem, uti mos barbaris ratione non multum, superstitione plurimum, moveri, mulierum vaticiniis incendebatur, aut interquiescebat: nec sumi proelia, nisi his annuentibus, in morem verterat.

Immortalitatis opinio. XXVI. Mortem extimescebant minus, quod se redituros ad vitam existimabant. Illud etiam e natura regionis, quae multis passim lacubus fluminibusque finditur, profectum auctores mirantur, quod rapidissimos amnium vortices tranare Germani cum armis potuerunt. Pecuniae antiquitus spretores, mox avidissimi facti, postquam Romanorum commerciis utilitatem ejus intellexerunt. Alia multa, quae de moribus eorum Tacitus retulit, procuranda Belgica vicinus illis notusque, (et quae adcurato opere Philippus Cluverius) propterea, quod omnium manibus auctoris eximii opera teruntur, praetereo.

Metus Germanorum in castris Caesaris. XXVII. Cum hujusmodi gentibus tum primum sub nomine Germanorum dimicaturus populus Romanus, qui domi, quique militiae erat, haud tralatitia cura

Cap. XXIV. Liv. Epit. Caes. de B. Gall. 6, 23. Cap. XXV. Caes. de B. Gall. 1. et 6. Appian. Celt. Tac. Germ. 4. Caes. de B. Gall. 6, 23. Tac. Germ. 6. et Hist. 4, 61. Cap. XXVI. Dio, l. 38. Appian. Celtic. Tac. Hist. 4, 35. et Dio, l. 60. Tac. Germ. 5. Herodian. l. 6. Plin. 7, 16.

sese adfligebat. In castris multi erant adolescentes nobiles, per amicitiam sequuti Caesarem, et quia mollem sub eo quaestuosamque militiam speraverant: quibus ille tribunatus praefecturasque dederat. Hi partim per varias caussas commeatum petebant a Caesare: partim, pudore prohibiti, tamen non dissimulabant metum, fatique instantis acerbitatem soli, aut inter familiares, deflebant, *quod immanissimis gentibus, quibus nulla resisti vi humana posset, objicerentur.* Ergo et alia indecore fiebant, et timorem incitabat militum, quod passim etiam in principiis testamenta scribebantur. U. c. 694. A. C. 58.

XXVIII. Caesar, trepidatione exercitus cognita, alienum a praesenti statu putavit, in concionem eum advocari, priusquam ductores confirmarentur. Igitur, consilio convocato, omnibusque adhibitis centurionibus, *nullam esse caussam timendi*, docet, *ne Ariovistus solvat amicitiam, tam diligenter quaesitam et cupide initam. Quod si maxime ille insaniat, non ideo despondendos animos, tamquam ob rem novam et atrocem, esse. Cimbros et Teutonos clade sua satis docuisse, nec invictam esse Germanorum ferociam, nec valde difficilem vinci. sperare se, non deterioribus usurum militibus, quam Marius habuisset: nec ipsos multo inferiorem cognituros imperatorem. Etiam Spartaci bello deletas Germanorum maximas copias a ducibus non maximis esse. Cum his ipsis hostibus per eos annos saepe Helvetios pugnasse: eosque non in suo tantum, sed etiam in illorum solo, vicisse. quorsum igitur timeant ab aliis expertos, quum haud magno negotio superiores victoribus eorum fuerint?* *Caesar suos confirmat.*

XXIX. *Quod autem quidam timori tegendo difficultates itinerum, et angustias frumentariae rei obtendant; id ipsos arroganter facere, qui suum jus esse putent de his rebus consulendi, quae totae imperatoris officio contineantur. Igitur illa sibi curae et fuisse, et fore. Neque putare vera retulisse, qui milites propter timorem, ubi castra moveri jussisset, signa deserturos esse renunciarint. Non ita se virtutis felicitatisque suae, ac praeterea innocentiae poenitere, ut, quod malis atque avaris ducibus aliquando accidisset, id sibi metuendum a militibus suis existimaret. Atque, ut statim periculum faceret animorum, quod antea in dies aliquot fuisset dilaturus, eadem nocte de quarta vigilia profecturum. Desererent sane, quorum in animos potentior formido, quam Romani nominis et sa-* *Ea, quae ad imperatorem pertineant, curare vetans.*

Cap. XXVII. Caes. de B. Gall. 1. Dio, l. 38. Plut. Caes. Caes. Flor. 3, 10. Cap. XXVIII. Liv. Epit. Dio. Caes. Plut. Caes.

U. c. 694. A. C. 58.

Decimam legionem laudans.

cramenti memoria esset: sibi abunde fore, si decima sequatur legio, de qua non dubitaret, quamque praetoriam esset cohortem habiturus.

XXX. Hac oratione mirifica commutatio animorum facta: et, quum in vulgus militum, quae erant dicta a Caesare, emanassent, pars laudibus imperatoris alacriores redditi sunt: ceteri ad aemulationem ejusdem decoris incitati. Statim et deinde legio per tribunos militum gratias egit, *quod bene de se judicasset imperator:* et reliquae satisfacere studuerunt, *neque dubitasse umquam, aut timuisse; neque de summa belli suum, sed imperatoris esse, judicium existimavisse.*

Colloquium inter Caesarem et Ariovistum.

XXXI. Ita Caesar, eodem, quod praedixerat, tempore castris motis, quum nullo die iter intermisisset, septimo copias Ariovisti non longius passuum quatuor et viginti millibus abesse intellexit. Ariovistus etiam celeri Caesaris accessu, quem suum adventum vix praestolaturum putaverat, nonnihil commotus est. Idcirco, legatis missis, *quod antea petitum a Caesare colloquium esset, ejus nunc venisse opportunitatem,* ostendit, *propius inter se congressis, et remota suspicione periculi.* Convenit, ut in diem quintum colloquerentur.

XXXII. Interea, quum ultro citroque legati commearent, Ariovistus negabat se venturum ad colloquium esse, si pedites Caesar adduxisset. Caesar, quod neque tolli colloquium volebat, neque suam salutem Gallis equitibus credere, jussit eos praebere militibus e legione decima equos, quibus militibus quam maxime confidebat. Unde nec absurde quidam decumanorum, *plus, quam pollicitus esset, facere Caesarem,* dixit: *pollicitum in cohortis praetoriae loco decimam legionem habiturum, ad equum rescribere.* Congressi sunt in conspicuo tumulo, quem patens undique planities ambibat. equitatus utrimque ad passus ducentos abstitit: dein ad colloquium adducti sunt. Quum Caesar imperare quidlibet, Ariovistus concedere nihil vellet, et interim Germani tela conjicere in Caesarianos inciperent, diremptum sine fructu colloquium est.

Dirimitur.

Ariovistus Caesaris legatos vincit.

XXXIII. Biduo post redintegrari Ariovistus colloquium postulat, aut aliquem ex legatis Caesaris ad se mitti. Caesar, suos objicere periculo nolens, C. Va-

Cap XXIX. Plut Dio. Caes. Cap. XXX. Dio. Frontin. 4, 5, 11. Caes. Plut. Caes. Cap. XXXI. Plut. Dio. Caes. Appian. apud Fulv. Ursin. Cap. XXXII. Caes. Dio. Caes.

lerium Procillum ex principibus Gallorum, unaque M. Mettium mittit, qui hospitio Ariovisti usus fuerat. eos Germanus, speculatum venire caussatus, in catenas conjecit, statimque cum exercitu propius accessit ad Caesarem: mox, praeteritis ejus castris, ad duo millia passuum ultra consedit, quo commeatum impediret, qui ab Aeduis Sequanisque supportabatur. U.c.694. A.C.58.

XXXIV. Ex eo die dies continuos quinque Caesar, eductis in aciem copiis, potestatem pugnandi fecit. Ariovistus, equestri proelio contentus concurrere, peditatum intra castra continebat. Eo genere pugnae potiores erant Germani, quum ad sex millia haberent equitum, quos lecti vir a viro totidem mira velocitate pedites comitabantur, sic exerciti, ut, quoties esset properandum, jubis equorum sublevati cursum adaequarent; de cetero pugnantibus equitibus pro munimento essent, ad quod se reciperent, aut ipsi ultro subvenirent laborantibus. Igitur Caesar, ne diutius commeatu intercluderetur, circiter passus sexcentos longius, quam Germanorum stativa erant, castris delegit locum, eumque, frustra prohibentibus Germanis, communivit: ac duas ibi legiones cum parte auxiliorum reliquit, quatuor reliquas in castra majora reduxit. *Germanorum equitatus.*

XXXV. Ariovistus, quum ex more Caesaris productae in aciem copiae circiter meridiem in castra revertissent, partem suorum minora castra oppugnatum misit. multum utrimque sanguinis fusum. Germani re infecta sub occasum solis recesserunt. Caesar, quaesita ex captivis caussa, propter quam de summa rerum Ariovistus decernere fugeret, eam esse intellexit, quod matres familias, quarum praedictione multum Germani utebantur, negarent fas esse vincere, si novam ante lunam acie decertassent. Erat his ea disciplina divinandi, ut ex fluviorum vorticibus undarumque sonitu futura se prospicere arbitrarentur. *Ariovistus castra Romana oppugnat.*

XXXVI. Eo magis Caesar incitatus est, ut quam maturrime contenderet, suo tempore usurus, si quidem vera mulieres dicerent; aut saltem facilius debellaturus impeditum religione hostem, et de victoria desperare jussum. Igitur, acie instructa, quum ad castra hostium succederet, irritati ignominia Germani pro- *Proelium committitur.*

Cap. XXXV. Dio. Caes. Frontin. 2, 1. 16. Clemens Stromat. l. 1. Plut. Cap. XXXVI. Frontin. Plut. Caes. Plut. Caes.

U. c. 694. A. C. 58. cesserunt et ipsi, nationatim distributis copiis. Praeter Suevos, ex quibus ipse erat, Marcomannos in exercitu Ariovistus habebat, et Triboccos, et Vangiones, Nemetasque, ac Harudes, et Sedusios, ignobiliora reliquis nomina, et vix certarum sedium, nisi quod Harudes ad lacum Acronium, quibus locis condita Constantia est, habitasse putant; Sedusios, aut, ut legi volunt, Sepusios, ad fines Nemetum in ripa Rheni.

Romanis victoribus. XXXVII. Caesar a dextro cornu, quod ibi imbecilliorem esse hostem senserat, commissa pugna, tanta Germanorum alacritate exceptus est, ut spatium pila in hostes conjiciendi militibus non daretur. Abjectis pilis, res acerrime gladio geritur: et, quum, phalange facta, Germani testudine se tegerent, multi Romanorum super ipsa scuta salierunt, manibusque ea revellentes desuper intulerunt vulnera. interim ab altero cornu Romanus urgebatur: quam tum rem conspicatus P. Crassus, qui equitatui praeerat, tertiam aciem subsidio misit. haec res plenam Romanis victoriam dedit. Ariovisto cum equitibus Rhenum versus fugiente, pedites, qui consequi non poterant, densatis agminibus restiterunt. Eos quum sine magno labore ac periculo militum caedi non posse Caesar videret, emitti jussit, ratus futurum, quod evenit, ut in fuga sparsi facilius opprimerentur.

Clades Germanorum. XXXVIII. Ariovistus, naviculam ad ripam deligatam nactus, transmisit amnem. simili ratione, aut nando evasere perpauci: ceteros Romani equites consecuti interemerunt. Ne mulierum quidem infantiumque caedibus temperatum est: duae conjuges Ariovisti occisae cum una filiarum, altera pervenit in potestatem hostis. Cecidisse Germanorum octoginta millia feruntur. Quum maxima victoriae tantae laetitia esset, haud minus gaudium Caesari fuit, C. Valerius Procillus Marcusque Mettius recepti. Valerius ter, se praesente, sortibus de se consultatum narrabat, utrum statim igni combureretur: sortium beneficio superesse. Clades Ariovisti quum Suevis, qui ad Rhenum venerant, terrorem fecisset, Ubiis animos; domum revertentes illos Ubii insequuti magnam multitudinem ceciderunt. Caesar, duobus ingentibus bellis eadem aesta-

Cap. XXXVI. Ortel. Thesaur. et Cellar. Geogr. Ant. 2, 5. Cap. XXXVII. Caes. Dio. Flor. Oros. 6, 7. Caes. Frontin. 2, 6. Cap. XXXVIII. Caes. Plut. Appian. Celt. Caes.

te confectis, aliquanto maturius solito exercitum in hiberna deduxit, Labienoque his praeposito, in Cisalpinam Galliam ad conventus agendos profectus est. U. c. 694. A. C. 58.

XXXIX. Tanta Caesaris felicitas quum adversariorum odia metumque acrius stimularet, reducendi Ciceronis consilio magnis studiis coeperunt incumbere. L. Domitius Ahenobarbus professas cum Caesare inimicitias gerebat. Ab hoc et C. Memmio praetoribus relatum ad Patres de superioris anni actis fuerat, priusquam in provinciam Caesar iret: et quum ille, cognitione senatui delata, nec a senatu suscepta, profectus esset, statim quaestorem ejus in consulatu legibus in praejudicium Caesaris interrogandum curaverunt. Vatinio quoque dicta dies, quo legato Caesar utebatur. sed et ipsum Caesarem L. Antistius tribunus plebis postulavit. Caesar, appellato collegio, *quod reipublicae caussa aberat*, ne reus fieret, obtinuit. Vatinius, quum eadem exceptione posset uti, maluit in ipso judicio pene deteriora scelera facere, quam quorum caussa erat accusatus. Nam, ubi dies venit, nominatim appellato P. Clodio, ne caussam diceret, illoque adjuvante, in tribunal sui quaesitoris adscendit, eumque vi deturbavit, dissipavit subsellia, urnas disjecit. Sic in fugam conjectus est praetor, accusatores ejus vix e manibus Vatinianorum erepti. *Felicitas Caesaris inimicos exstimulat.*

XL. Horum intemperie stimulati, quicumque aut Ciceronis, aut omnino quietis atque legum cupidi erant, illum sibi virum omni conatu restituendum in priorem locum esse statuerunt. Sed deerat, qui referret ad senatum, quamvis adeo pronum, ut nullis de rebus ante consuli vellet. Sed consules, quum essent inter inimicos Ciceronis, *cupere se* dicebant, *sed lege impediri.* nam id caput legis Clodius in curiae poste fixerat, *ne quis ad senatum referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset.* Idcirco Domitius praetor *se* dixit *relaturum, si consules nollent.* *Qui Ciceronem reducere satagunt.*

XLI. Nihil tamen perfici eo anno potuit, quamquam praeterea studiosissimi Ciceronis homines in magistratibus agerent, tribuni octo, P. Nigidius, L. Len- *Frustra.*

Cap. XXXIX. Sueton. Caes. c. 23. et Ner. c. 3. Cic. in Vatin. c. 14. Sueton. Caes. Cic. in Vatin. c. 14. Cap. XL. Cic. pro Sext. c. 31. et in Pis. c. 13. Plut. Cic. Cic. in Pis. c. 13. et post redit. in Sen. c. 2. et pro Domo, c. 26. Cap. XLI. Cic. ad Att. 3, 15. et post redit. in Sen. c. 4.

U. c. 694. A. C. 58. tulus praetores: eratque inexplicabilis in urbe consternatio, quum senatus propensissimam voluntatem consules per caussam legis morarentur; plebs et facta improbaret Clodii, et eumdem, quo faceret quotidie plura, adjuvaret. Is populi sensus maxime in theatro et spectaculis erumpebat. eoque Clodius toto suo tribunatu spectando abstinuit; licet multi eo tempore magnifici ludi, et super omnes a M. Scauro apparatissimi ederentur.

Scauri theatrum. XLII. Ille enim aedilitio munere (noscenda enim haec quoque est insania, quo minus ruinam libertatis admiremur) theatrum tantummodo ad temporarium usum fecit triplici scena: ima pars e marmore fuit, media e vitro, summa tabulis inauratis. Columnas ea structura habebat trecentas sexaginta duodequadragenûm pedum; signa aenea inter columnas tria millia. Cavea ipsa cepit hominum octoginta millia: duplum nempe ejus, quod Pompejanum theatrum, sub eadem tempora structum. Sicyone olim praestantissimi pictores fuerunt: eorum opera omnia, quotquot in publico servabantur, propter aes alienum civitatis addicta, ad ornamentum theatri sui transtulit Romam Scaurus: choragiumque, antea translatitie cultum, exquisito genere vestis induxit: tanta quidem Attalicae vestis copia, tabularumque pictarum, et ceteri apparatus, ut, in Tusculanam villam reportatis, quae superfuerant, incensa ab iratis servis villa, conflagraret sestertium millies.

Et ludorum ejus magnificentia. XLIII. Iisdem ludis ab hujus magnificentia coepisse certamen Athletarum dicitur, antea insuetum Romae. Idem Euripum fecit temporarium ludis suis, et in eo hippopotamum et quinque crocodilos ostendit, animalia numquam antehac Romae visa; postea perquisita tam intemperanter, ut hippopotami defecerint in Aegypto, ad hanc vitandam molestiam, pro sagacitate naturae suae, migrasse crediti in Blemmyas. Circensibus pantheras varias centum quinquaginta universas primus ostendit; itemque ossa longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum majore, quam sit

Cap. XLI. Cic. pro Sext. c. 31. et 32. et ad Q. Fratr. 1, 2. Cic. pro Sext. c. 54. et seq. Cap. XLII. Plin. 36, 15. Plin. 34, 7. Plin. 36, 15. Plin. 35, 11. Val. Max. 2, 4. Plin. 36, 15. Cap. XLIII. Val. Max. Plin. 8, 26. et Solin. c. 35. Themist. Or. 10. Amm. Marcellin. l. 22.

sit elephantis Indicis, spinae crassitudine sesquipedali: quae belluae fuisse dicebantur, quam ad oppidum Judaeae Joppen (inde exportaverat Scaurus) liberator Andromedae Perseus interfecisset. Non igitur mirum, si per hunc furorem in aes alienum grande se immersit stultissimus adolescens, non sufficientibus opibus, quas pater, diu princeps civitatis, et sub justitiae larva minime in rapiendo segnis, quasque mater Metella, mariti Sullae proscriptionibus ditata, amplissimas reliquerant.

U. c. 694. A. C. 58.

Atque ex hinc aes alienum.

XLIV. Eodem anno, novum et inusitatum antea, designatorum consulum provinciae ornatae sunt. P. Lentulus, Q. Metellus erant: alter amicissimus Ciceroni, alter, deposita, quam cum eo gesserat, simultate, non vehementer adversus. Igitur octo tribuni plebis ante diem quartum Kalendas Novembres promulgaverunt de reditu Ciceronis legem, eaque de re postea retulerunt ad senatum. Ibi Lentulus, nihil territus lege Clodia, sententiam libere dixit: sed, Pisone et Gabinio repugnantibus, nihil effectum, donec novi consules magistratum iniverunt. Cujus ipso principio, Kalendis Januariis, agente consule P. Lentulo, sententiae de reditu Ciceronis in senatu, praesente etiam et approbante Pompejo, dictae sunt. Sed et Q. Nepos consul susceptas cum Cicerone inimicitias Patribus conscriptis et temporibus reipublicae dixit esse remissurum. Varia tamen ludificatione senatus impedita est auctoritas.

U. c. 695. A. C. 57. P. Cornelio, Q. Caecilio coss.

Sententiae de reditu Ciceronis.

XLV. Idcirco Q. Fabricius tribunus plebis, rogatione proposita, cum populo ante diem octavum Kalendas Februarias agere statuit. Sed id quoque vanum inceptum Clodianorum efficiebat audacia, qui multa de nocte curiam, forum, comitium armati occupaverant. Ab his Fabricius repellitur, itemque collega ejus M. Cispius: caedes in foro editur maxima. Q. Cicero, qui nuper ex provincia Asia decesserat, quum ad supplicandum pro salute fratris venisset, pulsus a rostris, inter cadavera latuit, ut opinione mortis mortem evitaret.

Maximae propterea discordiae.

Cap. XLIII. Plin. 8, 17. Plin. 8, 5. et Solin. c. 37. Ascon. in Scaur. Plin. 36, 15. Cap. XLIV. Cic. ad Att. 3, 24. Cic. pro Sext. c. 33. et ad Fam. 5, 4. Cic. ad Att. 3, 23. et post Red. in Sen. c. 2. et 3. pro Sext. c. 32. 33. et 34. Cap. XLV. Cic. pro Sext. c. 35. Plut. Cicer. Cic. pro Sext.

U. c. 695. A. C. 57.

XLVI. Idemque non multo post P. Sextio tribuno plebis in templo Castoris accidit. cujus tamen periculum contrariae factionis tribuno Quinctio propemodum exitiosum fuit. nam Clodiani furoris satellites, quod occisum a se tribunum putabant, hunc, licet suarum partium, ad necem quaesiverunt, ut similis facinoris suspicione adversarios onerarent. nec ante hic timere mortem desiit, quam rescitum est, Sextium vivere. Studiosissimus Ciceronis hic Sextius erat, qui et designatus iter suscepit ad Caesarem, ut illum induceret ad caussam, aut saltem a voluntate resistendi abduceret: et, inito magistratu, rogationem scripsit, et suis copiis, clientelis, vitae etiam periculo amicum constantissime juvit.

Sextius Ciceronis studiosus.

Et magis adhuc Milo.

XLVII. Praeminebat tamen T. Annii Milonis studium, qui Clodium, modis omnibus acerrime vexatum, postremo lege Plotia de vi reum fecit. Sed elusum id judicium est edictis magistratuum, qui Clodio favebant. Consul Metellus, nondum satis placatus Ciceroni, ad haec propinquus Clodio, itemque frater Appius praetor, unusque de collegio tribunorum vetabant judiciorum fieri mentionem, priusquam praetores crearentur, apud quos sortitionem judicum fieri oportebat. Hoc ideo fiebat, ut inter hanc moram petere Clodius aedilitatem posset: et, magistratum adeptus, quod factitatum ab aliis fuerat, judicium effugeret.

XLVIII. Igitur Milo, sublata judicia cernens, et auctoritate senatus accusatione se prohiberi, coepit et ipse gladiatores, aliamque secum sentientium turbam, circumducere. unde quotidianae propemodum inter factiones pugnae, caedesque tota urbe fiebant. Domus etiam L. Caecilii praetoris, et postea domus Milonis atque Ciceronis a Clodianis sunt oppugnatae. Inter has inflammata Q. Ciceronis.

Sed Pompejus rem perurget.

XLIX. Cum Milone Pompejus sentiebat, adeoque spe consulatus excitasse illum putabatur, ut reducendo Cicerone de Clodio se vindicaret. Idem, coacto ingenti agmine, quum rogationem suam Milo perlatu-

Cap. XLVI. Cic. pro Sext. c. 33. Cic. ad Att. 3, 23. et post Red in Sen. c. 8. Cap. XLVII. Liv. Epit. Cic. pro Sext. c. 39. et seq. et pro Mil. c. 18. Cic. de Har. Resp. c. 25. Dio. l. 39. Cap. XLVIII. Cic. pro Sext. Dio. Cic. pro Mil. c. 14. Pro Sext. c. 42. et 44. Pro Coel. c. 32. ad Att. 4, 3. Cap. XLIX. Dio. Appian. Civil. 1, 2.

rus esset, Clodianis fugatis, forum ei liberum praestitit: ut ejusdem hominis intentissima cura Cicero restitueretur, cujus proditione eversus profligatusque fuerat. Jam impar consensui tot potentium Nepos impugnare Ciceronem desierat, et, P. Lentulo referente, Pompejoque sententiam de scripto dicente, senatus decreverat reditum. Eo facilius accepta rogatio est, ut quidquam umquam tanto consensu populi rogatum negent. U. c. 695. A. C. 57.

L. Eodem tempore senatus decrevit, *ut civitatibus, quae in Ciceronem officiosae fuissent, itemque privatis, qui ex municipiis salutis ejus caussa convenerant, gratiae agerentur: atque domus ejus et villae publico sumptu reficerentur: solo, quod Libertati dedicaverat Clodius, religione per sententiam pontificum liberato.* Exstat adhuc disertissimi viri pro domo sua oratio. ex qua et aliis, sub eosdem annos habitis, multum luminis illorum temporum historiae adspergitur. Dixit pro eadem domo M. Calidius, qui tum praeturam gerebat. Postridie quam apud pontifices Cicero dixerat, Kalendis Octobribus senatusconsultum factum est, *placere domum ei restitui.* ei senatusconsulto tribunus plebis Sex. Atilius Serranus Gavianus intercessit: sed, consensu senatus et Cn. Oppii Cornicini soceri, ad pedes ejus procumbentis, precibus victus, remisit. *Ciceronis oratio pro Domo.*

LI. Sic post menses ferme sedecim, quam fuerat urbe expulsus, Cicero rediit, tanto favore hominum, ut, quum ipse *humeris Italiae se reportatum* diceret, rem minuere potius aliquanto, quam augere, videretur. Quum ad urbem accederet, tanta gratulantium obviamque prodeuntium multitudo fuit, ut vix totus dies illis officiis sufficeret. Fuit inter illos et M. Crassus, inimicus antea, sed tum in gratiam filii magno studio redeunti se offerens. sic inter hos reconciliata, magis tamen in speciem, quam vere et penitus, est gratia: diciturque in illum et Caesarem scripsisse librum de consiliis suis Cicero, refertum in hos probris, ideoque nec ab auctore editum. *Ciceroni obviam itur.*

Cap. XLIX. Plut. Pomp. et Cic. Vell. 2, 45. Dio. Cic. pro Sext. c. 62. Cic. pro Sext. c. 61. Cap. L. Plut. Cic. Cic. pro Domo, c. 32. et pro Sext. c. 62. et post Red. in Sen. c. 10. et 11. Plut. Cicer. Cic. pro Domo. et in Pis. c. 22. Quinctil. 10, 1. Cic. post Red. in Sen. c. 9. Cap. LI. Cic. ad Att. 4, 2. Plut. Appian. Cic. post Red. in Sen. c. 15. Plut. Cic. ad Att. 4, 1. et in Pis. c. 22. Vell. 2, 45.

U. c. 695. A. C. 57.

LII. Cum Pompejo meliori fide reversus est in gratiam, et, ne poenitere eum suae voluntatis posset, statim beneficium reddidit, senatu inducto, ut ei per quinquennium annonae cura, Sex. Clodio improbo et audacissimo homini erepta, mandaretur. Ingenti enim urbem premente fame, plebis insanis tumultibus fremebat. Et primum Apollinaribus ludis, quos L. Caecilius Rufus praetor faciebat, tanta infimae multitudinis concursatio fuit, ut omnes, qui spectandi gratia consederant, theatro pellerentur. Deinde in Capitolium, quum ibi senatus haberetur, concursus factus, incendium templo, necem senatui minitantium. Inter eam consternationem auctor Patribus Cicero fuit, Pompejo curam illam decernendi. proconsulare imperium per Italiam omnesque terras, quale prius piratico bello tenuerat, datum.

Seditio ex fame.

Cui remedium a Pompejo.

LIII. Pompejus, accepta curatione, legatos postulavit quindecim, et in his principem Ciceronem. quibus passim per provincias dimissis, in Siciliam, Sardiniam, et Africam ipse navigavit. Inde cum onustis navibus reversurus, inter cunctationem gubernatorum, qui tempestatem timebant, primus conscenso navigio solvere jussit, nobilissima voce edita, *navigare necessum esse, vivere non esse necessum.* Absente Pompejo, quum nihilominus ferveret Milonis atque Clodii contentio, civitasque et senatus in partes scinderentur, referente P. Rutilio Lupo, qui recens tribunatum inierat, frequentiore curia, quam mense Decembri sub dies festos putari potuisset, de judiciis agitatum est. Marcellinus consul designatus sententiam dixit, *Ut praetor urbanus ipse sortiretur judices: judicum sortitione facta, comitia haberentur.* Id quum probaretur, C. Cato, C. Cassius tribuni comitia prius habenda contenderunt. Haec sententia vicit: et comitia, non sine maximis certaminibus, obnunciante Milone, perfecta, Clodiusque aedilis curulis factus est.

Gallorum ingentes apparatus contra Caesarem.

LIV. Dum haec in urbe fiunt, C. Caesar gravissimum in Gallia bellum habuit. Belgarum populi, Remis exceptis, omnes conjuraverant, incredibili hominum multitudine armata: quippe Bellovacos, millia

Cap. LII. Appian. Plut. Dio. Cic. ad Att. 4, 1. et pro Domo, c. 7. et 10. Ascon. in Milon. Cic. Plut. Pomp. et Dio. Cap. LIII. Cic. ad Att. 4, 1. Plut. Pomp. et Apophth. Rom. Cic. ad Q. Fratr. 2, 1. Cic. ad Att. 4, 3. Dio. Cap. LIV. Caes. de B. G. 2. Dio. Plut. Caes.

sexaginta pollicitos, Caesar ipse prodidit, quinquaginta Suessiones, totidemque Nervios: at Ambianos, Caletes, Velocasses, et Veromanduos dena millia: quindecim Atrebates, quinque et viginti Morinos, septem Menapios, et Atuaticos undeviginti. praeterea Condrusos, Eburones, Caeraesos, Paemanos, qui uno nomine Germani appellabantur, armatorum praebuisse millia circiter quadraginta: ita ut non injuria de fide auctoris dubitaverit quidam Galliae regum, quod ex universo regno tantam hominum bello utilium multitudinem (trecentis enim millibus plures fiunt) cogi posse minime arbitraretur, quamquam refertum habitatoribus esset. Sed olim, ut arbitror, quia pacis artes minus frequentabantur, uberior militum copia fuit: nunc eo res deducta est, ut magnae eruditionis cum insigni patriarum rerum peritia Gallus scribere non dubitarit, *citius ducenta millia scribarum, quam triginta millia militum, reperiri hodie in Gallia posse.* U. c. 695. A. C. 57.

LV. Caussa bellandi praecipua fuit, quod Belgae, successibus Caesaris territi, nec ambitionis ignari, ad se quoque perventura arma imperiumque Romanum sentiebant. ad hoc a quibusdam Celticorum Gallorum diversis de caussis incitabantur. Initium armorum a populatione agrorum ortum, in Remos effundente se Belgarum ira, quorum etiam oppidum Bibrax acriter ab his oppugnatum est. Sed quia haud longius, quam ad octo millia passuum, castra Caesaris aberant, et inde subsidia Remis mittebantur, relicto Bibracte Belgae protinus ad castra Romana contenderunt. *Ejus belli caussae.*

LVI. Axona flumen per extremos Remorum fines labitur, ad quod Caesar eo tempore consederat, castris diligenter munitis, quod propter multitudinem hostium et virtutis eximiae famam non statuerat proelium, praeterquam ex commodo suo, committere. Sed, postquam in transitu fluminis impeditos didicit, (nam, ut Q. Titurium legatum cum sex cohortibus, in altera ripa relictis, opprimerent, aut, si hoc non possent, Remorum vastarent agros, partem suorum transducere conabantur) cum omni equitatu ac levi armatura pontem transgressus, multos occidit; alios, per suorum corpora transire conantes, multitudine *Belgae caedunturr a Caesare.*

Cap. LIV. Oros. 6, 7. Liv. Epit. Appian. Celt. Caes. Pasquier, Recherches de la France, 1, 3. Cap. LV. Dio. Caes.

U. c. 695. A. C. 57. telorum repulit; aliquem numerum, qui jam transmiserat, equitatu circumvenit.

Mox iterum in conatu discedendi.

LVII. Hostes, sibi sua consilia parum feliciter succedere experti, ad hoc audito, concitatos a Caesare Aeduos Bellovacorum fines hostiliter intrasse, secunda vigilia, nullo certo ordine neque imperio, ad sua proficisci instituerunt: sic inter se pacti, ut, qui eorum primi a Caesare petiti essent, ad horum defensionem universi concurrerent. Caesar, discessu hostium per speculatores cognito, milites tamen, quod in re inexspectata metuebat insidias, castris continuit, prima deinde luce misit, qui hostes moraretur, universum equitatum cum Q. Pedio, L. Aurunculejo Cotta legatis. Labienum cum legionibus tribus subsequi jussit. Quum hostium ea ratio esset, ut novissimi se converterent, et impressionem Romanorum sustinerent, ceteri interim contente fugerent; illos superveniens Labienus disjecit, et fugientibus immissus eques ingentem stragem edidit. Nec moratus Caesar, quin postridie statim in Suessionas duceret. Ii se statim, neque multo post Bellovaci, dediderunt. Caesar utrumque populum, Suessionas Remis, Bellovacos Aeduis deprecantibus, conservavit. Mox, Ambianis receptis, ad fines Nerviorum perventum.

Caesar ad Nervios pervenit.

LVIII. Hi neque miserant ad Caesarem legatos, et ferocissimi Belgarum omnium habebantur, institutis virtutem roborantibus; cujus vigorem, prohibitis in fines ingredi mercatoribus, vinoque et peregrinis deliciis praecluso aditu, tuebantur. Vetus genti adversus finitimorum incursiones praesidium in silvarum munimentis erat, quas arte quadam ita implicatis arboribus, rubisque et sentibus inter eas serendis, densaverant, ut non modo pedibus inaccessae atque inviae, sed ne visu quidem penetrabiles essent.

Et cum his acri pugna confligit.

LIX. Ex his veluti lustris subito Nerviorum et Veromanduorum ac Atrebatum, quibus eadem Nervii persuaserant, sexaginta millia proruperunt, impetuque in Caesarianos castra metantes facto, cruentam ediderunt pugnam. Tanta enim fortitudo et celeritas hominum fuit, ut objectum Caesaris equitatum momento funderent, flumen interpositum (Sabis erat, *Sambram* vocant hodie) superarent, et in adversum collem, ubi castra Caesaris erant, enitterentur. Ibi quum maxi-

mum discrimen esset, septimaeque et duodecimae legionum centuriones propemodum omnes cecidissent, Caesar, ut nutantem exercitum confirmaret, rapto e manu militis scuto, in primam aciem provolat, proeliumque restituit: donec duae legiones, quae impedimentis relictae praesidio fuerant, et ab Labieno, qui castra interim hostium ceperat, missa decima, succurrere laborantibus potuerunt. Horum superventu mutata fortuna est, hostiumque totus ferme exercitus pugnando deletus. U. c. 695. A. C. 57.

LX. Hoc proelio facto, majores natu Nerviorum, quos cum pueris atque mulieribus in loca paludibus invia miserant, Caesari se dediderunt. horum legati in exponenda civitatis calamitate dixerunt, *de sexaginta millibus armatorum non amplius quingentos superesse, et tres almodum senatores de quadringentis.* Caesar misertus suis eos finibus oppidisque jussit uti: finitimisque imperavit, ne quam facerent populi Romani dedititiis injuriam. *Vincitque.*

LXI. Atuatici, Cimbrorum Teutonorumque progenies, ex iis orti, qui a properantibus in Italiam relicti cum impedimentis in Gallia fuerant, quum ad auxilium Nerviorum serius moti essent, eorum cladis nuncio accepto, retulerunt se domum, desertisque ceteris oppidis atque castellis omnibus, in unum, quod omnium natura munitissimum erat, se incluserunt: accedentesque Romanos crebris excursionibus morati, ad vallum duodecim pedum, circuitu quindecim millium, crebraque castella excitanda Caesarem compulerunt. Postquam ea facta sunt, et procul aedificari turrim viderunt, ridicula res ignaris visa: increparuntque de muro, *quorsum homines inepti tanta opera molirentur? aune sperarent, tantillis corporibus* (nam prae magnitudine sua staturam Romanorum despiciebant Galli) *tantam molem in muros posse attollere?* Sed ubi moveri turrim, simulque armatos in ea stantes viderunt, exterriti velut miraculo, miserunt legatos, *existimare se, non nisi Deorum ope bellare Romanos, qui tantae altitudinis opera tam celeriter promoveant: itaque se suaque illorum fidei permittere: unum deprecari, ne arma tradere cogantur, sine his praedae vicinis populis futuri, quibus hactenus dominari consuevissent.* *Atuatici se dedunt.*

Cap. LIX. Plut. Flor. 3, 10. Val. Max. 3, 2, 19. Plut. Caes.

U. c. 698. A. C. 57. *Et statim rebellant.*

LXII. Caesar omnino tradi arma jubebat: *se, quod in Nerviis fecisset, imperaturum finitimis, ut injuriam ac vim ab his abstineant.* His in oppidum nunciatis, tanta vis armorum in fossam dejecta est, ut propemodum summam muri atque aggeris altitudinem adaequaret: portisque patefactis Romani milites in oppidum recepti sunt. Ast, ubi Caesar sub noctem milites egredi, portasque claudi jussit, ne quam injuriam oppidani acciperent, illi de tertia vigilia, correptis armis, quae celaverant, aut subito comparaverant, munitiones Romanorum adorti sunt. Sed, quia Caesar adversus omnem casum mature providerat, celeriter concursum e castellis, et post acrem pugnam Atuatici repulsi sunt, quatuor ferme amissis hominum millibus. Postridie, refractis portis, nemine ultra defendente, captum oppidum atque subhastatum est. quinquaginta tria millia capitum numerum sectores ad Caesarem retulerunt.

Gallia pacata.

LXIII. Sic omni pacata Gallia, (nam sub idem tempus legatus Caesaris P. Crassus Venetos, Osismios, Curiosolitas, ceterosque ad oceanum populos in ditionem populi Romani redegerat) tanta fuit Caesaris gloria, tantusque omnium circa terror, ut etiam a Transrhenanis gentibus legati mitterentur: quibus ille ad initium aestatis proximae jussis occurrere, legiones in hiberna deduxit, ipse in Italiam est profectus. His rebus in urbem nunciatis, decreto senatus supplicatio in dies quindecim, ob res a Caesare in Gallia gestas, fuit. qui numerus nulli antea decretus umquam fuerat. Sed ferocissimae maximaeque gentes erant domitae, ut honorem mereretur Caesar. praeterea summa ejus erat in senatu potentia, apud populum favor, ut res per se amplissimae, quia ab hoc erant gestae, majores etiam gratioresque haberentur.

Ser. Galba gentes Alpinas vincit.

LXIV. Eadem aestate, qua haec sunt gesta, Ser. Galba cum legione duodecima et parte equitatus in Nantuates, Veragros, Sedunosque missus a Caesare, prosperis aliquot factis proeliis, pacem petentibus dedit. Gentes illae a finibus Allobrogum, et lacu Lemano, et flumine Rhodano, ad summas Alpes colebant; cupiebatque pacatas Caesar, quo tutius per Alpes minusque sumptuosum mercatoribus iter foret, a quibus illi populi magna portoria exigebant.

Cap. LXIII. Cic. de Prov. Cons. c. 11. Caes. Plut. Caes.
Cap. LXIV. Caes. de B. Gall. l. 3. Oros. 6, 8. Caes.

LXV. Igitur Galba de sua legione duas cohortes in Nantuatibus, octo in vico Veragrorum Octoduro in hibernis collocat: alteram oppidi partem, nam torrens medium dividebat, suis cohortibus occupat, in alteram commigrare jubet oppidanos. Ibi Veragri Sedunique, collecti ad triginta hominum millia, subito, quae Octoduri erant, hiberna oppugnare coeperunt: donec, nullo nisi in virtute reliquo praesidio, auctoribus Sextio primipilari, et Voluseno tribuno, eruptio facta, et amplius tertia pars hostium concisa est. Galba, incenso vico, incolumem legionem per Nantuates in Allobrogum fines deduxit, ibique reliquam partem hiemis exegit. U. c. 695. A. C. 57.

LXVI. Per eadem tempora M. Cato, lege Clodia ad redigendam in provinciae formam Cyprum missus, reductis Byzantinorum prius exsulibus, in insulam venit, morte Ptolemaei vacuam: qui, neque paratus ad resistendum, neque regno amisso vivere sustinens, veneno epoto perierat. Pollicitus erat praemissus a Catone Canidius, populum Romanum ei, si lubens cessisset, sacerdotium Veneris Paphiae concessurum esse: verum ille mortem potiorem eo ludibrio habuit, stulta tamen avaritia conservatis opibus. Quum enim aliquando, ut vicissim praedonibus suis aegre faceret, omni pecunia in naves imposita, provectus in altum esset eo consilio, ut secum omnia mergeret, non sustinuit perdere, propter quae se periturum intelligebat. A Cypriis Cato prompte acceptus est, mitiorem sub jure Romano, quam in servitute regia habuissent, sortem sperantibus. Idcirco Catoni nihil fuit reliquum, quam ut ordinaret provinciam, et pecuniam regiam, et quod ejus ex instrumento Ptolemaei vendito redigi potuit, reportaret. Vendidit enim omnia, una solummodo excepta Zenonis statua, non propter aeris aut artis excellentiam, sed in honorem philosophiae. *Ptolemaei Cyprii exitus.*

LXVII. Haec quum ab illo integerrima fide acta essent, summa longe major, quam sperare quisquam potuisset, redacta est. Paullo minus septem millia talentorum navibus impositum est: ita distribuente adversus naufragiorum pericula Catone, ut singulis va- *Ejus opes Cato deportat Romam.*

Cap. LXVI. Liv. Epit. Appian. Civil. l. 2. Plut. Cat. Dio. Vell. 2, 45. Strabo, l. 14. p. 684. Plut. Val. Max. 9, 4. Appian. Val. Max. Dio. Flut. Plin. 34, 8. 7, 30. Cap. LXVII. Plut. Cat.

U. c. 695. A. C. 57.

sis, qualia ad condendam pecuniam multa magnitudine aequali paraverat, corticem suberis longo funiculo alligaret, ut, si forte mersum navigium esset, locum amissae pecuniae cortex indicaret. Ita praeter Asiam Cycladasque et Epirum vectus, tantum ubique abstinentiae praestitit, ut, in locis amoenissimis omnique genere deliciarum famosis tantarum opum compos, ab omni non lucro tantum, sed etiam Venere, abstineret.

Ubi obviam ei itur.

LXVIII. Quum primum Tiberim liburnis subiret, consules, senatus, sacerdotes, tota ferme civitas obviam effusa est, turpi confessione avaritiae, qua sine si fuisset, ob unius tribuni plebis furiosas iras, vivus videnque rex amicus, neque ullius in rem Romanam injuriae reus, neque rebus, ut solet, repetitis, caussa incognita, non esset cum bonis omnibus publicatus. Huic tanto dedecori publico qui ministerium, quamquam invitus, praebuerat Cato, tam diligens commissi custos fuit, ut ad occursum senatus et ceterorum non ante exscenderet, neque inhiberet cursum, quam ad locum perventum est, ubi erat exponenda pecunia. Inde translata per forum admirationem excitavit spectantium: nec erat res triumpho absimilis, frequentia et gaudio celebrantium; et plus inferebat aerario, quam factum ex ullo triumpho fuerat.

Cato honores oblatos spernit.

LXIX. Actae ob haec Catoni in senatu gratiae, consulibusque referentibus praetura illi et jus spectandi ludos praetextato extra ordinem data. Ea quum decreta magnam Catoni gloriam conferre viderentur, majorem spreta illi atque repudiata dederunt. quippe, extraordinariis potestatibus semper adversus, quod in aliis non probabat, ejus in se conspici exemplum non patiebatur. Cum Clodio mox contentionem habuit ob servos regios, quorum magnum ex Cypro numerum adduxerat. eos, quod ex sua lege adducti essent, *Clodianos* appellandos ille dicebat. Cato nec id concessit, neque *Porcios* a suo nomine vocari, quod nonnullis placebat, voluit. *Cyprii* nominati sunt.

Clodius acta Catonis impugnat.

LXX. Ab hoc initio Clodius acta vellicare Catonis instituit, et rationes acceptae pecuniae postulare. Nec

Cap. LXVII. Val. Max. 4, 3. 2. Cap. LXVIII. Plut. Vell. Strabo. Cic. pro Domo, c. 8. Flor. 3, 9. Sex. Ruf. c. 13. Marcellin. l. 14, 27. Cic. pro Sext. 28, et 29. Vellejus, 2, 45. Cap. LXIX. Plut. Flor. Plut. Dio. Val. Max. 4, 1. Cic. pro Domo, c. 9. Dio.

erat ulla contra clarissimam viri notissimamque integritatem suspicio: sed quia commentarii, quos diligentissime confecerat, naufragio erant amissi, calumniae color aliquis dabatur. Hanc ad instruendam accusationem conferre operas Caesar dicebatur, epistolas ad Clodium ea de re missitando. Inter alia criminabantur, dimissam velut a recusante praeturam, quum ipse fuisset relationis consulibus auctor; deinde, rem obtineri non posse sentiens, sponte a se omissam simulasset. U. c. 695. A. C. 57.

LXXI. Priusquam in Cyprum Cato navigaret, rex Aegypti Ptolemaeus, suorum injurias fugiens, Romam properabat. Quum Rhodum venisset, ubi tum adhuc Cato agebat, misit ad illum, et, uti ad se accederet, petiit: Cato vicissim ad se venire jussit, si vellet, in valetudine curanda occupatus. Id quum factum esset ab rege, nec prodiit obviam, nec adsurrexit venienti, sed translatitie salutatum considere jussit. Unde regem magnus invasit stupor, in tanta vilitate cultus tantum supercilium admirantem. Sed, ubi ille reprehendere consilium coepit certa commutantis cum incertissimis, et, omissa patria, Romanorum principum avaritiae se permittentis, quos vix tota in argentum conversa satiare Aegyptus posset; jussitque reverti, et redire in gratiam cum civibus, comitem ad hoc et adjutorem se offerens; libertate atque prudentia hominis perspecta, ut consilium ejus sequeretur, motus est: deinde iterum revocatus a familiaribus Romam contendit. Sed, ubi primum ad unius e magistratibus domum accessit, intellecto fastu Romano, recordatus est Catonis, deflevitque imprudentiam suam, per quam vinci se passus esset ad contemnendum non tam hominis sapientis consilium, quam Dei cujusdam praedictionem. *Ptolemaeus Aegypti rex cum Catone colloquutus.* *Romam pergit.*

LXXII. Impulsum a Theophane Mitylenaeo Ptolemaeum, uti ob caussas non maximas Aegyptum desereret, Timagenes scripsit, novas quaerente imperiorum et opum occasiones Pompejo suo: auxitque suspicionem Pompejus, hospitio regem excipiens. neque amici ejus ac familiares voluntatem hominis obscuram esse passi sunt. Ceterum caussae, propter quas discesserit ex Aegypto Ptolemaeus, non aliae tradun-

Cap. LXX. Plut. Dio. Cap. LXXI. Liv. Epit. Dio. Plut. Cat. Cap. LXXII. Plut. Pomp. Dio. Cic. ad Fam. 1, 1. Dio.

U. c. 696. A. C. 57.

tur, quam quod, magna in Romanos profusa pecunia, ut socius et amicus appellaretur, eam extorquere a popularibus non poterat: ultro rem incusantibus, repetique jubentibus ab omni memoria subjectam Aegyptiis Cyprum, aut amicitiae illud inane nomen abjicere.

Ejus pravi mores.

LXXIII. Sane etiam ob morum infamiam exosus contemptusque erat, super alia indecora regibus tibiae ita studiosus, ut palam in regia certamina institueret, et inter certantes ipse esset: unde et nomen ei *Auletes* haesit. Alexandrini, nondum cognito regis itinere, quum morte sublatum existimarent, Berenicen regnare jusserunt, Ptolemaei filiam, de tribus natu maximam, et solam ex legitimo matrimonio natam. Aderant et filii duo, sed propter imbecillitatem aetatis posthabebantur.

LXXIV. Igitur, ut reginae maritum quaererent, Menelaum, et Lamponem, et Callimandrum mittunt, Antiocho delaturos conditionem, qui non ita pridem Syriae regno exciderat, et propter matrem Selenen Aegypti regnum ad se putabat pertinere. Sed mors illius quum vanam hanc quidem exspectationem effecisset, tamen ex eadem domo matrimonium petendum rati, Seleucum quemdam arcessunt, qui se stirpe Syriacorum regum editum ferebat. Sed, quum esset moribus sordidis et illiberalibus, *Cybiosactes* (quasi salsamentarium diceres) ab Alexandrinis appellatus, paucos intra dies periit; quum Alexandri Magni loculum aureum, substituto vitreo, rapuisset, neque quidquam ante studium pecuniae poneret; jussu reginae, quae perferre sordes ejusmodi non poterat, strangulatus.

Cybiosactes.

Alexandrini legati occisi.

LXXV. Comperto deinde, Romae Ptolemaeum degere, legatos et ipsi centum miserunt, qui ad crimina responderent regis, et ultro ipsum accusarent. Sed ex eo numero plerique in itinere, pars in ipsa urbe Ptolemaei dolis occisi sunt: quum ille, multis Romanorum pecunia corruptis, insidias locis omnibus posuisset. Haec omnia tam et aperte et impune committebantur, uti, si M. Favonius, Catonianae libertatis aemulus, tacuisset, nemo relaturus de tanto

Cap. LXXIII. Strabo, l. 17. p. 796. Dio. Porphyr. apud Euseb. p. 226. Strabo. Cap. LXXIV. Porphyr. apud Euseb. p. 227. Cic. in Verr. 4, 27. Porphyr. Dio. Strabo. Casaubon. ad Strab. Strabo, l. 17. p. 794. Cap. LXXV. Dio.

scelere fuerit. Illo accusante peregrinam temeritatem, domesticam avaritiam, species aliqua pristini pudoris, neque diuturna, incessit, ut princeps legationis Dio, haud incelebris Academicae sapientiae professor, vocaretur in senatum, de rebus illis interrogandus. U. c. 695. A. C. 57.

LXXVI. Hoc adeo sine cura veri et honesti factum, ut paullo post ipse etiam Dio occideretur, tantumque pecunia regis posset, ut, donec ipse Romae fuit, nulla sit instituta de tantis criminibus quaestio. Desperabundus tamen de negotii eventu concessit Ephesum, ut ibi, velut in religiosissimo loco, tutius minusque contra dignitatem regiam degeret. Inter haec, ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato, turbulentus adolescens et audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam et Ptolemaeo, qui jam profectus ex urbe erat, et P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare, secundo quidem populi rumore, coepit. *Et princeps eorum Dio.*

LXXVII. Igitur Ptolemaeus, quum illo anno promovisset nihil, sequenti, quo Cn. Cornelius P. F. Lentulus Marcellinus, L. Marcius L. F. Philippus magistratum gesserunt, per legatos atque literas enixe instituit agere, uti tandem reduceretur. Huic ejus desiderio multa obstabant: aemulatio maxime principum, quod idem negotium Cn. Pompejus et P. Spinther, cui ex consulatu Cilicia cum Cypro provincia evenerat, ambibant. et utrisque adversabatur magna pars senatus, per legatos reduci regem convenientius publicis, an suis, rationibus rata. U. c. 696. A. C. 56. Cn. Cornelio, L. Marcio coss. *De Ptolemaeo reducendo principum aemulatio.*

LXXVIII. Accesserunt et aliae a religione tricae, quod, ob statuam Jovis in Albano monte fulmine tactam, decemviri, adire libros jussi, Sibyllae carmen invenerant, cujus haec sententia fuit: *Quum ad vos rex Aegypti opem petens venerit, neque denegate amicitiam, neque cum multitudine auxilium ferte; sin vero, labores vos et pericula manent.* Hac de re quum esset a C. Catone tribuno plebis relatum, carmen ita congruere praesentibus, tamquam sub eadem tempora scriptum esset, ad- *Sibyllini libri cum exercitu reduci vetant.*

Cap. LXXV. Strabo, l. 17. p. 796. Dio. Cap. LXXVI. Fenestella, Ann. 22. apud Nonium. Cap. LXXVII. Dio. Cic. ad Fam. 1, 1. et ad Q. Fratr. 2, 2. Cic. ad Fam. 1, 7. Cap. LXXVIII. Plut. Dio. Cic. ad Fam. 1, 1. Dio.

U. c. 698. A. C. 56. mirati Patres, fecerunt senatusconsultum, *Regem Alexandrinum cum exercitu reduci, periculosum reipublicae videri.* Quum varia de Sibyllino carmine existimatio esset, neque deessent, qui obtrectatione et invidia aliquorum inductam esse fictam religionem crederent, C. Cato, veritus ne res omnino supprimeretur, advocatos in concionem decemviros oraculum coëgit exponere. idque recusantibus summa contentione populi extortum, eo cupidius instantis, quo magis hoc non licere sacerdotes testabantur. nam ad eam diem Sibyllinum carmen nullum populo recitari consueverat, nisi senatus decrevisset.

Ptolemaeus optat a Pompejo reduci. LXXIX. His rebus intellectis, Ptolemaeus optavit a Pompejo reduci, codicillosque, sub nomine regis passim per forum et in curia sparsos, populo A. Plautius tribunus recitavit. dicebanturque ab amicis Pompeji similes in senatu sententiae. Sed veriti Patres ne potentia viri, hac imposita curatione, in immensum augeretur, per honestam caussam restiterunt, *non esse vitam hominis necessarii tot exponendam casibus, praesertim quum illius incolumitate res tota frumentaria niteretur.* De ceteris quoque nihil convenit. P. Lentulo multi dabant negotium, sed sine exercitu: Crassus tres legatos decernebat, ita ut non excluderetur Pompejus. volebat enim etiam ex iis, qui cum imperio essent. Id plures abnuebant, ex privatis censentes legi oportere. Unus consularium P. Servilius omnino negabat reducendum: et in eam sententiam, quum intercessum esset, perscripta est senatus auctoritas. Paullo post tribuni plebis promulgarunt, Cato de imperio Lentulo abrogando; Caninius Gallus de Ptolemaeo, uti eum Cn. Pompejus Magnus cum duobus lictoribus reduceret.

Patres varie sentiunt.

LXXX. Quum his rebus nimium sollicitaretur urbis quies, Clodii furiosis actionibus plane praecipitata et exstincta est. Is, aedilitate inita, Milonem vicissim de vi postulabat, turbam ab eo coactam gladiatoresque insimulans, et alia, quae ipse prior et proposito deteriore fecerat. Haec non tam spe opprimendi Milonis agebat, quam cupiditate exagitandi suos adversarios, a quibus ille defendebatur.

Cap. LXXVIII. Cic. ad Q. Fratr. 2, 2. Cic. ad Fam. 1, 4. Dio. Cap. LXXIX. Cic. ad Fam. 1, 1. Plut. Pomp. Dio. Cic. Dio. Cic. ad Fam. 1, 1. et 2. Cic. ad Q. Fratr. 2, 3. Plut. et Dio. Cap. LXXX. Cic. pro Sext. c. 44. Dio.

LXXXI. In Pompejum praecipue convicia et maledicta congesturus, quibus illum sciebat acerrime pungi, sic cum sua turba comparaverat, ut, quoties, aliquo crimine aut probro prolato, *quis eo teneretur*, interrogaret, *Pompejus* acclamaretur. Igitur ante diem octavum Idus Februarias, quum pro Milone Pompejus peroraſſet, surgensque ad dicendum Clodius clamore adversariorum impediretur, interrogabat suos in clamore ipso, *quis eſſet*, *qui plebem fame necaret?* respondebant operae, *Pompejus*. *Quis Alexandriam ire cuperet?* respondebant, *Pompejus*. *Quem ire vellent?* respondebant, *Craſſum*. Nam et Craſſus aderat, haud satis aequus Miloni. Denique, interrogante Clodio, *quis eſſet, qui vir virum quaereret? qui caput uno digito ſcalperet?* et si quae alia proterviae hominis occurrebant, *Pompejus* nominabatur. Et hac viri contumelia delectabantur ejus adversarii: Catonemque tribunum inimicum Pompeji suscitabant: pecuniam Clodio dabant, quo eſſet ad vexandum illum inſtructior. Igitur in concione populi a Clodio, in senatu a Catone acerbe jactabatur: ingentemque percipiebat dolorem, qui nec facere talia, nec ferre didiciſſet. U. c. 698. A. C. 56. *Clodius Pompejum exagitat.*

LXXXII. Inter haec in Albano parvum templum Junonis, qualia ex argento aut alia materia fiebant, mensae impositum, ab oriente ad septentrionem conversum eſt: lupus in urbem intravit: in coelo fax a meridie ad boream visa ferri: cives aliquot Romani Deorumque simulacra fulmine percuſſa: et in agro Latiniensi ſtrepitus cum fremitu armorum sub terra auditus eſt. *Prodigia.*

LXXXIII. Ob haec prodigia consulti haruspices, quum *urbem luſtrandam*, *Jovi*, *Saturno*, *Telluri*, *Diis coeleſtibus poſtulationes eſſe*, respondiſſent, addiderunt, *iraſci Deos ob fidem et jusjurandum neglectum*, *oratores contra jus et fas interfectos*, *ludos minus diligenter factos*, *ſacrificia vetuſta occultaque minus diligenter facta polluraque*, *loca ſacra et religioſa occupata et profanata*. *Ob haec periculum eſſe*, *ne*, *per optimatium discordiam diſſenſionemque*, *Patribus principibusque caedes*, *pericula creentur*, *auxilioque deminuti deficiant*. *qua re ad unum imperium provinciae redeant*, *exercitusque* *Et de his haruspicum responsa.*

Cap. LXXXI. Cic. ad Fam. 1, 5. et ad Q. Fratr. 2, 3. Plut. Cic. de Har. Resp. c. 24. Cic. ad Q. Fratr. Plut. Cap. LXXXII. Dio. Act. Apoſt. 19, 24. Dio. Cap. LXXXIII. Cic. de Har. Resp. c. 10. Jul. Obseq. Cic.

U. c. 696. A. C. 56.

pulsus deminutioque accedat. ne occultis consiliis respublica laedatur: ne deterioribus repulsisque bonos augeatur.

Eis Clodius ad traducendum Ciceronem abutitur.

LXXXIV. Hac Clodius occasione arrepta graviter ad populum traducendi Ciceronis, *ob hunc iram Deorum gravem atque formidabilem incumbere*, inculcabat: *hunc enim in area, quae consecrata Libertati esset, aedificare.* Nec mora, pergit ad aedes illius cum multitudine, et disturbare opus, domumque iterum a fundamentis diruere instituit. Sed, Milone cum armatis occurrente, non sine multorum caede domus Ciceronis servata est. Cicero, ut hanc injuriam ulciscceretur, adsumpto Milone ac tribunis quibusdam, adscendit in Capitolium, avulsasque tabulas Clodianae legis, quas ille de Ciceronis exsilio fixerat, domum deportabat; nisi eas cum Cajo fratre, qui tum praetor erat, accurrens Clodius vi recuperasset.

Sed retorquet in Clodium Cicero.

LXXXV. Postridie in senatu, quum *de haruspicum responso* consules ex senatusconsulto retulissent, vehementem orationem Cicero habuit, omnium eorum, quae arguerentur a Diis, aut unum, aut principem reum Clodium agens. *Ab illo, corruptis judicibus, fidem jusjurandumque sublatum: ab illo et conjuratis sociorum legatos interfectos; Megalesia, servorum incredibili multitudine immissa, polluta; vetusta occultaque Bonae Deae sacra violata esse. Loca autem religiosa, non a se, cujus aedes, a pontificibus religione liberatae, ex auctoritate senatus publica pecunia aedificarentur, sed a L. Pisone, a Sex. Serrano, ab ipso denique Clodio possideri. Dissensioni porro, cujus mentionem fecerint haruspices, non ab alia Furia facem majorem atque horribiliorem admotam fuisse.*

Cicero tabulas Clodianarum legum avellit.

LXXXVI. Quum ita vetus inter hos odium vehementiore motu recruduisset, Ciceroque, absentiam inimici speculatus, tabulas Clodianarum legum, ex Capitolio sublatas, detulisset domum; nihil postea tam grave aut contumeliosum dictu factaque fuit, quod non alter in alterum conaretur. Sed in senatu, quum de tabulis detractis Clodius quereretur; Cicero tribunatum Clodii totum tolleret, quod contra auspicia esset adoptatus, tribunum plebis fuisse negans: exsurgens

Cap. LXXXIV. Dio. Cic. de Har. Resp. c. 5. Dio. Ascon. in Milon. Dio. Cap. LXXXV. Cic. de Har. Resp. Cap. LXXXVI. Dio. Plut. Cat. et Cic. Dio. Cic. pro Domo, c. 15.

gens Cato, *nihil a Clodio recte atque ordine in tribunatu gestum esse*, pronunciavit. *ceterum, si acta ejus rescindantur, etiam, quae ipse in Cyprico negotio egisset, rescindi, quum ex ejus tribuni lege missus in Cyprum esset, qui legibus tribunus esse non potuisset. Justum immo tribunum fuisse, qui exisset de patriciis lege curiata, priusquam tribunatum petisset adeptusque esset.* Ex ea caussa refrixit paullisper inter Catonem atque Ciceronem prior dilectio: non ad manifesta tamen odia, sed ut per aliquod tempus mutua consuetudo intermitteretur. U. c. 696. A. C. 56. *Unde et cum Catone dissensio.*

LXXXVII. His principum discordiis quum tota civitas et plebs involveretur, erat etiam alioquin exulcerato animo propter caritatem annonae, quae, licet cura Pompeji sustineretur, tamen ob sterilitatem agrorum et inopiam frugum nondum sane laxaverat. In caussa erat potissimum nummariae rei difficultas, quod factionibus potentium decretae nuper Caesari, Pisonique, et Gabinio maximae pecuniae aerarium exhauserunt.

LXXXVIII. Idcirco Nonis Aprilibus difficilior acriorque de tota re disceptatio fuit. et, quum, decreto ad frumentum coëmundum quadringenties, publica paupertas de variis rebus admonuisset, factum est senatusconsultum in sententiam Ciceronis, *ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Majis referretur*; qui revocari eum ad jus publicum gravissima oratione jusserat, *eo uno omnium certissimo vectigali subsidium belli, horreum legionum, solatium annonae contineri*, demonstrans. Eamdem caussam P. Rutilius Lupus tribunus plebis urgebat. qui priore jam anno, simul iniisset tribunatum, de agro Campano accurate in senatu egerat. *Senatusconsultum de agro Campano.*

LXXXIX. Nihil ea re moveri tunc adhuc Pompejus videbatur, jam suspecta habens incrementa Caesaris, et, ut infida est potentiae societas, suarum rerum anxius. Idcirco, quas ipse extulerat auxeratque Caesaris opes tanta securitate, ut in decernendis supplicationibus ampliorem ei honorem tribueret, quam ipse accepisset, eas, animadverso errore, citra suam invidiam minui vehementer cupiebat. Urebat hominem, *Pompejus anxius propter incrementa Caesaris.*

Cap. LXXXVI. Plut. Cap. LXXXVII. Cic. de Har. Resp. c. 24. Cic. ad Q. Fratr. 2, 5. Plut. Pomp. Dio. Cic. ad Q. Fratr. Dio. Cap. LXXXVIII. Cic. de Prov. Cons. c. 11. et in Pis. c. 16. Cic. ad Q. Fratr. Cic. ad Fam. 1, 9. Cic. de Leg. Agr. 2, 29. Cic. ad Q. Fratr. 2, 1. Cap. LXXXIX. Cic. ad Fam. Dio. Cic. de Prov. Cons. c. 11. Dio.

U. c. 696. A. C. 56. principi loco propemodum a juventute adsuetum, suam magnitudinem apud populum vilescere ipsa adsuetudine videndi: Caesarem, ut nova gratiora sunt veteribus, quum rebus gestis magnificum, tum ultra gestorum amplitudinem in admiratione et amore hominum esse: praeterea tantum ei in senatu quaesitum auctoritatis esse, ut per illum consequeretur, quae ne per populum quidem sine seditione adsequuturus putabatur. Nam et stipendium ei decretum erat ex aerario, et decem legati, quod non nisi confecta provincia solet: et ne lege Sempronia ei succederetur.

Clam ei adversatur. XC. Atque haec omnia, non quidem palam repugnante Pompejo, fiebant, sed tamen per cuniculos conante spem eludere Caesaris. cum consulibus enim egit, ne de rebus iis ex literis Caesaris referrent; utque successor ipsi, etiam ante tempus Vatinia lege comprehensum, mitteretur. Nec deerant inimici Caesari, satis potentes ad impediendum, si concordes fuissent. nunc invicem obtrectantes suspectantesque, pars praetermisit occasionem oppugnandi; ceteri pauci rem susceptam perficere nequiverunt.

Cum Crasso consilia jungit. XCI. Igitur Pompejus, unam retinendae potentiae rationem optimam ratus, si cum M. Crasso consilia conjunctiora haberet, hominem, eadem omnia agitantem animo, facile permovit: communiterque ambobus placuit, petendum consulatum, et obtinendas provincias esse, quo novis gerendis rebus refricarent in animis hominum veteris gloriae admirationem, iisdemque modis, quibus augeri Caesarem videbant, se suasque opes tuerentur.

Caesaris artes. XCII. Quum haec ita placuissent, reliquumque negotium esset, ut Caesari petitionem consulatus probarent, quod eo renitente nulla spes adipiscendi supererat; ipsi ad eum proficisci per quamlibet caussam statuerunt. Neque erat difficile, quum hoc instituto Caesar uteretur, ut, quoties per bella poterat, praeberet se adituris, in magno negotio habens, obligare semper annuos magistratus, neque pati alios pervenire ad honorem, quam qui suas rationes defensuri essent. quod ut obtineret, nullum largitionis aut officiorum ge-

---

Cap. LXXXIX. Cic. ad Fam. 1, 7. et de Prov. Cons. c. 11. Dio. Cap. XC. Cic. ad Fam. 1, 7. Dio. Cap. XCII. Plut. Crasso. Caes. passim. Sueton. Caes. capp. 23. et 26. Plut. Caes. et Pomp.

nus in quemquam praetermisit: neque vulgatius ea tempestate quidquam erat, quam in petendis magistratibus emi suffragia tribuum ea pecunia, quam pro candidatis suis Caesar pronunciandam curavisset. U. c. 696. A. C. 56.

XCIII. Ille igitur sub initium hiemis profectus in Illyricum fuerat, quod eas quoque nationes adire, et regiones cognoscere volebat, sicut ipse scribit: major tamen, quam tacet, itineris caussa fuit, cum suae factionis hominibus de republica colloquendi cupiditas, ut illam per suos conjuratos domi moderaretur; foris exercitus provinciasque manu obtineret. Sed ante omnes Pompejum Crassumque cupiebat, in eadem consilia, quae inter se illi conceperant, diversam ob utilitatem pronus. Namque L. Domitius palam minatus fuerat, *consulem se contra Caesarem effectuum, quod praetor nequivisset:* isque in annum sequentem erat petiturus. Igitur Caesar cum his egit, ut consulatum detrudendi Domitii caussa ambo peterent: eumque adepti sibi prorogarent imperium in aliud quinquennium.

XCIV. Prior ad eum Crassus Ravennam; inde Pompejus Lucam, mense Aprili profecturus in Africam, venit. Eodem et Q. Nepos, Hispaniam sortitus ex consulatu, et Ap. Claudius in Sardiniam ex praetura proficiscens, multique alii summi viri confluxerant: adeo quidem cupide, ut uno tempore senatores amplius ducenti, lictores centum et viginti apud Caesarem conspicerentur. Ab illo maxime conventu exstingui libertas urbis, vis senatus populique procumbere, omnisque unum in Caesarem, non jam inclinare, sed ruere potentia coepit. Idcirco neque Idibus Majis, uti praedictum fuerat, de agro Campano actum: neque omnino quidquam, quod Caesari adversum videretur. Atque ille, effectis, quae voluerat, confirmataque supra modum potentia, quum rebellasse quidam populi nunciarentur, ad componendos motus in Galliam rediit.

Concursus potentium ad Caesarem.

Et ab his prodita illi respublica.

XCV. Maritimae civitates missos a P. Crasso ad frumentum accipiendum equites Romanos retinuerant, per quos sperabant suos se obsides recuperare posse. Principes potentiae audaciaeque Veneti erant, ad oceanum

Caesar cum Venetis pugnat.

Cap. XCIII. Caes. 3, 7. Plut. Sueton. Caes. c. 24. Plut. Crasso, et Caes. et Pomp. et Cat. Cap. XCIV. Cic. ad Fam. 1, 9. Plut. Caes. etc. Appian. Civil. l. 2. Cic. ad Q. Fratr. 2, 3. Caes. l. 3. Cap. XCV. Dio. Oros. 6, 8. Flor. 3, 10.

U. c. 696. A. C. 56. colens populus. Cum his Osismii, Curiosolitae, Lexobii, Nannetes, et aliae nationes arma junxerant: a Menapiis etiam ad Rhenum colentibus, et ex opposita Venetis Britannia auxiliares manus parabantur.

Nec multum proficit. XCVI. Caesar, quum multa hostium oppida magno labore, modico operae pretio cepisset, commutandam sibi gerendi belli rationem, et classe confligendum judicavit. Etenim in promontoriis linguisque sita pleraque oppida erant, perangusto aditu, et, accedente aestu, quod bis accidit horarum duodecim spatio, impenetrabili. ne navibus quidem adiri tuto poterant, quas relabens aestus inter aspera et vadosa loca destituebat. Igitur, quoties summo militum conatu opera acta, et mare aggeribus exclusum erat, obsessi, desperato teneri locum posse, rem significabant suis. Illi, magno repente numero navium adhibito, quod facere sine periculo poterant, quia naves ad locorum patientiam erant aedificatae, homines omnes cum copiis atque armis in aliud oppidum deportabant: quo si admovere Caesar exercitum vellet, eaedem de integro difficultates omnes superandae erant.

Donec navali proelio vicit. XCVII. His gestis quum major pars aestatis praeterisset, tandem cum classe, quam Caesar in Ligeri fluvio aedificandam curaverat, D. Brutus adolescens advenit. Exiverunt contra circiter ducentae viginti hostium naves, proelioque commisso rebus omnibus inferiores Romani, praeterquam quod virtus militum et celeritas navium aderat, falces praeacutas longuriis adfixas adhibuerunt, et funes, quibus antennae ad malos destinatae erant, amputarunt. Id quum esset factum, et vela armamentaque Gallicarum navium, in quibus omnis spes fuerat, inutilia fierent, plurimae naves expugnatae: quod subita malacia et tranquillitas maris etiam fugae facultatem praeciderat. Hanc pugnam deditio gentis sequuta. Senatus omnis necatus: ceteri sub corona venditi sunt.

P. Crassi gesta in Aquitania. XCVIII. Per eadem tempora res ab legatis Caesaris pari fortuna in aliis Galliarum partibus gestae. P. Crassum cum duodecim legionariis cohortibus et magno numero equitatus in Aquitaniam miserat, ne ex his nationibus auxilia ad rebelles Gallos venirent. Is, pugna cum Sontiatibus victor, oppidum eorum totamque gentem in deditionem accepit. inde maximas A-

Cap. XCV. Caes.

quitanorum Cantabrorumque copias, quamvis militiae duces haberent peritissimos, qui sub Sertorio diu meruerant, ita cecidit, ut ex quinquaginta millium numero vix quarta pars superesset. Ea victoria pleramque Aquitaniam redegit ad Caesaris obsequium. paucae civitates tempore anni, quod hiems instabat, et quia erant ab hoste remotissimae, legatos obsidesque mittere neglexerunt. Ab alia parte Q. Titurius Sabinus, quem Caesar, tribus legionibus datis, in Unellos, Curiosolitas, Lexobiosque proficisci jusserat, ut illas gentes distineret, quum simulatione timoris eo adduxisset hostem, ut ad castra oppugnanda succederet, subita eruptione profligavit. civitates omnes statim se Titurio dediderunt. ea Gallorum erant ingenia, ut ad suscipienda bella prompti, ad toleranda molles impatientissimique mortalium essent. His ita gestis, quum etiam Morinorum Menapiorumque in silvas recedentium agmina Caesar insequutus, tempestatibus ulterius procedere vetaretur; exercitus in Aulercos, Lexobiosque, et reliquas civitates, quae nuper in armis fuerant, ad hibernandum deductus est.

U. c. 696.
A. C. 56.

EPITOME
LIBRI CENTESIMI QUINTI.

Quum C. Catonis tribuni plebis intercessionibus

M. Catonis tribuni plebis intercessionibus] Lego *C. Catonis* ex epistolis Ciceronis ad Lentulum [lib. 1. ad Famil.] Etenim Lentulo in re Alexandrina maxime adversatus est. Item ex lib. 22. Annalium Fenestèllae intelligitur, teste Nonio [voc. *Rumor.*] *Quod, ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam et Ptolemaeo simul, qui jam profectus ex urbe erat, et P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare secundo quidem populi rumore jam coepit.* SIG. Vide Dionem Cass. lib. 39. pag. 103. Cic. 2. ad Q. Fratr. ep. 6. ibique Manutium, et Pighium ad A. V. ıɔcxcvii. et seq. DUKER. Praeterquam hoc loco, *Cato* etiam memoratur mox verbis seqq. et Epit. praecedenti non longe a fine. In horum Catonum praenominibus variant scripti et editi. In epitome praecedenti omnes codd. legunt *M. Catoni.* Eamdem scripturam servant typis inpressi usque ad Sigonianam anni 1572. quae substituit *C. Catoni.* Id mox arripuerunt Parisini anno 1573. et post eos tantum non omnes recentiores; nisi quod nuper Crevierius priscam lectionem revocarit. Hoc loco *C.* vel *G. Catonis* est in Voss. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei. *M. Catonis* in Leid. Berg. Norv. et, excepta Campani altérum praeferente, editionibus omnibus ante Sigonium, qui *C. Catonis* legendum docuit. Ipsius vestigiis institerunt omnes recentiores, excepto Modio, qui iterum *Marci* praenomen ipsi tribuit. Mox verbis sequentibus *M. Cato* legunt omnes scripti, omnesque editiones usque ad Jac. Gronovium, cujus editio major dedit *C. Cato*, quum minor servarit *M. Cato.* Majorem sequuntur Hearnius, et ed. Londin. Jam vero, quae Epit. 104. referuntur, pertinent ad Catonem Uticensem, ut constat ex Plutarcho ej. vit. pag. 776. Ad eumdem pertinent, quae narrantur in periodo seq. ut patet ex eodem Plut. ibid. pag. 779. Catonem autem Uticensem *Marci* praenomen habuisse, omnes historici consentiunt. Ab illo Catone diversus est, cujus hic mentio fit: is enim tribunus plebis vocatur. Jam vero Cato Uticensis tribunatum plebis gessit anno V. ıɔcxci. Silano et Murena consulibus. Vide Plut. in ej. vit. p. 769. At Cato hic memoratus tribunus plebis fuit, quo tempore Uticensis praeturam petebat, sed repulsam passus, et Vatinius ei praelatus est. Vatinius autem praetor fuit A. V. ıɔcxcviii. Pompejo et Crasso utroque secundum consulibus. Et quidem ejus Catonis praenomen fuit *Cajus*, sive Γάϊος, teste Dion. Cass. 39, 103. Ejus aliquoties Cic. meminit lib. 1. ad Famil. et lib. 1. ac 2. ad Q. Fratr. Sed praesertim huc facit locus lib. 2. ad Q. Fratr. 6. *C. Cato concionatus est, comitia haberi non siturum, si sibi cum populo dies agendi essent exemti.* Ex his omnibus colligo, Epit. praec. legendum esse *M. Catoni*, hoc loco *C. Catonis*, et

comitia tollerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato in petitione praeturae, praelato Vatinio, repulsam tulit. idem, quum legem inpediret, qua provinciae consulibus in quinquennium, Pompejo Hispaniae, Crasso Syria et Parthicum bellum, Caesari Gallia

mox *M. Cato*. Ex omnibus itaque edd. solae Sigonii prima et tertia, eaque, quam nuper Crevierius nobis dedit, tribus his locis veram lectionem exhibuerunt, reliquae aliquo eorum locorum oberrarunt. Vox *intercessionibus* male exsulat a Leid.

In petitione praeturae, praelato Vatinio, repulsam tulit] Gud. *praelato L. Vatinio*. Scribe *praelato P. Vatinio*. J. FR. GRON. Vatinii praenomen *P.* non monito lectore, contra quam promiserat, recepit Clericus. Et quidem, id ei praenomen fuisse, constat; verum illud ignorant omnes codd. nostri. *in petitione a Vatinio repulsam tulit* legit Boend.

Qua provinciae consulares in quinquennium, Pompejo Hispaniae, etc.] Lege *consulibus*, pro *consulares*, ut Pompejum Crassumque consules iterum intelligamus. SIGON. Ita legunt etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Vide ad Epit. 58. Contra vox *provinciae* exsulat a Leid. quae etiam sine dispendio sensus abesse potest. At unum testem audire periculosum est. Tum *Hispania* Voss. et Berg. Male. Vide ad Epit. 96.

Caesari Gallia et Germania] De Germania nihil apud alios proditum inveni. Gessit quidem bellum adversus Germanos, et eos vicit, antequam Rhenum transiret, quod ipse lib. 4. B. Gall. narrat; sed ex eo, quod Plutarchus in vita illius [pag. 718.] e Tanusio Gemino, et in Cat. Utic. [p. 784.] scribit, Catonem, quum senatus supplicationes victoriae Caesaris caussa decrevisset, censuisse, eum, tamquam violatorem foederum, Germanis dedendum esse, quo etiam Sueton. Caes. c. 24. respexit, facile intelligi potest, ipsum causam hujus belli, ut plerorumque aliorum, quaesivisse. Dio quoque lib. 39. pag. 113. rem aliter, atque ipse, refert, nec perfidiam ac simulationem illam Germanorum, quam 4. B. G. 13. ambitioni et crudelitati suae praetexit, (nam, quadringenta millia hominum ab eo tum interfecta fuisse, scribit Plutarchus) memorat, sed satis aperte significat, Germanos ab eo per fraudem circumventos esse. Ipsi, speciosos titulos injustis bellis et turpibus actionibus praetendenti, non credendum est. Nam, hunc ei morem esse, recte monet Victorius 3. Var. Lect. 27. DUK. Quatuor haec vocabula exsulant a Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Verum eodem tempore, quo Pompejo et Crasso provinciae adsignabantur, Caesari imperium prorogatum fuisse constat ex Plut. in Crass. 552. in Pomp. 646. et in Caes. 718. Vide etiam Suet. Caes. 24. et Dion. Cass. 39, 106. Quod autem Galliae jungatur Germania, de eo vide ad h. loc. Clariss. Dukerum.

In vincula ductus est] *conjectus est* Leid. Epit. 48. *Ab tribunis plebis* etc. *in carcerem conjecti sunt*. Altera tamen lectio, pro qua stant reliqui codd.

et Germania dabantur, a C. Trebonio tribuno plebis, legis auctore, in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemaeum reduxit in regnum Aegypti, ejecto Archelao, quem sibi regem adsciverant. Caesar, victis Germanis in Gallia caesisque, Rhenum tran-

auctori itidem in usu fuit. Supra Epit. 38. *Quum in vincula et carcerem duceretur.* Epit. 55. *Consules in carcerem duci jusserunt.*

In regnum reduxit Aegypti] Vet. lib. *reduxit in regnum Aegypti.* SIGON. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp.

Rejecto Archelao] Vet. lib. *ejecto Archelao.* SIGON. Immo cum Berenice filia, quae ei nupserat, occiso. Vide Dion. lib. 39, 117. et Strab. 17, 796. DUK. *rejecto* servant Voss. Boend. et Norv. *ejecto* Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithoei. *abjecto* Leid. Mox *regem adasciverant* Exc. Pithoei.

Victis Germanis et in Gallia caesis] Copulativam ignorat Vossianus. Gud. *victis Germanis in Gallia caesisque.* J. FR. GRON Vulgatum servant Leid. et Berg. Copulativa abest a Lov. 2. *victis Germanis, et caesis in Gallia* Boend. quam lectionem, vel Gudianam Gronovii, quae etiam Crevierio placuit, vulgata veriorem puto. Mox *Rhenum transivit* Berg. Vide ad Epit. praeced. Ita *transcendere fossam* dixit Liv. 25, 14.

Proximam partem Germaniae domuit] Vet. lib. *et proximam.* SIG. Pariter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Sed copulam ignorant Voss. Boend. et Norv.

In Britanniam, parum prospere tempestatibus adversis, trajecit, iterumque parum felicius] Lege ex vet. lib. *in Britanniam primum parum prospere* etc. *trajecit, iterum parum felicius.* SIG. Dele τὸ *parum* [posteriori loco,] ex superiori versiculo inculcatum. Florus [3, 10.] *Ipso quoque oceano tranquillo magis et propitio.* J. FR. GRON. *primum parum prospere,* ut Sigonius in vet. lib. invenit, et in contextum recepit, etiam in Exc. Pithoei esse, Hearnius monuit. Gruterus deinde *primo parum prospere* edidit, quod servant Leid. Voss. Berg. et Boend. idque voluisse videtur scriba Lov. 2. qui tamen aberrans *quo,* pro *primo,* dedit. Dein *tempestatibus abortis* Boend. qui scribere voluisse videtur *obortis.* Solent enim ita peccare librarii. Vide ad 2, 37, 9. *obortis* etiam praefert ed. Camp. Sed nihil muto. Livius 34, 6, 6. *In navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sunt.* Cic. 2. de Invent. 31. *Nautae quidam quum adversa tempestate in alto jactarentur.* Oros. 6, 9. *Adversa tempestate correptus plurimam classis partem disperdidit.* Insuper *iterumque parum felicius* Leid. et Norv. *itemque parum felicius* Voss. *iterum parum felicius* Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei. Sed, vocem *parum* ex verbis proxime praecedentibus perperam repetitam esse, Gronovio adsentior; eamdem tamen cum Clerico ex contextu ejicere non audeo. Paullo ante *ac demum de*

scendit, et proximam partem Germaniae domuit: ac deinde oceano in Britanniam, primo parum prospere tempestatibus adversis, trajecit; iterum parum felicius: magnaque multitudine hostium caesa, aliquam partem insulae in potestatem redegit.

oceano Voss. Sed librarius duplicem lectionem *demum* et *deinde* invenisse, et utramque hoc modo exprimere voluisse, videtur. V. ad 3, 44, 4. Voces autem has in Mstis confundi, dictum est ad 40, 22, 1.

Maximaque hominum multitudine caesa] Voss. et Gudiani *magnaque multitudine hostium caesa*. J. FR. GRON. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Passim in his Epitomis *maximum* substitutum esse ab editoribus, ubi vulgo codd. *magnum* praeferunt, notavimus ad Epit. 50. Commutari etiam saepissime voces *hostes* et *homines*, vidimus ad Livii 24, 40, 14.

Reliquam partem insulae in potestatem redegit] Vet. lib. *aliquam partem*. Egregie. Nam scribit in Agricola Tacitus [c. 13.] Caesarem, qui primum in Britanniam legiones Romanas duxit, prospera pugna terruisse incolas, et litoris tantum potitum esse. SIGONIUS. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXX.

IN LOCUM LIBRI CV. T. LIVII.

U. c. 696. A. C. 56. *Urbana certamina recrudescunt.*

I. Bellorum ea conditio quum esset, ut tamen interdum post gravia et atrocia damna pace aut induciis interquiescerent, aut saltem hieme remitterentur; in urbe, non conditionibus, non tempore leniente iras, sine intermissione certabatur. Nova et ingens contentio ex eo surrexerat, quod Cn. Pompejus, M. Crassus, quos ullius bonae rei caussa cum Caesare fuisse nemo credebat, consulatum petituri dicebantur: quae res haud dubie ad opprimendam libertatem pertinebat. Et occultabant illi consilium suum, quia in eo negotio, quod quum re insolens, tum tempore alienum erat, (non enim erant legitimis diebus professi) metuebant, ne validius oppugnarentur.

Pompeji et Crassi dolus,

II. Nam Cn. Lentulus Marcellinus egregium praestabat consulem: et, quia ille comitia erat habiturus, nec alioquin imbecillis erat, haud immerito timebatur. Jam M. Cato per adfinitatem consulis L. Philippi, cujus filiam Marciam duxerat, auctoritatem prope consularem obtinebat. Idcirco, parum confisi viribus, hoc agebant, ut dolo rem obtinerent. id adeo putabant processurum, si toto illo anno comitia impedirentur. sic enim necessario decurrebatur ad interregnum, ipsisque spatium dabatur, quo petere secundum leges et consequi magistratum possent.

Per C. Catonem comitia impediendum.

III. Idoneus audacia et adversus senatum odio C. Cato tribunus plebis ad hoc ministerium videbatur, quem multa de Caesare ferre parantem consul aliique principes impediebant. Facile hic transductus in par-

---

Cap. I. Plut. Crasso et Caes. et Pomp. et Cat. Vell. 2, 46. Dio, l. 39. Cap. II. Cic. ad Q. Fratr. 2, 6. Dio. Plut. Cat. Dio. Cap. III. Cic.

tes palam concionabatur, comitia haberi non siturum, si sibi cum populo agendi exempti dies essent. Propter haec et ex his orta certamina quum senatus vestem mutasset, neque tamen Cato quidquam remitteret, Marcellinus consul luculentam ad populum orationem de praesentibus habuit, reipublicae deplorans statum, quae non ab aliis, quam per quos defendi eam verum esset, acrius premeretur. Moesti adstabant Patres, positisque dignitatis insignibus illacrimantes atque gementes, haud minorem tacendo commiserationem hominum, quam dicendo consul, excitabant. Neque ulli tum contradicendi animus aut fiducia fuit: tam et graves querelarum caussas habere consulem, et concionem faventem, apparebat. Quippe quum nimiam Cn. Pompeji potentiam accusaret, universus ei populus clara voce adsensus est. Atque ille, *Acclamate*, inquit, *Quirites*, *acclamate*, *dum licet: mox enim impune facere non licebit.*

U. c. 696. A. C. 56.

Nimia Pompeji potentia.

IV. His actis, quum reversi in curiam essent, P. Clodius, servato vestitu in concionem populi progressus, consulem et ceteros acerrime insectatus est: cum Pompejo gratiam redintegrans, cujus auxilio legationem liberam, quam captabat, se credebat adsequi posse. Quum eam rem permoleste senatus ferret, abrupto sermone perrexit in curiam Clodius, ut ibi quoque adversariis conviciaretur. Sed, repulsus a quibusdam senatoribus, cinctus ab equitum globo, perisset inter manus, nisi plebs appellata cum facibus accurrisset, incendium curiae minitans, si quid acerbius Clodio accidisset. Ea vis et tum servavit Clodium, et senatum ad ceterum certamen effecit molliorem. Pompejo postea non difficile fuit venire in curiam, et decernentibus, quae nollet ipse, resistere.

V. Unica spes Marcellino suberat, quod semper vultum ac sermonem ad modestiam componere Pompejus studuerat, fronte, quam mente, verecundior, futurum, ut interrogatus publice, *verene consulatum petere constituisset*, non auderet confiteri. Sed ille in senatu, consule et L. Domitio candidato interrogantibus, *fortassis petiturum* respondit, *fortassis destiturum a petitione*, et, instantibus illis, adjecit, *bonorum civium caussa non*

Et dissimulata ambitio.

Cap. III. Liv. Epit. Dio. Val. Max. 6, 2. Cap. IV. Dio. Cic. ad Q. Fratr. 2, 9. Dio. Cap. V. Cic. ad Att. 4, 9. et 15. Plut. Crasso, et Pomp. Dio.

U. c. 696. A. C. 56. *esse, cur petat; esse, quo resistat malis.* Simul interrogatus Crassus fuerat. ille *se facturum* dixit, *quod ex usu reipublicae fuisset visum.*

Certamina cum Marcellino consule.

VI. Crassi responsum moderatius, Pompeji superbum et incivile quum existimaretur; Marcellinus invectus suo more in Pompejum est, per haec tempora eum et in curia, et ad populum aspere tractare suetus. Respondit Pompejus, *malam sibi a Marcellino referri gratiam, qui suo beneficio factus ex elinguis facundus esset; et, antea jejunus ac famelicus, nunc quotidie vomeret.* At Marcellinus, hoc velut ultimo conatu edito, in posterum abstinuit curia, majorque cum eo pars Patrum: adeo ut numquam ad numerum reliqua ejus anni parte convenirent. ceteri neque vestem senatoriam resumere volebant, neque ullis adesse sollennibus. itaque nec in Albanum montem iverunt, quum feriae Latinae instaurarentur. sic absumpto, quod reliquum ex eo anno fuerat, quum, circumacto consulum imperio, interreges creari coepissent, Pompejus cum Crasso consulatum aperte petere decrevit.

Pompejus et Crassus consulatum petunt.

VII. Hos praeter propriam potentiam amici Caesaris adjuvabant, ad quos ille scripserat: sed et milites plurimos cum P. Crasso M. F. per caussam commeatuum in urbem idem Caesar miserat. His rebus deterriti ceteri candidati mature cesserunt. L. Domitium, sororis suae maritum, M. Cato confirmavit, *ne susceptam de libertate veritus, quam consulatu, contentionem metu defugeret.* Neque deerat multorum favor, *quid ita Pompejus Crassusque iterum, quid una peterent,* mirantium: *neminem igitur praeterea dignum eo magistratu in civitate esse, qui cum alterutro horum declarari possit?* Igitur adversaria factio, quum timeret inclinationem plebis, ad vim conversa, Domitio, ante lucem in campum eunti, posuit insidias: puerque praelucens ei cum quibusdam aliis occisus est. Retinebat tamen Domitium Cato, ipse quoque vulnere in dextrum cubitum accepto saucius. sed, quum omne illorum agmen diffugisset, timens Domitius aegre domum rediit: Pompejus Crassusque, repugnante jam nemine, facti.

L. Piso male praeest Macedoniae.

VIII. Inter haec L. Piso Macedoniam, A. Gabinius Syriam cum finitimis provinciis, adversa uterque fa-

Cap. V. Plut. Cap. VI. Cic. ad Q. Fratr. 2, 6. Plut. Pomp. Dio. Cicer. Dio. Cap. VII. Plut. Pomp. et Craff. et Cat. Dio. Appian. Dio. Plut. Cap. VIII. Cic. pro Sext. et de Prov. Cons. et in Pis.

ma, tenuerant. Piso per avaritiam accolis Macedoniae Thracibus àc Dardanis pacem magna summa vendiderat. Eá ipsa res in bellum egit barbaros, ut replerent bellica praeda domos, quas pretio quietis exhauserant. Igitur non vexata solum et spoliata Macedonia est, sed etiam exercitus Romanus, vi hostium, aut imperatoris injuria, fame, morbo consumptus. U. c. 696. A. C. 56.

IX. Thessalia et Achaja, sicut ab hoste longius aberant, cladibus intactae, pacis injurias sentiebant, magnam vim pecuniae Pisoni pendere coactae. Gravius adhuc Byzantini vexabantur, quos ob merita Mithridatici belli senatus populusque Romanus nuper liberaverat. Missae tamen eo cohortes in hiberna sunt, contra leges senatusque consulta exercita jurisdictio: avaritia, vis, ac libido foedissime grassata. Nam et statuae urbisque ornamenta multa abrepta sunt; et caedes factae: et virgines nobilissimae, quum ad stuprum raperentur, in puteos abjectis corporibus voluntaria morte interierunt. Neque mitius Agriani Dolopesque et Aetolia vexata. *Thessaliam et alios graviter vexat.*

X. In Syria Gabinius adversis rebus nocebat reipublicae; prosperis consulebat sibi. primo adventu parte equitatus, deinde cohortibus aliquot amissis, quum reliqua felicius procederent, bella non ex necessitate aut bono publico sumebat, sed inferebat quibuslibet etiam pacatissimis, quorum opes spem opimae praedae rapacissimo eidem profusissimoque mortalium facerent. *Gabinii gesta.*

XI. In Judaeos tamen, cum Alexandro Aristobuli filio rebellantes, expeditione suscepta, non instrenuum imperatorem egit. quum enim Alexander, exercitu collecto, muros Hierosolymitanos, eversos a Pompejo, instaurare coepisset, deinde ab hoc instituto repulsus Machaeruntem et alia quaedam castella communiret, Gabinius, praemisso M. Antonio, quem equitatui praefecerat, cum legionibus subsequutus, haud procul Hierosolymis signa cum Judaeis contulit. Ibi quum tria millia interfecta hostium, capta totidem essent; reliqui cum duce suo Alexandrium confugerunt, castris ante ipsa munimenta positis. In hos, quia veniam delictorum oblatam a Gabinio aspernabantur, iterum *Et de Judaeis victoria.*

Cap. X. Cic. de Prov. Cons. c. 4. et pro Sext. c. 33. c. 43.
Cap. XI. Joseph. Antiq. 14, 10. et de B. Jud. 1, 6. Plut. Anton. c. 3. Joseph.

U. c. 696. A. C. 56. factus impetus, et, plerisque caesis, ceteri intra muros compulsi sunt. Hoc proelio M. Antonii virtus clara exstitit, multique hostium ipsius manu interfecti. Nec diu postea restitit Alexander. quo in deditionem accepto, Gabinius castella, quae nominavimus, et praeterea Hyrcanium, ne res novantibus receptui essent, diruit: contra dirutas olim urbes restituit multas, Scythopolin, Samariam, Anthedonem, Azotum, Raphiam, Dora, Marissam, Appolloniam, Jamniam, Gamala, Gazam, et alias praeterea non paucas. Judaeam deinde ita composuit, ut reducto Hierosolymam Hyrcano sacerdotium redderet; gentem optimates regerent, quinque conventibus institutis.

Ob quam tamen denegata Romae supplicatio.

XII. Ob has res quum missis in urbem literis supplicationem petisset, Idibus Majis frequenti senatu denegata est: quod praeter T. Albuciam acciderat nemini. Eam Gabinius ignominiam Ciceronis inimici opera putaretur accepisse, nisi per absentiam Ciceronis id esset actum. Publicanorum potentissima factio plurimum ei nocuisse videtur, cui se in provincia perquam iniquum adversumque exhibuerat.

U. c. 697. A. C. 55. Cn. Pompejo II. M. Licinio II. coss.

Pompejus et Crassus comitia in potestate habent.

Catonem, ne fiat praetor, impediunt.

XIII. Quum deinde Cn. Pompejus Cn. F. Sex. N. Magnus, M. Licinius P. F. M. N. Crassus altero collegio consulatum inissent, ante omnia ceterorum magistratuum comitia curae habuerunt: intentis in hoc animis, ne quisquam, nisi qui de factione illorum esset, crearetur. Praecipue referre arbitrabantur, Catonem repelli, qui providus futuri praeturam petebat, ut auctoritatem magistratus velut arcem defendendae libertatis obtineret. Igitur multa praeter morem et honestum commenti sunt, quo tam gravem futurum adversarium amolirentur. Jam primum per infrequentiam senatusconsultum faciendum curaverunt, *ut praetores, qui creati essent, extemplo inirent:* quamquam sententiae dictae erant, *praetores ita creari placere, ut dies sexaginta privati essent.* Quum ita providissent, ne ambitus judicio esset ante magistratum initum locus, amicos suos clientesque commendarunt populo tam inverecunde, ut ipsi palam praeberent pecunias, ipsi praeessent suffragiis.

Cap. XII. Cic. ad Q. Fratr. 2, 8. Cic. de Prov. Cons. c. 7. Cic. ad Q. Fratr. Cap. XIII. Cic. de Prov. Cons. c. 5. Dio. Plut. Cat. Cic. ad Q. Fratr. 2, 9. Plut.

XIV. Ne sic quidem plus largitio et fraus consulum, quam virtus atque existimatio Catonis, potuit; fiebatque haud dubie praetor, ni Pompejus, ceteras tribus auctoritatem praerogativae sequuturas metuens, turpi mendacio comitia dissolvisset, tamquam audito tonitru obnuncians; nec enim Jove tonante cum populo agi licebat. Iterum deinde mercedem augentes, atque saniore populi parte vi pulsa, quum Cato, ut erat legum servantissimus, suarum partium studiosos vim vi opponere vetaret, effectum est, ut pro Catone P. Vatinius renunciaretur, quamquam nuper repulsam in petitione aedilitatis tulerat. U. c. 697. A. C. 55. *Turpibus artibus.*

XV. Hoc ubi factum est, ferunt partem populi, talium suffragiorum sibi consciam, fugae simili discessu disparuisse: ad ceteros, dante concionem tribuno, (sive C. Atejus Capito, sive P. Aquillius Gallus fuit: ceteri enim consulum erant adseclae) verba fecisse Catonem, non praesentia modo, uti se haberent, clare docentem, sed etiam vaticinantem de futuris: Pompejo Crassoque haud leviter perstrictis; *qui rempublicam et consulatum ita gerere constituissent, ut timendus ei praetor Cato fuerit.* Domum inde digredientem major hominum multitudo deduxit, quam eos simul omnes, qui erant praetores declarati. Aedilium mox comitia turbulentiora fuerunt. caedes ibi facta, tamque propinquus periculo Pompejus fuit, ut vestis ejus multo sanguine respergeretur. Is adspectus, quum, remissa domum veste, alia postularetur, Juliam Pompeji conjugem tum praegnantem ita perterruit, ut, abortu facto, gravem in morbum incideret. Valde enim amabat virum, isque ei in amore respondebat. Unde mox criminati sunt inimici, *provinciam obtinere per legatos, ipsum sedere ad urbem, ut fomenta praeberet seditionibus, et Juliae suae deliciis homo uxorius frueretur.* *Catonis in hos oratio.*

XVI. Comitiis magistratuum, uti voluerant consules, perfectis, ipsi, nullius rei cupiditatem praeferentes, in speciem quiescebant. At C. Trebonius tribunus plebis suum nomen rogationi commodabat, qua consulibus provincia in quinquennium Syria et Hispa- *Consules per Trebonium provincias ambiunt.*

Cap. XIV. Plut. Pomp. et Cat. Dio. Liv. Epit. Val. Max. 7, 5. Cap. XV. Cic. in Vatin. 15. et 16. Plut. Dio. Plut. Dio. Appian. Civil. l. 2. Val. Max. 4, 6. Plut. Pomp. Plut. Craff. c. 28. Dio. Plut. Cat. Vell. 2, 48. Plut. Pomp. Cap. XVI. Dio. Liv. Epit. Vell. 2, 46. Appian.

U. c. 697. A. C. 55. nia (nam et Hispaniam Aquitanici belli vicinia commoverat) destinabantur: adjiciebant, uti copias civium sociorumque conscriberent, quantas e republica et fide sua ducerent: belli etiam et pacis arbitrium cum finitimis regibus atque nationibus penes ipsos esset.

Amicis Caesaris consentientibus.

XVII. Haec ab initio non aliis modo, sed etiam amicis Caesaris, parum placebant, quod jam pleraque pars temporis, quo imperium ejus finiebatur, transierat, ne a Pompejo Crassoque, tantam potentiam adeptis, opprimeretur: donec hi nova pactione, de prorogando Caesari imperio ferendum curaturos, adstrinxerunt fidem. Ita quiescentibus Caesarianis, reliquo populo obnoxio aut desperante, nemo magnopere Treboniae legi, praeter Catonem atque Favonium, repugnabat, duobus tribunis plebis hos adjuvantibus.

Sed Cato repugnat.

XVIII. Sed adversus tantarum factionum opes parum roboris in tam paucis erat: legemque dissuadere volentibus ne tempus quidem idoneum concessum est. Unicam horam Favonio dederat Trebonius, vix ad querendum de temporis angustia sufficiens spatium. duas Cato quum accepisset, frustra de negotio dicturum intelligens, multa monendo praedicendoque tempus eximebat: donec interpellatus, et, quia nihilo secius pergebat dicere, de rostris detractus est. Quum sic etiam ex inferiore loco vociferanti populus auscultaret, iterum missus a tribuno viator foro eum eduxit. Nec quievit ille, quo minus statim reverteretur, et populum ad praestandam sibi secundum mores et leges audientiam inclamaret.

Et in carcerem abduci jubetur.

XIX. Id quum saepius esset factum, aestuans dolore et cura Trebonius abduci eum in carcerem jussit. Sed populus sequebatur, auresque praebebat inter eundum de legis incommodis disserenti. Unde metus incessit Trebonium, missumque fieri Catonem jussit. Sic ea dies exempta est, ut nemini tribunorum verba ad populum facere vacaret. Obtinebat enim, ut de legibus privati primum, qui vellent, deinde magistratus dicerent; ne, si priores hi essent auditi, auctoritatem horum privati sequerentur.

Lex per vim perfertur.

XX. Idcirco P. Gallus, ne postridie foro excluderetur, in curia pernoctare statuit, tutissimum hunc receptum

Cap. XVI. Plut. Pomp. et Caes. etc. Dio. Cap. XVII. Plut. Cat. Dio. Cap. XVIII. Plut. et Dio.

ceptum ratus et commodissimum una cum luce in concionem proditurus. Sed C. Trebonius, omnibus occlusis curiae januis, praesidioque armatorum opposito, totam ibi noctem et sequentis diei partem magnam otiosum consumere coëgit: Atejum cum Catone et Favonio et horum amicis alia multitudo, praeoccupato de multa nocte loco, concione prohibuerunt. Illi tamen omnia conati Favonius et Ninnius, clam reperto aditu, Cato et Atejus, aliorum humeris sublati, obnunciaverunt. Ceterum vis adversariorum validior fuit. submotis his a foro pulsatisque, atque etiam interfectis aliorum haud paucis, quum etiam L. Annali senatori Crassus ipse faciem pugno contudisset, per vim perlata lex est. U. c. 697. A. C. 55.

XXI. Ecce autem, populo jam incipiente dilabi, recurrit in forum Atejus, collegam Gallum manu ducens, qui e curia in concionem venerat, ibique fuerat vulneratus. Id ostendens multitudini Atejus, reique convenientem orationem orsus magnopere plebem commovebat; quum, re nunciata, consules, nec enim procul inde magna stipati manu aberant, repulerunt tribunos; vocataque statim concione, etiam de provinciis Caesaris in quinquennium ei prorogandis pertulerunt legem. Ibi quoque repugnatum est ab iisdem: et Cato non jam ad populum, sed ad Pompejum, sermone converso, *ipsum non intelligere, quae faceret*, testabatur. *nunc enim non in ceterorum magis capita, quam suos ipsius humeros, Caesarem attollere: cum eo deiuceps onere, quum mox gravius ipsius culpa esset factum, quam ut ferendo amoliendove esse possit, in rempublicam procubiturum. Tum demum, ubi praeter poenitentiam nihil sit futurum reliqui, Catonis cogniturum consilia: qui non minus tuta et salubria, quam justa et honesta, suasisset.* *Atque etiam alia de provinciis Caesaris prorogandis.*

XXII. Atque id vaticinium paullo post comprobavit eventus. Tum vero Pompejus, inflatus magnitudine sua, neque commutationem fortunae timens, cum Crasso provincias, tamquam oppressae captaeque reipublicae spolia, dividebat. Sortem adhiberi placuerat: ea Syriam Crasso, Africam omnem et Hispanias cum legionibus quatuor Pompejo dedit. *Consules provincias sortiuntur.*

XXIII. His ita confectis, ad emendandos civitatis mores egregii auctores se contulerunt. Nihil erat ci- *Legem judiciariam ferunt.*

Cap. XX. Plut. Crasso sub finem. Dio. Cap. XXI. Appian. Vell. Plut. Cat. Cap. XXII. Plut. Pomp. et Crasso. Appian. Dio. Cap. XXIII. Dio, p. 611.

U. c. 697. A. C. 55.

vitatis judiciis corruptius, nihilque frequentius, quam ut atrocissimorum criminum manifesti per gratiam aut pecuniam absolverentur. Praecipue erat invidiosum, quod, accepta a Ptolemaeo rege pecunia, multi occidendos curaverant legatos Alexandrinos, aut eos, qui eo crimine postulati frequenter fuerant, sibi timentes eripiebant. Etiam P. Ascitius, qui conscius et adjutor occidendi Dionis fuisse credebatur, judicio erat liberatus. Aurelia lege cautum erat, *ut ex tribus ordinibus judices legerentur*: id mutari non placuit: modus legendorum immutatus, latumque, *ut amplissimo ex censu lecti e centuriis judicarent trecenti sexaginta viri.* Paupertatem plerisque fuisse ad accipienda munera praetextum videbant: sed nec fallebat eos, non fore innocentiores, qui per scelera ad divitias pervenissent. Sed in ea morum foeditate nihil aliud fieri poterat, ipsique auctores legis tales erant, ut severis incorruptisque judicibus sibi nihil opus esse existimarent. Nec enim crimina aut accusatores vel Magno Pompejo deerant, si judicia rite et libere exercerentur.

Crimina Pompejo objecta.

XXIV. Neque dissimulatum hoc a Cn. Pisone, qui, Manilium Crispum accusans, quum evidenter reum a Pompejo videret eripi, juvenili temeritate multa crimina praepotenti defensori objecit. Ad haec quum Pompejus dixisset, *Cur igitur me quoque non accusas?* respondit: *Da praedes reipublicae, te, si postulatus fueris, civile bellum non excitaturum: etiam de tuo prius, quam de Manilii, capite in consilium judices mittam.* Laudanda tamen est in his Pompeji moderatio, qui etiam infimorum hominum convicia civiliter tulit, in quibus et Helvium Manciam Formianum, libertini filium, importunissimum senem, et a juventute magnorum virorum inimicitias rabiosa dicacitate provocare solitum.

Leges ab eo latae.

XXV. Talis Pompejus tum erat, quum legibus constitueret civitatem: ex quibus, quae de parricidiis fuit, hodie quoque vim aliquam obtinet; ceterae exoleverunt. Nam et de ambitu tulerat, aucta largitionum poena, quas nemo fecerat impudentius. Sumptuaria quum esset promulgata, celeriter concidit, Hortensio speciosis nominibus tuente luxum, consulesque ipsos laudante, *quod, cultu sumptuque magnifici et lauti,*

Cap. XXIII. Cic. pro Coel. c. 10. Ascon. in Pis. Vell. 2, 76. Plut. Pomp. Dio, p. 67. Cap. XXIV. Val. Max. 6, 2. 4. Val. Max. 6, 2. 4. 8. Cic. de Or. 2, 65. et 66. Quinctil. 6, 3. Cap. XXV. Pigh. Ann. Dio.

vitam convenientem majestati principis populi, suaeque ipsorum dignitati ac opibus degerent. U. c. 697. A. C. 55.

XXVI. Et pervaserat ea tempestate in omnes ferme intolerabilis luxus, multique civitatis principes mira sumptuum insania notabantur. Philippi, Hortensii, Luculli, decora et ornamenta senatus, luxu diffluebant: quos ob insanum in has ineptias studium *piscinarios* vocare Cicero solebat, *negligi prae his rempublicam*, arguens, *dum illi principes digito coelum putant attingere, si multi barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.* *Luxus Romanorum.*

XXVII. Eratque inveteratum hoc malum, et lege Cornelia sumptibus magis, quam luxui, detractum, permissis ciborum deliciis, et minore tantum rebus venalibus imposito pretio. Aemiliam deinde legem Lepidi consulis primo pravitas auctoris, postea calamitas enervavit: Antiam, a Restione perlatam, quum esset optima, solus servavit, qui tulerat, in ceteris rationem et metum vincente consuetudine. Igitur post haec experimenta morbum remedio validiorem esse prudentes judicabant: et, quum severam aliquis in senatu orationem habuisset, reprehensus ab alio est, *quod divitiis Crasso, luxuria Lucullo similis, tamquam Caso loqueretur.* Etiam consules, ne invidere aliis dicerentur, quod ipsi usurparant, omissa lege, plane diversis negotiis dederunt operam. *Frustra vetitus legibus sumptuariis.*

XXVIII. Jam ille temperantiae et frugalitatis magister theatrum suum absolverat, idque post hominum memoriam apparatissimis magnificentissimisque ludis volebat dedicari. Antiquitus stans populus spectare erat solitus: deinde scena gradusque subitarii, finito spectaculo tollendi, struebantur. Primus Pompejus mansuram theatri sedem posuit, admirabili opere, nisi quod admirabilius est, sumptum a Demetrio subministratum fuisse, liberto Pompeji; sed qui nimio illius favore factus fuerat patrono ditior. Theatro circumjecta haud minoris impensae alia aedificia erant: inter quae templum Veneris Victricis eminebat. Id adstruxisse creditur, ne severior aliquando censura opus suum tolleret, sicuti patrum memoria factum, aucto- *Theatrum Pompeji.*

Cap. XXVI. Plin. 9, 54. Cic. ad Att. 1, 19. et 2, 1. Cap. XXVII. Macrob. Sat. 2, 15. Plut. Lucull. c. 83. Cap. XXVIII. Dio. Cic. in Pis. c. 27. et ibi Ascon. Tac. 14. Ann. 20. Cassiod. Variar. 4, 51. Dio. Senec. de Tranq. Anim. c. 8. Plut. Pomp. c. 86.

U. c. 697. A. C. 55. re Nasica, noverat. Igitur et, ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum, nuncupavit, *cui subjecimus*, inquit, *gradus spectaculorum.*

XXIX. Ceterum id templum tertio demum ejus consulatu perfectum atque dedicatum est. maximum enim opus erat, et ad hoc toto, qua patebat, imperio ornamenta conquisita: inter quae memorantur effigies variarum gentium, itemque certorum hominum, qui mirabili aliqua fortuna ad famam pervenerunt, ob id magnorum artificum ingeniis diligentius elaboratae. *Spectacula et ludi.* Sed hoc tempore spectacula musica, ludique gymnici scenicique sunt editi, et Circenses, cum ejusmodi venationibus, ut spatio quinque dierum leones quingenti occiderentur.

Elephantorum pugna. XXX. Elephantorum extremus dies fuit, plus miserationis, quam delectationis, habens. Quippe pugnavere in circo duodeviginti, commissis more proelii noxiis hominibus, et praeterea jaculatoribus Gaetulis. Quum aliquot essent vulnerati, tentaverunt eruptionem universi, non sine metu populi: sed clathros ferreos, qui erant circumdati, non potuerunt perfringere. Tum vero, porrecta in coelum proboscide, tam miserabili habitu sonoque veluti complorationem ediderunt, ut dolore ardens populus consurgeret, Pompejoque dira omnia imprecaretur. Pervaserat opinio, proximum humanis sensibus animal poscere vindictam Deos ob violatum jusjurandum, quo decepti in Africa *Et ingenium.* naves conscendissent, non aliter facturi. *Esse profecto belluae illi cum humano genere societatem: eamque sermonem horum intelligere.*

XXXI. Sane ab his, quae veteres tradiderunt, non abhorrent testimonia plurimorum, qui, postquam Indiae Africaeque interiora penitius sunt cognita, maxima belluarum istarum armenta viderunt. Ceterum amoenissimi vir ingenii Justus Lipsius in Epistolis elephantorum admiranda diligenter suaviterque descripsit.

XXXII. At populus Romanus, non tam Pompeji munificentia delinitus, quam offensus delectu, quem consules instituerant agere, Catonem, et qui cum eo

---

Cap. XXVIII. Tertullian. de spectac. Cap. XXIX. A. Gell. 10, 1. Sueton. Ner. c. 46. Plin. 7, 3. Dio. Plut. Cic. ad Fam. 7, 1. Cap. XXX. Dio. Plut. Cic. Sen. de Brev. vit. c. 13. Plut. Plin. 8, 7. Dio. Plin. Dio. Cic. Cap. XXXII. Dio.

senserant, efferre laudibus; ceteros incusare modis pessimis coepit. Unde, resumpta fiducia, tribuni duo judicium minari amicis consulum, criminibus in ipsos consules expetituris. Tum consules ad invidiam tribunorum vestem mutarunt: idemque a parte senatus, quae consulum sectam sequebatur, factitatum. Cito tamen resumpta est: tam sine caussa, quam posita modo fuerat.

U. c. 697. A. C. 55.

Tribunorum et consulum contentiones.

XXXIII. Sed dispar consulibus sicut apparatus et consilium, sic etiam animus erat. Pompejus, qui ad urbem manere malebat, vel uxoris gratia, vel ut res Hispanas per legatos, urbanas praesens in potestate haberet, levius ferebat tribunorum voces, consules urbe egredi passuros negantium: atque ultro struebat morandi caussas, imposita rei frumentariae curatione obtentui sumpta. Crassus dies noctesque nil nisi Parthicum bellum, Bactrosque et Indos, et ultimi orientis opes effraeni cupiditate cogitabat. Nihil horum lege, quae de imperio consulum erat lata, diserte jussum fuerat: sed in omnem sententiam interpretari verba legum non erat his arduum, quibus facile fuerat curare, ut, qua ipsi conceptione verborum voluissent, leges rogarentur. Crassi amentiam Caesar, incertum quo consilio, augebat, propositum ejus dilaudans, et quidlibet pollicitus. Idcirco et ipse arma opposuit tribunorum actionibus, et, quum illi, adversus vim invalidi, ad invidiam et detestationes se contulissent, oravit collegam, ut, quo die paludatus profecturus erat, adesset, seque prosequeretur.

Crassus Parthicum bellum cupit.

XXXIV. Maxima erat in foro collecta turba mortalium, ita praeparatis animis, ut exeuntem Crassum convicio et jurgiis retinerent. Sed ubi Pompejum ante illum incedere composito vultu viderunt, ejus honori gratiaeque datum, ut cum silentio decederent de via. Unus Atejus, qui et vota in Capitolio nuncupanti obnunciaverat, manere jubebat, Deos hominesque testatus, *illam contra foederatos populos expeditionem lugubrem et ignominiosam populo Romano fore.* Quum nihilo secius videret pergere Crassum, viatore misso, duci eum in vincula jussit. ubi id quoque, tribunis aliis intercedentibus, irritum fuit, praecurrit ad portam, foculo-

Ab Atejo retinetur.

Cap. XXXIII. Plut. Pomp. et Crasso. Dio. Plut. Crasso. Appian. Parthic. Plut. Dio. Vell. 2, 4. Flor. 3, 11. Cap. XXXIV. Plut. Dio. et Plut.

U. c. 607. A. C. 55.

que ibi posito, vetustas et arcanas devotiones peregit: quarum numquam vanas fuisse imprecationes superstitiosa antiquitas credidit, sed devotis pariter devoventibusque calamitosas. Unde vulgo reprehendebatur Atejus, quod eum, cui propter rempublicam factus erat inimicus, diris in rempublicam casuris consecrasset.

Nec tamen manet.

XXXV. Crassus, Brundisium profectus, quum inde non exspectato cursu transmitteret, multas naves tempestatibus amisit: deditque diras metuentibus occasionem sermonem: *jam omen atque initium adesse calamitatis, quae devotum caput certa atque inevitabilis maneret.* Nam et fortuita in praesagium trahebantur: quod, imponente exercitum Crasso, quidam in portu, caricas Cauno advectas vendens, *Cauneas* proclamaverat: quasi disertis verbis monente Crassum sollicito numine, *caveret ire.*

Incitatus A. Gabinii insolentia.

XXXVI. Caussam festinandi haud postremam A. Gabinii praebuerat insolentia, qui legato Crassi tradere exercitum, quantumvis finito imperii tempore, spreverat. In biennium ille Syriam in consulatu, L. Piso collega Macedoniam lege Clodia acceperant: eratque in ordinandis provinciis decretum, ut successores utrique mitterentur. Et Piso quidem jam decesserat, redieratque in urbem: Gabinius ultra tempus retinebat imperium eadem improbitate, qua ultra praefinitum legibus modum exercuerat.

Qui interim Judaeos et Aristobulum vincit.

XXXVII. Erat tum latrociniis infesta Syria: sed plus a proconsule patiebatur injuriarum, qui non aliam ob caussam infestius videbatur praedones persequi, quam ne qua pars spoliorum ab aliis interciperetur. Elapsus e custodia, Romaque profugus Aristobulus, qui apud Judaeos regnaverat, cum Antigono filio redierat in Palaestinam, et, confluentibus ad eum, quibus praesentia parum placebant, Alexandrium, nuper a Romanis dirutum, instaurare coeperat. Gabinius, his auditis, partem equitatus Antonio praefecto misit, Sisenna et Servilio cum cohortibus subsequi jussis. Horum metu Aristobulus Machaeruntem versus instituit cedere, octo millium agmen trahens; quod

Cap. XXXV. Cic. de Divin. 2, 40. Plin. 15, 19. Cap. XXXVI. Dio. Cic. in Pis. et de Prov. Cons. Dio. Cap. XXXVII. Joseph. Antiq. 14, 11. et de B. Jud. 1, 6. Plut. Anton. c. 3. Joseph.

aliam inermium turbam, plus in ea impedimenti, quam auxilii, fore ratus, dimiserat. Sed Romani, priusquam ad castellum pervenire posset, adsequuti, manus conserere coactum verterunt in fugam. Quum ad millia quinque cecidissent, Aristobulus cum mille admodum viris, per objectam hostium aciem eruptione facta, Machaeruntem, reliqui in collem quemdam perfugerunt. castellum biduo expugnatum: Aristobulus cum filio captus ad Gabinium, et ab hoc Romam remissus est. Senatus Aristobulum in vincula dedit: filios dimisit, quia Gabinius ita cum matre eorum pepigisse scripserat, quum se, et quae tenebat, in fidem Romanam dederet. U. c. 697. A. C. 55.

XXXVIII. Judaeis ad hunc fere modum pacatis, expeditionem Gabinius in Arabas Nabataeos adornabat. Hi enim toto illo biennio, quo L. Marcius Philippus primum, deinde Cn. Lentulus Marcellinus, praetorio imperio rexerant Syriam, vicina incursantes, colorem P. Clodio praebuerant, ut consularem cum Macedonia provinciam Syriam faceret, et illam L. Pisoni, hanc A. Gabinio, praemium proditi Ciceronis, cum exercitu et pecunia daret. *Arabas Nabataeos aggressus,*

XXXIX. Forte per idem tempus Arsacidarum domus, discordiis atque parricidiis vexata, haud longo intervallo duo reges, Phraatem atque Mithridatem, amiserat. Phraates scelere filiorum interfectus erat: nec ipsis inter se plus pietatis et concordiae. Orodes, qui patri successerat, Mithridatem Media, quam ille tenebat, expulit. Mithridates, cum Orsane, nobilissimo Parthorum, ad Gabinium profectus, venalem ducem muneribus et pollicitationibus magnis induxit, ut, omissis Arabibus, in Parthos arma converteret. *Parthorum turbis revocatur.*

XL. Jam ad Euphratem Gabinius cum exercitu venerat, quum Ptolemaeus occurrit, literas a Pompejo adferens. Gabinius et literis movebatur, quod auctore Pompejo faceret, impune facturum sperans; et, quum Ptolemaeus talentorum decem millia promitteret, magnitudine mercedis. sed, quia provinciae finibus egredi, bellumque injussu populi gerere legibus vetabatur, magnaque adseveratione nuper ex Si- *Mox, his emissis, Ptolemaeum reducere parat.*

Cap. XXXVII. Dio. Plut. Joseph. Cap. XXXVIII. Appian. Parthic. et Syriac. Cic. passim in Orat. Cap. XXXIX. Dio. Appian. Parthic. et Syriac. Joseph. Appian. Cap. XL. Joseph. Dio. Plut. Anton. Cic. pro Rabir. Post. c. 8.

U. c. 697. A. C. 55.

byllinis libris erat decretum, *ne exercitus in Aegyptum duceretur*, trepidabat. Re in consilio proposita, quum plerique tutiora suaderent, M. Antonius auctor suscipiendae expeditionis fuit; juvenili audacia, et quod Ptolemaeo cupiebat gratificari. Gabinius igitur, negotio ita decreto, majoris praedae spem sequutus, quum et ipsi et militibus multa statim dilargiretur Aegyptius, plura promitteret; rebus Mithridatis insuperhabitis, in Aegyptum properavit, dum adhuc idoneo defensore regnum careret.

In Aegyptum properat.

XLI. Nam, occiso Cybiosacte, quum Alexandrini maritum reginae suae Philippum, Grypi et Tryphaenae filium, e Syria evocassent; deinde Archelaum, filium Archelai, sed qui se Mithridate ferebat genitum: Gabinius, quid ageretur, suspicatus, Philippum ire prohibuerat; Archelaum, expeditionis Parthicae comitem, in custodiam dederat. Sed ille paullo post elapsus, ignaro Gabinio, an dissimulante conscientiam, incertum: nisi quod hominis mores fidem adstruunt tradentibus, metu ne pauciora Ptolemaeus daret, si citra negotium esset restitutus, simul acceptis ab Archelao magnis muneribus, Gabinium sponte passum, ut in Aegyptum ille perveniret.

Per M. Antonium Pelusium capit.

XLII. Archelao dimisso, Gabinius, quum Judaeis pecunias armaque et frumentum imperasset, per eorum regionem ad Pelusium et Aegypti claustra processit. Magno illi tum usui Antipater fuisse traditur, Herodis pater, quum ad cetera pleraque strenuus administer, tum ad aperiendas itineris difficultates unicus. Quum enim haud minus viarum impedita, quam belli adversa, timerentur, (quippe per altum sabulum et sitientes arenas, sub quibus crebri serpentes occultabantur, Serbonitis circumeunda palus erat, *Typhonis* formidata nomine, cujus esse spiramenta dicebantur) Antipater Judaeos Aegyptiorum milites auctoritate sua permovit, ut aditus, quos custodiebant, seque ipsos traderent Romanis. Ita, nemine arma opponente, M. Antonius, qui praemissus cum equitatu fuerat, non modo occupavit angustias, sed etiam Pelusium, amplam urbem praesidioque munitam, re-

Cap. XL. Cic. in Pis. c. 21. et Dio. Plut. Appian. Dio. Cap. XLI. Supra, 104, 74. Porphyr. apud Euseb. p. 227. Strabo, l. 17. p. 796. et l. 12. p. 558. Porphyr. Dio. Strabo, l. 17. Dio. Cap. XLII. Joseph. Hegesipp. 1, 21. Joseph. Plut. Anton. Joseph. Dio. Plut.

cepit. Ea res saluti fuit Pelusiotis, quibus et Romani pepercerunt, et, quum saevire Ptolemaeus vellet, non est ab Antonio situs. U. c. 697. A. C. 55.

XLIII. At postquam Gabinius supervenit, rebus Pelusii constitutis, bipartito exercitu Alexandriam petentibus Aegyptii occurrerunt. Acriter aliquamdiu certatum est: mox, quia M. Antonius necopinato terga hostium invaserat, victoria penes Romanos fuit. Crebra deinde et magna certamina variis commissa locis: donec duobus magnis proeliis, quorum alterum in flumine classibus depugnatum est, Alexandrinorum temeritas comprimeretur. Erat enim id ei populo ingenium, ut, projectus ad audendum, seditionibus continuis ad vilitatem corporis et spernenda pericula exercitus, nihil non promptissime susciperet: idem mutabilis et laboris moraeque impatiens, ubi primus impetus deferbuisset, qualibet conditione redimebat tam contemptam antea pacem. Narrant, eductas ex urbe copias, quum vallo et fossa cingere castra juberentur, succlamasse universas, ut id opus pecunia publica locaretur. Igitur et Alexandriam Gabinius, et totum Aegypti regnum paucis mensibus cepit, quum magnam eorum hominum multitudinem cum Archelao rege occidisset. Corpus tamen Archelaï requisitum ab Antonio propter jus hospitii, et regio sumptu funeratum est. *Alexandrinos vincit.*

XLIV. Libet Alexandrinae temeritatis, cum foeda superstitione conjunctae, documentum, hoc tempore editum in re haud satis per se memorabili, exponere. Nondum erat certum, quo animo accepturus ista populus Romanus esset, nec ab senatu amicus adhuc appellatus Ptolemaeus erat; quum a Gabiniano milite forte felis occisa immensam populi turbam concivit. Nihil tum erat Ptolemaeo, atque ipsis etiam Alexandrinis, antiquius, quam ne quis Romanus offenderetur; et animal non voluntate militis, sed casu, interfectum esse constabat. attamen neque Romanorum terror, neque hospitii necessitudo, ne missi quidem a sollicito rege magistratus compescere populum potuerunt, quo minus a furentibus miser discerperetur. *Alexandrinorum temeraria superstitio.*

Cap. XLIII. Dio. Plut. Dio. Val. Max. 9, 1. 6. ext. Cic. in Pis. c. 21. Appian. Liv. Epit. Joseph. Dio. Cap. XLIV. Strabo, l. 12. p. 558. Plut. Diod. l. 1. p. 53.

U. c. 697. A. C. 55.

Ptolemaei, recuperato regno, saevitia.

XLV. Porro Ptolemaeus, recuperato regno, ante omnia filiam Berenicen, deinde splendidissimum quemque supplicio adfecit: multos per iram et odium, plerosque divitiarum caussa, quibus ad mercedem Gabinio praestandam indigebat. Interea Judaeus Alexander, recuperato per vim principatu, Romanis, quotquot adipisci potuerat, occisis, reliquos in monte Garizeno obsidebat. Nec obviam ire Sisenna poterat, cui admodum adolescenti Syriam pater Gabinius commiserat, nec usum rerum, nec auctoritatem rebus tantis parem habenti. Idcirco Gabinius, raptim ex Aegypto reductis copiis, Alexandrum, triginta millibus hominum stipatum, offendit; quamquam praemissus ad populares Antipater haud paucos a defectione retraxisset. Ad Itabyrium montem ingenti proelio concursum est: decem millia Judaeorum caesa.

Gabinius Judaeos et Arabas caedit.

XLVI. Gabinium, rebus Hierosolymitanis ex Antipatri voluntate constitutis, ne victoriam consummaret, Arabicum bellum avertit. Id quoque feliciter ab eo gestum est, fusis proelio Nabataeis; neque confectum: quod jam Crassus aderat, provinciam et exercitum a Gabinio accepturus. Cupiebat et Parthos exsules: sed illos, sive pecunia accepta, sive Crasso invidens, clam dimisit Gabinius, fuga subductos ementitus.

Querelae contra Gabinium.

XLVII. Restituto hunc ad modum Ptolemaeo, quum Romam rem fama pertulisset, quod Gabinius ad senatum scribere metuebat; indignatio dolorque civitatis in immensum exarsit. Spretae haud dubie religiones, neglectae leges, conculcata senatus, conculcata populi Romani auctoritas erat: eaque provinciae etiam et equitum Romanorum querelis adgravabantur. Syri spoliatos se a latronibus, spoliatos a proconsule; publicani jus sibi non dictum, pactiones rescissas, vectigales multos liberatos, iisque rebus rationes suas remque familiarem adflictam eversamque esse, quiritabantur. Gabinius enim, ut Judaeis atque Syris se venditaret, a quibus multas accipiebat pecunias, ita se durum publicanis praebuerat, ut, quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum aut publicani servum esse non pateretur. Inter fremitus plurimorum, judicia et poenas legum poscentium, Ciceronis

Cap. XLV. Dio. Strabo, l. 17. p. 796. Porphyr. apud Euseb. p. 226. Dio. Joseph. Dio. Joseph. Cap. XLVII. Dio. Cic. in Pis. c. 21. Dio. et Cic. de Prov. Cons. c. 5. Dio.

maxime tonitrua audiebantur. Is in rempublicam studio, adversus inimicum ira, quum nihil eorum, quae ad irritandos animos pertinebant, intactum omitteret, praecipue institit, *ut Sibyllini libri denuo inspicerentur, et ex iis carmen de regis Alexandrini restitutione rursum ederetur.* Adjunctum enim ibi sperabat aliquid de poena spretae religionis esse. Ceterum Pompejus Crassusque consules, alter auctor reducendi regis, Crassus accepta a Gabinio pecunia, (tum enim adhuc in urbe erat) nihil decerni sinebant. res in annum sequentem extracta. U. c. 697. A. C. 55.

XLVIII. Interea C. Caesar Usipetes Tencterosque, Rhenum transgressos, in Gallia vicit. Caussa illis transeundi fuit, quod, pluribus annis bello Suevorum exagitati, patrios fines ultra tueri non poterant. Igitur quum per varias Germaniae partes vagati, postremo ad Rhenum amnem pervenissent, qua Menapiorum gens utramque ripam aedificiis vicisque obtinebat, non sunt admissi a Menapiis; qui, retractis in Gallicam ripam suis omnibus, transitum amnis custodiebant. *Caesar Usipetes vincit.*

XLIX. Germani, simulato discessu, quod tridui spatio iter confecerant, una nocte cum equitibus remensi, quemadmodum speraverant, Menapios ad pristinas sedes reversos oppresserunt. Navibus deinde captivis transvecti, quum colentes in altera ripa inscii omnium essent, tota regione occupata, per reliquam hiemis partem ibi substiterunt. Mox, a quibusdam Galliae civitatibus clandestinis nunciis exciti, in fines Eburonum et Condrusorum, qui tum in clientela Trevirorum erant, processerunt. Caesar, postquam de his rebus certior factus est, timens, ne Gallos pro mutabilitate animorum haec occasio in rebellionem ageret, exercitu coacto, iter ad ea loca facere coepit. *Illorum strategema.*

L. In eo itinere legati Germanorum occurrerunt, neque deprecantes bellum, et amicitiam malle professi, modo daret agrum Caesar, aut tenere, quem occupassent, pateretur. addiderunt, *sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possent.* Caesar ad haec negavit, *pacem sibi cum his esse posse, donec sint in Gallia; si velint in fines Ubiorum conce-* *Legati ad Caesarem.*

Cap. XLVIII. Plut. Caes. Oros. 6, 8. Liv. Epit. Dio. Flor. 3, 10. Caes. de B. Gall. l. 4. Cap. L. Appian. apud Fulv. Ursin. Caes.

U. c. 697. A. C. 55.

dere, acturum se cum Ubiis, ut eos recipiant, eorumque opera contra aggressores Suevos utantur. Ipse cum exercitu progreditur. Quum jam haud amplius passuum duodecim millia inter utrosque interessent, legati reverterunt. Horum oratio eo pertinebat, *ut triduí sibi spatium daretur, intra quod tempus de voluntate Ubiorum cognoscerent. Ubiis annuentibus, oblata a Caesare conditione usuros.*

De Caesaris fide disquiritur.

LI. Quae deinde sequuntur, sic habent ambiguam aestimationem culpae, ut perfidiam potius Caesaris, quam Germanorum, fuisse sit verosimilius. Nam, sicut ipse fatetur, responsum dedit legatis, *se non amplius millia quatuor eo die processurum. petere, ut postridie adsint quam frequentissimi, quo de postulatis eorum cognosceret: missurum ad praefectos, qui cum equitatu omni processerant, ne interea proelium inciperent.* Miseritne, et dicto audientes praefecti fuerint, aut utrorum culpa commissum sit proelium, quum minime liqueat; vix est credibile, Germanos, qui omnem equitatum suum, praeter octingentos, superioribus diebus trans Mosam praedatum miserant, pugnam equestrem facturos fuisse contra quinque millia, nisi coacti atque lacessiti fuissent. Eventus is fuit, ut a tanto paucioribus Romani foeda fuga usque ad conspectum castrorum suorum repellerentur.

Caesar Germanos opprimit.

LII. Postridie Germanorum principes majoresque natu omnes, uti convenerat, ad Caesarem uno agmine venerunt. Ille, his comprehendi hostiliter jussis, statim educit suos, Germanosque nihil tale cogitantes improvisus aggressor ad internecionem caedit. Quantus armatorum numerus perierit, non traditur. capitum quadringenta triginta millia fuisse, Caesar scripsit, multitudine puerorum mulierumque computata.

Facto ne suis quidem probato.

LIII. Caesar perquam fragili defensione factum hoc tuetur. *Germanorum principes per simulationem ad sua castra venisse; nihil aliud acturos, quam ut tempus obtinerent, intra quod equitatus suus reverti posset. se neque audiendos putasse, qui, per dolum petita pace, bellum ultro intulissent; et summae dementiae judicasse, exspectare, donec hostium augerentur copiae.* Sane caussam suam ne Romanorum quidem optimis probavit: adeoque Tanusius Geminus, historiarum scriptor, a M. Catone dictam tradit sententiam, quo tempore ex literis Caesaris supplicatio-

Cap. LIII. Sueton. Caes. 9. Plut. Caes. et Crasso sub fin.

nes decernebantur, *dedendum illum hostibus esse ob legationis violatae nefas.* Suetonius addit, aliquando a senatu decretum fuisse, *ut ad explorandum statum Galliarum legati mitterentur; quod, infestas ac feras gentes a Caesare lacessi, parum e republica videretur.* U. c. 697. A. C. 55.

LIV. Interim equites Tencterorum et Usipetum, audita suorum clade, per alias vias ad Rhenum venerunt; eoque transmisso, sunt a Sigambris recepti; eodem pauci eorum, qui proelio interfuerunt, ex fuga penetrarunt. Eos quum Caesar dedi postularet, Sigambri populi Romani imperium Rheno finiri responderunt: *si ipse nollet in Galliam venire Germanos, vicissim et sibi juris aut potestatis nihil arrogare debere in Germania.* Inde caussas sibi struens Caesar, per quas Rhenum transmitteret, (cupiebat enim nemini Romanorum tentatae rei gloriam adipisci) lubens audivit Ubiorum oratores, qui adversus Suevos implorabant opes Caesaris, Rhenumque trajecturo magnam navium copiam pollicebantur. Caesar ponte transgredi maluit. quo intra dies decem effecto, traduxit exercitum, et proximam Germaniae partem vastare coepit. Sed, ubi se Sigambri in loca impedita receperunt, Suevique, missis quaquaversum nunciis, cogere exercitum nunciabantur, Caesar, satis et ad laudem et ad utilitatem profectum arbitratus, reduxit in Galliam copias, pontemque rescidit, dies omnino duodeviginti trans Rhenum commoratus. *Caesar Rhenum transit.*

LV. Inde, quum exigua pars aestatis superesset, etiam in Britanniam navigandi cepit impetum: ut insulam, ne vicinis quidem cognitam, adiret, quod nemo adhuc Romanorum fecerat. Tempus ad exigui maris transitum, cognoscendosque Britannorum animos sufficiebat. idem obtentum praestabat bello omisso redeundi, si difficilius spe sua negotium reperisset. Nam ad id tempus adeo Graecis Romanisque ignota fuerat Britannia, ut alii magnitudinis argumento continentem esse dicerent, opinione hac usque ad imperium Vespasiani obtinente; vetustiores nomen atque fabulam sine re, quidquid de illa diceretur, existimarent. Dum naves apparantur, Morinorum legati dedendae gentis ergo venerunt. Gratum id Caesari fuit, quod *Deinde in Britanniam.*

Cap. LIII. Sueton. Caes. 24. Cap. LIV. Caes. Sueton. Caes. c. 25. Dio. Caes. Cap. LV. Vell. 2, 46. et 47. Strabo, l. 4. p. 199. et 200. Sueton. Tac. Agric. c. 13. Caes. Dio. Tac. Agric. c. 10. Plut. Caes.

U. c. 697. A. C. 55. in alium velut orbem transituro nullus a tergo hostis relinquebatur. Igitur, praemisso ad speculandum eum una nave C. Voluseno, quum navibus duas omnino legiones imposuisset, paucis horis Britanniam attigit, peditatu tantum stipatus, quod equites, alio loco conscendere jussi, tardaverant.

Britanni obsistunt. LVI. Britanni, quamquam, Caesaris expeditione cognita, legatos in Galliam miserant, obsequium et obsides polliciti; tamen frequenter armati ad prohibendum exscensu militem opperiebantur: et loci situs ille erat, ut angusto inter montes aditu tela utrinque adjici in egredientem possent. Igitur ad octo millia passuum inde litus planum apertumque petiit. Eo quoque loco Britannorum equitatus et essedarii se opposuerunt. Essedariorum pugnandi ratio ferme similis fuit ei, quae temporibus Heroïcis apud poëtas adscribitur. Quum esset diu certatum, Romanos, quamquam iniquitate loci et novo genere pugnae turbabantur, longae naves, et emissa inde tormentis tela, victores effecerunt.

Sed victi mittunt legatos. LVII. Britanni, magis terrore, quam damno, compulsi, quod equitatu destitutus Caesar insequi fugientes nequiverat, legatos miserunt. Cum his et Comius Atrebas venit, quem, a Caesare praemissum, ut Britannos ad amicitiam populi Romani cohortaretur, et ab se comprehensum, post infelix proelium liberaverant. Caesar leni oratione castigatis, *quod pacem ultro petitam bello non necessario mutavissent*, obsides imperavit. hisque adductis, in faciem amicitiae quietae res esse coeperunt, haudquaquam solida aut diuturna fide.

Mox rebellant. LVIII. Nam ubi tempestate disjectae naves, quibus equites erant impositi, Britanniam tenere nequiverunt; navesque Caesaris, ignotis locis ad ancoras stantes, eadem tempestas confregit, aut ad navigandum reddidit inutiles; coïre Britannis, miscere consilia, postremo resumere arma placuit, quod exercitum sine commeatu, sine navibus, in hostili solo iniquo anni tempore deprehensum facile superaturos se putabant: victoriaeque praemium non intra praesentia tantum commoda staturum rebantur; sed, his deletis copiis, nemini postea veniendi ad Britannos audaciam fore. Igitur legionem septimam, quae missa frumentatum fuerat, subito maximus numerus aggressi, totam con-

Cap. LVI. Strabo, Tac. Agric. c. 12. Caes.

cidissent, nisi pulvis, solito major ex iis locis conspectus, Caesarem advertisset. Hoc celeriter subveniente, servata legio est. U. c. 697. A. C. 55.

LIX. Hostes, alio deinde proelio victi, quum iterum misissent legatos; Caesar, infirmis navibus non esse diutius differendam navigationem putans, nam dies aequinoctii suberat, prompte veniam praeteritorum dedit. Obsidum tantummodo numerum duplicavit, praecepto, ut in continentem sibi mitterentur. Ita quum discedere Caesar, Britanni dimittere advenas cuperent, illi multum imperare, horum in potestate relinqui, quatenus obedirent, videretur; haud operosum componendae pacis negotium fuit. Caesar, in Galliam regressus, quum obiter Morinos, a quibus trecenti milites, qui in eo litore expositi castra sua repetebant, oppugnati fuerant, per T. Labienum domuisset; per Q. Titurium, L. Cottam legatos Menapiorum vastasset culta, in Belgis hiberna legionum constituit. Eo duae omnino Britannorum civitates miserunt obsides: reliquae ad facere neglexerunt. *Iterumque victi pacem impetrant.*

LX. Caesar, his gestis, quamquam operae pretium aliud factum non erat, quam quod ad ignotas prius regiones, ipsisque domitoribus orbis, ut ferebantur, Herculi Bacchoque, et ceteris heroïbus intactas, arma Romana pervaserant; de rebus suis magnifice, verbis extollens, ad senatum scripsit. Quum adversae, ut ante retulimus, sententiae aliquot fuissent; studiis et adulatione plurium supplicatio dierum viginti a senatu decreta est. *Caesar de his gestis ad senatum scribit.*

LXI. Dum haec a Caesare geruntur, Q. Metellus Nepos in Hispania populos aliquot fudit, qui, Vaccaeis ducibus, rebellionem coeptaverant, necdum erant satis ad bellum parati. Ea res Nepoti patefecit viam, ut, multas obeundo nationes, aliquem numerum ignobilium oppidorum in deditionem acciperet. Sed, ubi Cluniam obsidere aggressus est, validam urbem, Hispanis cum maximo exercitu supervenientibus, proelio impar cessit. Et, quamquam meliore denuo fortuna depugnasset, ob nimiam multitudinem hostium (quod iis temporibus Hispania gentium omnium longe populosissima erat) satis deinceps habuit, si se et exercitum praestare salvum posset. Haec in urbe audita fuerant, *Metelli Nepotis gesta in Hispania.*

Cap. LX. Dio. Caes. Plut. Caes. Dio. Cap. LXI. Cic. de Har. Resp. c. 9. Dio.

U. c. 697. A. C. 55. quum nondum ornatae provinciae essent; moveruntque senatum, ut Hispanias alteri consulum provinciam lubentius decerneret, Pompejoque sortem illam obvenisse laetaretur. His ferme rebus domi forisque circumactus annus est, quo Cn. Pompejus, M. Crassus consules iterum fuerunt.

U. c. 698. A. C. 54. L. Domitio, Ap. Claudio coss. *Urbanae turbae.*

LXII. Sequens deinde, L. Domitio Cn. F. Ahenobarbo, Ap. Clodio Ap. F. Pulchro Crasso consulibus, magnas dissensiones in republica, magnas exercituum strages in provinciis tulit. In urbe propter Gabinium, a quo contra religiones reductus in regnum Ptolemaeus fuerat, acribus animis inter principes certabatur. Et Gabinii caussam Cn. Magnus hactenus utcumque sustinuerat: tum autem, duorum consulum inimicis accedente auctoritate, coepit labascere. Domitius semper adversus Pompejanae factioni fuerat. Appium antea non alienum studia plebis mutabant, et spes lucri; accumulaturo mercedem patrocinii Gabinio, si prius in magnam adductus trepidationem fuisset.

Caesaris acta.

LXIII. At Caesar, obsides a Britannis missos non esse caussatus, ceterum insulae, si posset, domandae cupidus, et quolibet praetextu morem gesturus cupiditati, per hiemem magnam navium multitudinem opera legatorum, quos hibernis praeposuerat, effici jussit: forma praescripta, quam judicabat esse ad illius maris naturam consueta commodiorem. Ipse, Pirustarum compressa natione, Illyricum incursantium, et deinde in Galliis concitore Trevirorum Indutiomaro, cum legionibus ad portum Itium pervenit, inde, simul patiens navium oceanus foret, iterum in Britanniam trajecturus. Itium plerique fuisse putant, ubi nunc Caletum est maritimum oppidum: sed haec auctoritate Ptolemaei refellitur opinio. propius fidem est, juxta Bononiam quaerendum huic nomini locum esse.

Treviri vincuntur.

Caesar iterum in Britanniam venit.

LXIV. Dum ibi ventum exspectat Caesar, Dumnorix, Aeduorum princeps, qui cum equitibus suis ad Caesarem venerat, quum impetrare nequivisset, ut in Gallia relinqueretur, invito Caesare domum coepit discedere. Caesar, motum Galliarum veritus, postpositis rebus omnibus, mittit, qui Dumnorigem retra-

Cap. LXIII. Caesar, de B. Gall. l. 5. Dio, l. 40. Caes. Cellar. Geogr. Ant. l. 2. c. 3. Cap. LXIV. Caes.

trahant: ab his repugnans interficitur; Aedui equites ad Caesarem omnes revertuntur. ceteris hoc ad parendi necessitatem exemplum est. U. c. 698. A. C. 54.

LXV. Igitur legionibus quinque, duobus equitum Gallorum millibus adsumptis, eodem loco, ubi nuper appulerat, per summum otium exponit suos: quod multitudine navium Britanni perterriti (nam ad mille navigia habebat) prohibere exscensionem non audebant. Caesar, cognito per captivos, quo se recepisset hostis, quamquam munitis locis se tenentem profligavit; fugientem propter locorum ignorantiam insequi supersedit. Postridie, tripartito agmine profectus in expeditionem, naves suas ea nocte tempestatibus vehementer adflictas esse cognoscit. Hoc nuncio revocatus ad classem, in reficiendis subducendisque navibus, castrisque sic communiendis, ut eadem munitione naves quoque defenderentur, decem ferme dies consumpsit.

Cassivellaunus Britannorum imperator.

LXVI. Interea temporis Britanni, sociis passim evocatis, majores contraxerunt copias, summaeque rerum Cassivellaunum praefecerunt, cujus inter regulos praecipua virtus ac potentia erat. Cum his crebra proelia facta, nullo ad summam belli profectu. Britannorum tamen exercitus, revocantibus auxilia sua civitatibus, disparuit; quaerendumque Caesari bellum fuit. Idcirco ad flumen Tamesin, ubi Cassivellauni fines erant, exercitus ductus est.

Tamesin transit Caesar.

LXVII. Trans amnem hostium magnae copiae consederant, munita praeacutis sudibus ripa, et aliis in ipso alveo ita defixis, ut aqua tegerentur. Sed, perruptis obstantibus omnibus, virtus Romana patefecit viam: tanto ardore militum, ut, licet solis capitibus exstarent, tamen nec flumine, nec sudibus, nec telis hostium terreri aut retardari possent. Fertur et alia, nec absurda fabula, perculsos adspectu elephanti Britannos equosque eorum fugisse: quod belluam unam secum transportaverit Caesar, eamque in flumine constituerit, armatis e turri, quam dorso elephantus portabat, tela spargentibus. Cassivellaunus, adverso proelio, deinde Trinobantium defectione, territus, quos statim Cenimani, Segontiaci, aliaeque nonnullae nationes imitatae sunt, copia pugnandi minime facta, in oppida sua se recepit. Oppida Britanni tum vocabant,

Cap. LXVII. Polyaen. Strat. l. 8. Caes. Strabo, l. 4.

U. c. 698. A. C. 54. quum silvas impeditas vallo atque fossa munivissent. Ibi, dejectis arboribus, tuguria sibi et pecori stabula ponebant ad usum exigui temporis. Interea quatuor ex Cantio reguli, Cassivellauni nunciis exciti, castra Caesaris navalia de improviso adoriuntur. His strenue occursum a Romanis, qui ibi praeerant, subitaque eruptione magna cum clade rejectus hostis: dux quoque nobilis Lugotorix captus est.

Pacem dat Cassivellauno.

LXVIII. Haec tot adversa (nam et munitissimum interea oppidum amiserat) perpulerunt Cassivellaunum, ut per Comium Atrebatem legatos ad Caesarem de pace mitteret. Caesar, qui propter repentinos Galliae motus in continenti hiemare constituerat, magna hostium multitudine interfecta, parte aliqua insulae, qua litus adtingit, accepta in deditionem, satis pensatum expeditionis laborem ratus, haud gravatim pacem dedit: obsidibus imperatis, adjectoque, ne quid Cassivellaunus Trinobantibus noceret. Praesidium imponi feris gentibus, et oceano divulsis, metus amittendorum militum prohibuit: tributa, si non essent, per quos exigerentur, jubere vanum erat. igitur his abstinere Caesar maluit, modico vectigali contentus, quum et merces minime pretiosae essent, quae inter Gallos ac Britannos permutabantur.

Cap. LXVII. Caes. Cap. LXVIII. Tac. Agric. c. 13. Strabo. Caes. Strabo. Dio. Plut. Diodor. 5, 21. Caes. Strabo.

EPITOME
LIBRI CENTESIMI SEXTI.

Julia, Caesaris filia, Pompeji uxor, decessit: honosque ei a populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. Gallorum aliquot populi, Ambiorige duce Eburonum, defecerunt: a quibus Cotta et Titurius, legati Caesaris, circumventi insidiis, cum exercitu, cui praeerant, caesi sunt. et quum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno la-

Honosque ei a populo habitus est] Ita Gruterus, et post eum omnes recentiores ediderunt. Eadem lectio confirmatur etiam testimonio Leid. Voss. Berg. Lov 2. Boend. et ed. Camp nisi quod Boend. omittat *τὸ ei*, et Berg. legat *est habitus*. Antea vulgabatur *honosque maximus ei*; quod etiam in Exc. Pithoei, et Norv. superfuisse, auctor est Hearnius. Sed *maximus* inter illas voces esse, quas primi editores in contextum epitomarum inseruerunt, vidimus ad Epit. 48.

Gallorum multi populi] Vet. lib. *aliquot populi*. SIG. Similiter Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed Campani. Eodem modo variant primi editores supra Epit. 53. Vide, quae notantur ad Epit. 51.

Ambiorige duce Eburonum, defecerunt] Forte *Ambiorige duce, rege Eburonum*. J. FR. GRON. Certe Ambiorigi *regnum* adscribit Caesar 5. B. Gall. 26. Deinde *Helvetiorum* Boend. et ed. Camp. *Eburorum* Lovel. 2. *Eburnorum* Voss. et Exc. Pithoei. Tum *defecerunt* exsulat a Boend. et ed. Camp.

Cotta et T. Aurunculejus legati] Vet. lib. *Cotta et T. Veturius*. Apparet tamen legendum *Cotta et Titurius*. Sic enim Caesar lib. 4, (38.) Q. *Titurius et L. Cotta legati*. Deceptus est librarius, quod Cottae nomen *Aurunculejus* fuit, eodem auctore Caesare. Item Appianus *Κόττας καὶ Τιτύριος*. SIG. Videant primi editores, et scriba Norvic. unde lectionem *T. Aurunculejus* hauserint, quae in nullo mihi cod. obvia fuit. *Titus Vertuarius* est in Berg. *T. Ligarius* in Leid. Boend. et ed. Camp. *Tigranus* in Lov. 2. *Tigorus* in Exc. Pithoei *Tigurius* in Voss. pro quo, una tantum litera mutata, recte Sigonius *Titurius* reposuit. Caesar 5 B. Gall. 24. *Unam legionem et cohortes quinque in Eburones, qui sub imperio Ambiorigis et Cativulci erant, misit. His militibus Q. Titurium Sabinum et L. Aurunculejum Cottam legatos praeesse jussit.* Mox *insidiis circumventi* Exc. Pithoei, Norv. et edd antt. Oros. 6, 10. *Cottam et Sabinum legatos apud Eburones cum tota funditus legione insidiis circumventos interfecit.* At Gruterus inverso ordine dedit *circumventi insidiis*; quod superest in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Magno labore defensa] Edebatur olim *maximo labore*, suffragantibus Exc. Pithoei, et Norv. Ejus loco Gronov anno 1665. emendavit *magno labore*; quod

bore defensa essent, interque eos, qui in Nerviis praeerat, Q. Cicero, ab ipso Caesare hostes proelio fusi sunt. M. Crassus, bellum Parthis inlaturus, Euphratem fluvium transiit, victusque proelio, in quo et filius ejus cecidit, quum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in conloquium ab hostibus, velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est.

probant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. V. ad Epit. 50.

Interque eos, qui in Treviris praeerat, Q. Cicero] Quos *eos*? Numquid prius dixit? *aliorum quoque legatorum*. An hic potius: *interque ea, quibus in Treviris praeerat Q. Cicero*? Hoc magis placet. J. FR. GRON. Vitium hoc quum esset in postrea mis aliquot editionibus commissum, nescio quorum culpa, merito advertit Perizonium meum, isque monuit me, reponi debere *Nerviis*, quod obtinuit olim, excuditque in Sigoniana Paulus Manutius. Et hoc volunt Msti, in quibus vidi exstare *Terberis*, vel *Terbejis*. Itaque emendavi errorem. JAC. GRON. *intra quae erat, qui Treviris praeerat, Q. Cicero* Leid. *interque ejus, qui interberis praeerat, Q. Cicero* Voss. *interque ejus, qui in Treveris praeerat, Q. Cicero* Berg. et Lovel. 2. *Treberis* Exc. Pithoei. *Treveris* Boend. edd. Romana princeps apud Hearnium, et Campani. *Nerviis* jam ipsum Sigonium edidisse video anno 1572. An legendum? *inter quae ejus, qui in Nerviis praeerat, Q. Ciceronis*. Illud *inter quae* probabile redditur ex illis, quae dicentur ad Epit. seq. Castris legionis, quae in Nerviis hibernabat, Q. Ciceronem praefuisse, testatur Caesar 5. B. Gall. 24. V. etiam Oros. 6, 10.

Bellum Parthis inlaturus, Euphratem fluvium transiit] *Parthis illaturus bellum* Lovel. 2. Tum *Euphratem flumen* Berg. V. ad Livii 38, 15, 7. Dein *transivit* Exc. Pithoei, Norv. et pleraeque edd. ante Gronovium, qui *transiit* emendavit. Nec aliter Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *transit* Leid. et una vel altera ex priscis edd. V. ad Epit. 103. Mox *in quo et filius cecidit* Voss. *in quo filius cecidit, et ipse quum reliquias*, et *vocatus*, pro *evocatus*, Boend. et ed. Camp.

Ut de pace acturus] *acturis* et vet. lib. habent, et historiae fides postulat. SIG. Similiter omnes scripti nostri cum Exc. Pithoei, et ed. Camp. Praeterea *velut de pace* Gronov. anno 1665. recepit, quod et ipsum servant codd. nostri, et ed. Camp.

Comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est] *comprehensusque* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. quorum duo posteriores omittunt sequentem voculam *et*. Praeterea *ne quid victus* Voss. Tum *repugnans vivus interfectus est* Leid. Pro *interfectus est*, quod servant omnes nostri, et ed. Campani, reliquae edd. ante Gruterum, et cum illis Norv. praeferunt *interemptus est, et ita periit*. Sed *interemptus est*, reliquis omissis, Exc. Pithoei. At vide supra ad Epit. 73.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXXI.

IN LOCUM LIBRI CVI. T. LIVII.

I. Rerum ita gestarum gloria, et perpetua indulgentia fortunae (namque tot navigationibus nullam omnino navem, quae milites portaret, amiserat) exsultantem Caesaris animum luctu repleverunt urbanae literae, nunciato Juliae obitu, quam Pompejo Magno collocaverat. Obierat ex partu: moxque duplicatus est dolor, decedente puella, quam enixa fuerat. U. c. 698. A. C. 54. *Juliae mors.*

II. Corpus matronae, quum in foro propositum esset, post funebrem laudationem rapuit populus, et in campo Martio sepelivit, tribunis incitantibus; qui ad hoc ab amicis Caesaris atque Pompeji conducti fuerant, aut sponte captabant hac adulatione praepotentium virorum gratiam. L. Domitius reclamabat, *in locum sacrum inferri mortuum nefas esse*, dictitans: neque tamen ratio valuit apud occupatos affectibus; et consulis auctoritatem pro nihilo haberi translatitium erat. Sed prudentiores, et quibus aliqua publicae aut etiam suae rei cura erat, gravis incessit metus, fore, ut, hoc inter duos sublato concordiae pignore, ambitio aemulorum civilibus armis collidatur. Nec fraudandus virtutis et gravitatis suae laude Caesar, qui intra tertium diem, quam haec nunciata erant, ad imperatoria munia rediit. *Et sepultura.*

III. Inter haec A. Gabinii caussa vario et pudendo judiciorum eventu agitabatur. Ille, periculi sui non ignarus, quum magnam vim auri ad conciliandos sibi homines praemisisset, exeunte Septembri noctu introivit in urbem; paucosque post dies a C. Memmio tri- *Gabinii judicium.*

Cap. I. Caes. de B. Gall. l. 5. Plut. Caes. et Pomp. Cap. II. Dio, l. 39. Liv. Epit. Plut. et Dio. Plut. Appian. Civil. l. 2. Vell. 2, 47. Lucan. 1, v. 111. Val. Max. 4, 6. Cap. III. Senec. Consol. ad Marc. c. 14. Dio. Cic. ad Q. Fratr. 3, 1. et 2.

U. c. 698. A. C. 54.

buno plebis ad populum acriter est accusatus. Quum damnaretur reus, Sisenna Gabinii filius ad pedes Memmii procubuit, pro patre deprecabundus. Eum Memmius truci vultu aversatus aliquamdiu humi jacere sivit. Haec species, et quod excussus e manu adolescentis annulus visebatur, ita mutavit animos, ut, approbantibus cunctis, a tribuno plebis Laelio Gabinius dimitteretur. Postea quoque tanta in judicibus rogandis contentio Cn. Pompeji fuit, Caesaris etiam amicis enixe opitulantibus, ut, a L. Lentulo Flaminis filio apud C. Alfium praetorem majestatis postulatus, Gabinius summo dedecore judicum absolveretur.

Exundatio Tiberis.

IV. Permoleste rem eam populus tulit: adeo quidem concitatus, ut parum abfuerit, quin ipso in judicio discerperet reum, et inter diribendas tabellas judicibus ipsis mortem minaretur. Igitur, frustra obnitente Pompejo, Sibyllinum carmen denuo invulgari pervicerunt: et sub idem tempus fortuita res, sed velut ex compacto in illum temporum articulum veniens, tam valide commovit homines, ut, licet nulla statuta in libris poena fuerat, atrocissimo supplicio Gabinius voluntate singulorum et senatus destinaretur. Forte sub eosdem dies Romae et maxime Appia ad Martis mira proluvies, exundante Tiberi fluvio, et usque ad piscinam publicam magna vis aquae fuit: oppletisque partibus inferioribus omnibus, ne editiora quidem intentata fluctibus manserunt. Magna aedificiorum strages sequuta, quae, lateritia quum essent, vi aquarum solvebantur: ingens jumentorum numerus, homines quoque multi suffocati aquis aut oppressi ruina perierunt. Haec omnia infensi ad iram Deorum referebant, spretas religiones vindicantium.

Gabinius damnatur.

V. Igitur ad M. Catonis tribunal, qui de repetundis judicabat, adduxerunt reum, minus jam timentem, quia maximam adversariorum tempestatem incolumis pertulerat. Sed a judicibus, qui et populum timebant, et a reo acceperant nihil, condemnatus, solum vertit. Erant enim tanta ejus tamque manifesta crimina, populique indignationem ita vehementem commoverant, ut nullis praesidiis, quum habere videretur longe firmissima, servari posset.

Cap. III. Val. Max 8, 1. Dio, et Cic. ad Q Fratr. 3, 3. et 4. et ad Att. 4, 16. Cap. IV. Dio Cic. ad Q. Fratr. 3, 7. Dio. Cap. V. Ascon. in Scaur. Dio.

VI. Pompejus, qui rei frumentariae caussa in Italia erat, quum ad primum judicium Gabinii occurrere studuisset, sub eosdem dies, quibus repetundarum postulatus fuerat, ad urbem venit: nihilque ad summam diligentiam fecit reliquum, quo nocentem eriperet. Ideoque et Ciceronem, non sine probro utriusque, permovit, ut, in quem priore judicio testimonium acriter dixerat, eum nunc defenderet. ipse, quia proconsulare imperium habenti urbem ingredi non licebat, evocato populo, verba pro Gabinio accurate fecit, Caesaris etiam recitatis epistolis, quibus salutem Gabinii enixe commendaverat.

U. c. 698. A. C. 54. *Frustra et patrocinante Pompejo.*

VII. Eodem ferme tempore pro M. Scauro felicius inter alios patronos Cicero dixit. Postulatus et iste repetundarum fuerat ex Sardinia, C. Triario C. F. accusante. Caussa hominis tam erat perdita, ut accusator diceret, *lege sibi centum atque viginti hominibus denunciare testimonium licere. se vero non recusare, quominus absolvatur reus, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset.* Tam bona conditione quum reus uti non posset, tamen propter favorem splendidae aedilitatis, et patris Scauri memoriam, frequentibus suffragiis est absolutus.

Scaurus absolvitur.

VIII. Haec judicia, quum calido adhuc anni tempore agerentur, M. Cato sine calceis et tunica exercuit, campestri sub toga praetexta cinctus. Id alii tamquam sordidum et indignum majestate jus dicentis accusabant: aliis repetitum ex vetustate exemplum placebat, quod eodem habitu in Capitolio et rostris antiquorum statuae visebantur. Sed Cato, talibus et reprehensionibus et laudibus superior, tantum de republica dies noctesque cogitabat. Ambitus et nundinationes magistratuum ad extremum impudentiae processerant: quum, positis in medio mensis, palam largitiones fierent, et a mercenaria plebecula honores emerentur. Igitur, auctore Catone, senatusconsultum factum, *ut designati magistratus, quibus accusator nullus esset, ultro se offerrent juratis judicibus, rationemque adepti honoris redderent.*

Cato, ambitum reprimere studens,

Cap. VI. Cic. pro Rabir. Post. c. 8. et ad Q. Fratr. et ad Att. Val. Max. 4, 2. Dio. Cap. VII. Cic. ad Q. Fratr. 3, 1. et ad Att. 4, 16. Ascon. in Scaur. Val. Max. 7, 1. Ascon. Cap. VIII Plut. Cat. Val. Max. 3, 6. Ascon. Plut. Ascon. Plut. Lucan. 1. v. 178. Petron. Carm. Plut.

U. c. 698. A. C. 54.

Male tractatur a populo.

IX. Magnus inde timor candidatorum: dolor incredibilis forensis turbae, quae, vitiis reipublicae pasci solita, si res ad bonos mores rediffet, sibi jejunium indici cernebat. Idcirco poftridie prodeuntem ad tribunal Catonem promiscua multitudo conviciis, mox etiam lapidibus appetivit: ut, diffugientibus, qui eum deducebant, vehementer contusus atque jactatus vix in roftra penetraret. Inde, conversus ad turbam, conftantia vultus illico seditionem clamoremque compreffit: mox apta tempori oratione sic differuit de praesentibus, ut tumultus omnis semel conquiesceret. Legi tamen, quum a consulibus ex senatusconsulto ferretur, ne ipsis quidem nolentibus, interceffum eft.

Sed eximie honoratur a bonis.

X. Nec ideo minus tribunitii candidati, depositis apud M. Catonem quingenis seftertiis, compromiserunt, *petere magiftratum legitime: qui contra feciffet, arbitratu Catonis condemnaretur, depofitamque pecuniam perderet.* Unum ex eo numero quum Cato damnaffet, competitoribusque pecuniam juffiffet solvere, illi, judicio Catonis contenti, pecuniam damnato remiserunt. Ea res ut illuftrem Catoni gloriam, ita acerbiffimam invidiam attulit, quod unus plus omnibus et legibus et judiciis valuiffe videretur. Exclamaffe tum Ciceronem ferunt, *O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet!*

Pontinii tamen triumphum impedire non potest.

XI. Ceterum Cato adversus tantam vim perditorum hominum plerumque fruftra luctabatur, multique ejus conatus in irritum cadebant: quemadmodum et in C. Pontinio, quem, se vivo, triumphaturum Cato negaverat. Nam ille supra triennium poft devictos Allobrogas ad urbem haerebat, triumphum poftulans: donec Ser. Sulpicius Galba praetor, qui legatus in Gallia Pontinio fuerat, de imperio ejus ad populum sub ipsam auroram tulit, quum ante horam primam agi cum populo non soleret. Igitur Cato et P. Servilius praetores, cum tribuno plebis Q. Mucio Scaevula, prohibere triumphum conabantur, quem ante diem tertium Nonas Novembres erat ducturus: fuitque non levis ea die contentio, ut etiam ad caedes perveniretur. Sed plerosque praetorum atque tribunorum se-

Cap. IX. Cic. ad Att. 4, 16. Cap. X. Cic. ad Att. 4, 15. et ad Q. Fratr. 2, 15. Plut. Cic. ad Att. et ad Q. Fratr. Plin. Praefat Hift. Nat. Cap. XI. Cic. ad Att. 4, 16. Dio. Cic. Dio. Cic. ad Q. Fratr. 3, 4. et ad Fam. 3, 10.

cum Pontinius habebat, et consulem Appium: a quo insigniter adjutus, nequidquam tumultuantibus adversariis, urbem triumphans iniit. U. c. 698. A. C. 54.

XII. Majores in eadem Gallia res iisdem temporibus C. Caesar gerebat, Eburonum rebellione excitus, qui, nunciis Indutiomari Treviri impellentibus, duce Ambiorige, L. Aurunculejum Cottam, Q. Titurium Sabinum legatos Caesaris cum cohortibus occiderunt. Id infortunium culpa atque temeritate Q. Titurii accidit: quo impellente, castra feliciter defensa reliquerunt milites, ad proxima suorum hiberna transituri. Nam fraudulento hostis consilio crediderunt, amicum se ferentis, neque sponte ad oppugnanda castra profectum; sed quia Gallorum omnium ea esset conspiratio, cui ipse non posset resistere. Inveniebatque fidem ex eo, quod contempta et ignobilis Eburonum civitas nihil per se attentatura videbatur, nisi plurium et opulentiorum fiducia armaretur. *Ambiorix Romanos caedit.*

XIII. Ambiorix, hac victoria multoque auro ex direptione castrorum potitus, statim cum equitatu in Atuaticos, deinde in Nervios pervenit, ubi legionis unius hiberna erant. Ad haec expugnanda omnes hi populi, aliis quoque vicinis adjectis, magna cum multitudine armatorum accesserunt. Hibernis Q. Cicero praeerat, nequedum audito Titurii casu, vacuus curis. Itaque milites nonnulli, quos lignationis munitionisque caussa in silvas dimiserat, subito hostium adventu sunt excepti. Hinc castrorum per complures dies continuata oppugnatio: sed summa virtute Ciceronis et militum hostes repulsi: donec Verticonis Nervii fideli opera (nam is servo suo magnis praemiis persuaserat, ut literas perferret) Caesar, praesentibus rebus cognitis, succurrere periclitantibus potuit. *Alios oppugnat.*

XIV. Is igitur solita celeritate cum legionibus duabus, quia Labienum Treviri, cum omnibus copiis ad ejus hiberna profecti, retinebant, in Nervios contendit, adventumque suum Ciceroni Graeca epistola, ne intercepta intelligeretur ab hostibus, nunciat. eam Gallus quidam eques, per popularium castra sine suspicione transgressus, alligatam tragulae intra vallum misit. *Quibus succurrit Caesar.*

Cap. XI. Dio. Plut. Caes. Dio, l. 40. Flor. 3, 10. Oros. 6, 10. Liv. Epit. Caes. de B. Gall. 5.

U. c. 698. A. C. 54. *Et Ambiorigem vincit.*

XV. Galli, Caesaris adventu per exploratores cognito, relicta obsidione, cum omnibus copiis, hominum millibus ferme sexaginta, obviam procedunt. Romanus, viribus impar, consilio potior, ut hostem in contemptum sui adduceret, castra, per se propter paucitatem armatorum exigua, etiam de industria contrahit. Ea simulatio timoris decepit Gallos, ut, tamquam ad facilem praedam, in locum iniquum succederent, castra oppugnaturi; mox, erumpente portis omnibus Romano exercitu, tamquam subito casu attoniti, majore consternatione percellerentur, quam paullo ante fiducia exsultaverant. Magnus primo impetu interfectus est numerus; ceteri, armis abjectis, fugerunt. Victoriae rumor, incredibili celeritate perlatus in Remos, Indutiomarum, qui postero die castra Labieni oppugnare constituerat, ita perterrefecit, ut eadem nocte profugeret.

M. Crassus Parthos bello petit.

XVI. At longe diversa in simili proposito fortuna M. Crasso fuit. Is quoque, Caesaris aemulatione, magni ducis nomen potentiamque bellis serendis aucupari certus, postquam pacatam Syriam videt, arma Parthis, licet neque caussa esset belli, neque senatus auctor exstitisset, inferre coepit. Sed neque alia ei suppetebant ad Caesarianae indolis modum, et homo major annis sexaginta nihil satis ad tanta negotia vegetum, praeter cupiditatem, adferebat: idque nuper ducenti per Gallograeciam urbane exprobratum a rege Dejotare fuerat. Hunc Crassus, exacta jam aetate condentem oppidum, quum offendisset, *Duodecima*, inquit, *hora aedificas*, *Dejotare*. Tum ille, *Nec tu quidem*, *Imperator*, *satis matutinus surrexisti in Parthos*.

Dejotari dictum.

XVII. Sed ille sitiens auri, quo Parthos abundare intelligebat, et novum regem, nec sine turbis in solium Arsacidarum enisum, superatu facilem figurans, ponte junxit Euphratem, transgressusque laeta belli initia habuit, quia Parthi adversus improvisam irruptionem parum providerant. Occurrit tamen ad Ichnas (id castello nomen est) cum paucis equitibus unus ex purpuratis Sillaces; victusque prorsus contendit ad regem, praesentia nunciaturus.

Cap. XV. Frontin. Strat. 3, 17. Caes. Cap. XVI. Dio. Appian. Parth. Plut. Crasso. Cap. XVII. Dio. Oros. 6, 13. Flor. 3, 11. Dio. Plut. Dio.

XVIII. Interim Craſſus impune diripiebat Mesopotamiam, civitatesque et caſtella in deditionem accipiebat, lubenter deficientibus Graecis, quorum ibi frequentes colonias Magnus Alexander, et poſtea succeſsores ejus conſtituerant. Illi, Parthorum imperium gravati, quorum dominos fuiſſe majores suos audierant, auspicia Romanorum, apud quos in pretio Graecos eſſe norant, haud gravatim sequebantur. Zenodotium tamen, cujus tyrannus erat Apollonius, (Osrhoënae ea civitas fuit; Osrhoëna porro praefectura Mesopotamiae) quum acciviſſet praesidium Romanorum, centum milites occidit, et ob eam noxam direptum eſt; oppidani sub haſta venditi: Craſſus Imperator appellatus. Is ob res tam exiguas cupide acceptus honor valde exiſtimationem ejus imminuit, quasi, desperatione majorum, ex levium geſtorum succeſſu summos adipisci honores properaret. U. c. 698. A. C. 54. *Crassus diripit Mesopotamiam.*

XIX. Nec enim quidquam praeterea cruentum aut hoſtile tota ea expeditio habuit, sponte ad eum deficientibus multis. Neque dubitabatur, quin magnum operae pretium feciſſet, si eodem impetu inter terrorem barbarorum ad Babylonem et Seleuciam, urbes numquam diuturna fide pacatas Parthis, signa Romana promoviſſet. Sed ille, contentus sponte oblatis, ne illa quidem tueri pro magnitudine periculi curae habuit. Septem millibus peditum, equitibus mille per praesidia distributis, receſſit in Syriam, spatiumque dedit hoſti comparandi sese, et recuperandi amiſſa. *Recedit in Syriam.*

XX. Ne armis quidem parandis aut exercendo milite consumpsit hibernorum tempus; sed, pecuniae cogendae intentus, imperabat auxilia, quae mox pretio remitteret, civitatumque reditus et donaria templorum computabat. Hierosolymis etiam auream trabem ex templo sustulit, Eleazaro dante, ne quid praeterea de sacro thesauro tolleret. At Craſſo potior pecunia fide jurisquejurandi religione fuit. Igitur et duo millia talentorum, quae Pompejus reliquerat, et quidquid praeterea auri inventum in fano eſt, detraxit. *Securus de bello, pecuniae intentus.*

XXI. In cava Syria urbs fuit multis nominibus. Nam et Bambycen et Edeſſam appellant; et ab Syris *Derceto Edessae culta*

Cap. XVIII Plut. Cellar. Geogr. Ant. l. 3. c. 15. Dio. Plut. Cap. XIX. Dio. Plut. Cap. XX. Joseph. Ant. 14, 12. Joseph. ibid. et de B. Jud. 1, 6. Hegesipp. 1, 21. Cap. XXI. Plin. 5, 23. et Strabo, l. 16. p. 748. et 785.

U. c. 698. A. C. 54. Magog, a Graecis propter celebritatem delubri Hierapolis vocabatur. Deam Syriam ibi colebant prodigiosa forma. superne mulier, inferiore parte corporis in piscem desinebat. *Derceto* aut *Atergatis* vocabatur. Semiramidis matrem fuisse, quidam fabulantur. Graeci *Venerem* eo nomine, aut *Junonem*, pars *Naturam*, coli putabant. In antiquissimis Hebraeorum libris *Dagon* est, piscem significante vocabulo. In hujus aede Crasso factum omen ferunt appropinquantis interitus. Erat cum eo Publius filius, qui nuper a Caesare lectos equites mille adduxerat, donis militaribus propter virtutem ab eo multis honoratus. Quum exirent fano, primum ad fores impegit adolescens, mox pater super corpus jacentis provolutus est. Nec omen tantum mortis ea aedes Crasso, sed etiam caussam, dedisse videtur: quod hac maxime injuria credibile est commotum Edessae principem Abgarum, exitiali Romanis legionibus proditione, consilia cum Parthis sociasse.

Crebras accusationes Romae.

XXII. Idem annus crebras illustrium virorum accusationes habuit, et, praeter memoratos antea, M. Coelius apud Cn. Domitium, C. Messius apud P. Servilium praetores, itemque Drusus et Vatinius a Cicerone defensi sunt. Praeterea C. Cato, Sex. Sufenas, qui in tribunatu sublatis comitiis magnas turbas dederant, ante diem tertium Nonas Quintiles favore triumvirorum absoluti sunt. L. Procilium, qui patremfamilias domi suae occiderat, quum multi absolverent, paucis suffragiis major pars judicum condemnavit.

Maxime propter ambitum.

XXIII. Sed hic ludus et jocus erat prae judiciis, quae ad summum impudentiae provectus ambitus pepererat. Candidati consulatus quatuor fuerunt: totidem ambitus sunt postulati. C. Memmius Cn. Domitium, C. Memmium Q. Curtius reos fecerant: a Q. Pompejo M. Messalla, a C. Triario vetere inimico M. Scaurus accusabantur. Consules quoque flagrabant invidia, quod turpissimam cum Memmio ac Domitio pactionem fecerant, *ut ambo sesterria quadringena consuli-*

Cap. XXI. Plin. Lucian. de Syr. Dea. Strabo. Ovid. Metam. 4, 45. Lucian. Plut. Didor. 2, 4. Reg. 1, 5. Plut. Cap. XXII. Cic. ad Q. Fratr. 2, 13. et 16. et ad Att. 4, 15. et 16. et ad Fam. 1, 9. Cap. XXIII. Cic. ad Q. Fratr. 3, 2. et 3. et ad Att. 4, 15, 16. 17. et 18.

bus darent, si essent ipsi consules facti. Dederant operam consules, ut quamprimum comitia haberi senatus decerneret. Sed comitiorum singuli dies quotidianis obnunciationibus tollebantur. Sub finem hujus anni, quum peregrinas religiones invalescere senatus comperisset, *ut fana Serapidis Isidisque a privatis in urbe facta diruerentur*, decrevit. U. c. 699. A. C. 53.

XXIV. Inter haec, exacto consulum magistratu, neque designatis dum aliis, res ad interregnum rediit. Sex et triginta interreges fuerunt, continuatis ad septenum usque mensem interregnis. Per tantum igitur spatium neque consules Romae, neque praetores ulli fuerunt. Auspiciorum enim et ostentorum intervenerant morae. bubones lupique in urbe visi, canum ululatus flebiles auditi erant: simulacrum Martis sudaverat: fulmen tota urbe pervagatum signa Deorum tetigerat, homines permultos exanimarat. Sed, haec quidem portenta quibus aut terris, aut hominibus minarentur, ambiguum multiplex terror faciebat. Nam et in urbe turbatum erat, et Gallia rebellabat, et cum Parthis, ignorante populo Romano, bellum exstiterat. sed, quae objecta Crasso Euphratem transeunti mox memorabimus, ipsi exercituique haud dubium interitum portenderunt. *Interregnum.*

XXV. Haec ergo quum impedimenta comitiis objicerentur, longe majus atque difficilius tribunorum plebis contumacia adferebat. Illi enim praecipue turbis his delectabantur, per quas multis se rebus, ad suum officium non pertinentibus, ingerebant, quum alii magistratus nulli essent: adeo ut ludos quoque facerent praetorum loco, quorum comitia, priusquam consules essent creati, haberi non poterant. Sed offensus hac audacia senatus Q. Pompejum Rufum tribunum plebis, quamquam dictatoris Sullae nepotem, in carcerem duci jussit: eadem poena et aliis turbatoribus praestituta, Pompejoque Magno tradita ejus rei potestate. Sed Rufus, uti socium ejus ignominiae haberet, paullo post M. Favonium aedilem plebis in carcerem conjecit, M. Catonis unicum admiratorem, et ejus contentissimo studio aedilitatem adeptum. *Tribunorum plebis contumacia.*

Cap. XXIII. Dio, l. 40. Cap. XXIV. Cic. ad Q. Fratr. 3, 3. et ad Fam. 7, 11. Dio. Dio. et Jul. Obseq. Dio. Cap. XXV. Ascon. in Milon. Dio. Plut. Cat.

U. c. 699. A. C. 53.

Legatio Partherorum ad Crassum.

XXVI. Inter haec moventem ex hibernis Crassum legati regis Orodis adierant, cum his mandatis: *si quidem jussu senatus populique Romani arma tuulissez, nullum finem bello, nisi internecione partis alteutrius, fore. sin vero privato consilio Crassus ea fecisset, misereri senectutis ejus. Magnum Regem, et percussorum cum Sulla, Lucullo, Pompejoque foederum memorem, milites Romanos, qui potius in captivitate sint apud Mesopotamiam, quam in praesidio, remissurum.* Crassus ad haec, *Seleuciae se responsurum esse*, quum diceret, arridens Vagises, is legatorum erat aetate maximus, volamque sinistrae manus percutiens dextra, *Prius hic*, inquit, *pili nascentur, Crasse, quam tu Seleuciam videas.*

Crassi responsum.

XXVII. Haec ubi renunciata Partho sunt, Surenam praefectum ad recipiendas Mesopotamiae civitates misit; ipse in Armeniam signa illaturus, ne Tigranis filius Artabazes ad opem Romanis ferendam vacuus esset. Is enim ad Crassum cum sex equitum millibus venerat, alia decem millia cataphractorum equitum, et triginta peditum millia, stipendiumque in has copias pollicitus.

Crassus festinat ad bellum.

XXVIII. Haec res mirifice excitavit Crassum, sponte festinantem, et diversa suadentibus iniquum. Quod enim quidam ex Mesopotamia milites per magna pericula reversi, vim Parthorum experti, nunciabant, cataphractorum omnia perrumpentem molem, levis equitatus inevitabilia tela, inopinatos superventus, et nocentiorem proelio fugam, nulla humana ope sustineri; quidam tribunorum praefectorumque, et cum his C. Cassius Longinus quaestor, is qui paucos post annos, occiso Caesare, magnam, sed ambiguam, famam nactus est, de integro consultandum de praesentibus censebant. Nam exercitum his sermonibus percelli animadverterant: et aruspices semper tristia exta nunciabant. Sed festinabat ad interitum Crassus: repudiatoque Artabazis consilio, qui per Armeniae colles ducere jusserat, necessaria ex regno suo affatim praebiturus, in Mesopotamiam duxit.

Malis omissibus.

XXIX. Ad Euphratem Zeugma est oppidum, ex eo appellatum, quod ibi bello Persico pontem Magnus Alexander struxerat. nam, quod alii de patre Libero

Cap. XXVI. Dio. Plut. Crasso. Flor. 3, 11. Oros 6, 13. Plut. Crasso. Oros. Plut. Dio. Cap. XXVII. Plut. Dio. Plut. Cap. XXIX. Dio. Plin. 34, 15.

narrant, fabulam puto. Ibi transducente exercitum Crasso, aquilam, quae prima sublata ab aquilifero erat, sponte fuisse conversam in contrariam, ac ferebatur, partem ajunt: aliam vix convelli potuisse, tamquam adnata terrae foret. Aureum aquilae simulacrum legionis Romanae signum erat. id, inter proficiscendum exiguo velut sacello inclusum, hastae imponebatur, in acutam cuspidem desinenti, ut in solum defigi posset. Talis tum mucro tam contumaciter haesit humi, ut vix multorum simul nisu evelleretur. Praeterea signum militare, quod inscriptam puniceis literis exercitus imperatorisque notitiam habebat, signifero ereptum in Euphratem projecit ventus. Quo viso, Crassus cetera ejus magnitudinis, vela enim fere aequabant, praecidi jussit, ut minus obnoxia turbinibus essent. U. c. 699. A. C. 53.

XXX. Proficiscentibus per pontem, crebra et atrocia fulgura, cum ingenti fragore coeli, inter densam nimborum caliginem in adversa militum ora micuerunt: ut inter se trudentes ruentesque vix in hostilem terram eniterentur. et unus equorum imperatoris insigniter ornatus, cum agasone gurgite hausus, disparuit. locus, ubi castra metaturi erant, bis de coelo tactus est. Et, priusquam omnes transirent, pontis partem magnam repens procella perfregit. *Euphratem ponte transgreditur.*

XXXI. Nihil ceterorum tam terruit milites: reditum enim sibi apertissime praecisum interpretabantur. Igitur Crassus, ut consolaretur trepidantes, advocata concione, *Desinite*, inquit, *turbari, milites. Nihil hic casus triste praesagit: nec enim hac, sed per Armeniam, juratus dico, reducere copias decreveram.* Quum sub haec erecti paullisper animi essent, validius statim, quam umquam antea, perculsi sunt voce, quam adjecit imperator; *Hac*, ait, *nostrum nemo revertetur.* Neque curavit Crassus, re animadversa, corrigere dictum, aut interpretatione lenire: unde nec cetera ejus verba pondus ullum habuerunt, quum elevaret barbarorum potentiam, praemiaque alia promitteret, alia repraesentaret. Tum quoque, ne quidquam occurreret terrore vacuum, qui exercitui cibaria dividebant, lentes et salem prima praebuerunt; quae feralia sunt apud *Terret milites ominosa voce.*

Cap. XXIX. Pausan. l. 10. Sex. Ruf. c. 16. Plut. Val. Max. 1, 6. Dio. Cap. XXX. Plut. Jul. Obseq. Dio. Plut. Dio. Cap. XXXI. Plut. et Dio. Plut.

U. c. 699. A. C. 53. Romanos, et vita functis apponuntur. Interea, sacrificio apparato, quum exta porricerentur, elapsa sunt imperatoris manibus: atque ille, consternari cernens, qui aderant, *Sunt haec*, inquit, *senectutis incommoda: ceterum arma haudquaquam excident manibus.*

Salutare consilium Cassii.

XXXII. Postquam ita superatus est Euphrates, proxima, qua iretur, deliberatio fuit. Cassio et prudentissimo cuique videbatur, *non esse, nisi explorato, proficiscendum: interim in aliqua urbium, quas praesidiis teneret, refici exercitum posse: aut certe juxta ripam Euphratis pergendum Seleuciam. A flumine et commeatuum copiam, et, ne circumiri ab hostibus possent, munimentum tergo fore. Seleuciam ob Graecos incolas haud difficulter accessuram ad partes. inde penetrari ad Ctesiphontem* (ea tum Parthorum regia erat) *posse.*

Crassus negligit.

XXXIII. Salutare consilium, quum imperatori non displiceret, dolus ac perfidia Osrhoëni hominis irritum fecit. Sicut inter arma potentiorum, qui sunt intercepti, sollicitam semper vitam degunt; et, quo se continuis periculis evolvant, eumdem perpetuo cursum consiliorum retinere non possunt, sed velut in maritima tempestate fluctibus ventisque obsequuntur: parvorum quorumdam populorum principes, inter quos praecipui Abgarus Osrhoënus, et Alchaudonius Arabs, Pompejana expeditione in amicitiam recepti, digressis Romanis, ad Parthos redierant. Sed Arabis, quia professus hostem erat, levior injuria fuit.

Abgarus Crassi proditor.

XXXIV. Abgarus, amicitia simulata pestilentior, quum Parthis studeret, Crasso adduxit auxilia, et pecuniam, quo ille visco facillime capiebatur, liberaliter dedit. quibus rebus quum ita se insinuasset, ut consilia de summa rerum cum eo communicarentur, homo astutus nec infacundus, *Miror*, inquit, *imperator, quod, hoc tam et numeroso et firmo exercitu instructus, apparare adhuc victoriam, quam rapere, mavis. Hostes, fugae, quam proelio, paratiores, nisi maturas, jam in Hyrcanos aut Scythas pretiosissima rerum suarum et corporum transtulerint, tibi solitudinem relicturi. Quod si cessando speciem timentis praebueris, resument animos, et mox cum tota mole virium rex aderit; qui nunc, anxius metu, non quasi pares vobis Surenam et Sillacem objecit, sed ut ab insequendo vos remo-*

Cap. XXXII. Dio. Cap. XXXIII. Plut. Flor. Sex. Rufus. Dio. Cap. XXXIV. Plut.

remorentur, donec ille res suas in tutiorem reposuerit statum. Credidit homini Crassus, quod amicum et fidum putabat; confirmatusque est in errore, postquam longe lateque neminem hominem usquam, sed tantum equorum aversa vestigia, apparere exploratores nunciarunt; eaque res militi restituit animum, fidentioremque, tamquam fugientibus Parthis, fecit. U. c. 699. A. C. 53.

XXXV. Primum iter, relicto amne, per campos virentes pergentibus satis amoenum atque facile fuit. mox excepit arida et nuda planities, militemque, cum siti et arena luctantem, ipse quoque locorum adspectus horrore perfudit, quum in vasta solitudine, quam terminare visu nequibant, nihil terra gignentium, non herba, non stirps ulla virens, nusquam aut rivus aquae, aut montis supercilium appareret.

Artabazes Crassum frustra monet.

XXXVI. Id quum per se suspectum plerisque fieret, supervenerunt ab Armenio rege nuncii, excusante non missa auxilia, quod in suum regnum Parthus Orodes irrupisset. Suadebat autem, *ut ad se veniret Crassus, conjunctisque secum copiis propelleret hostem: aut, si aliter videretur, saltem edita sectaretur loca, neque in patentibus campis equitatui Parthico stationarium militem exponeret.* Crassus ad haec cum stomacho respondit, *in praesentia non vacare, ut cogitet de Armenia: postea tamen venturum, ut proditionis ab Artabaze expetat poenas.*

Abgarus ad Parthos profiscitur.

XXXVII. Haec tam sinistre cogitata consultaque moverunt iterum Cassio bilem. Sed, quia libertate sua Crassum offenderat, ultra monere non ausus, Abgarum increpavit. *Quis te*, ait, *pessime mortalium, malus ad nos perduxit genius, ut Crassum fascinares, ipsumque et exercitum perderes?* At ille, blande castigata juvenis vehementia, *durare paullisper*, jubebat, *in salute communi mox agnituram innocentiam ejus, quem nunc tanti sceleris suspectum haberet.* Milites etiam itineris molestia gravatos sublevabat, simul quasi per jocum deridens, tamquam homines adsueti mollibus Campaniae diversoriis, easdem delicias in finibus Assyriorum Arabumque desiderarent. Sed, postquam ad exitium Crassi omnia mature sunt disposita, (nam Abgarus per speciem explorandi saepe cum Surena congrediebatur) Crasso Parthos in propinquo esse cum modicis copiis persuasit, seque ire, ut aliquid ipsis noxae et perturbationis inferret.

Cap. XXXVII. Dio. Plut.

U. c. 699. A. C. 53. *Crassus instruit aciem.*

XXXVIII. Eo die pullum paludamentum datum esse Crasso tradunt, quum album aut purpureum in proelium exeuntibus dari soleret. Sed id mutavit Crassus, irridensque eos, qui signa convelli vix posse nunciabant, cum magna festinatione processit. Occurrerunt ibi pauci speculatores, occisosque sodales suos, hostium immensam multitudinem adesse retulerunt. Ibi Crassus instruxit aciem, primum ex Cassii consilio productis, ne circumvenirentur, ordinibus: deinde mutavit, contraxitque in quadratum, duodenis ad unumquodque latus collocatis cohortibus. Legiones enim Romanas septem, neque pauciores sociorum cohortes habebat, equitum et levis armaturae ad quaterna millia: quae et ipsa distribuit, ut singulis cohortibus gravis armaturae alam equitum adderet.

Parthi se ostendunt.

XXXIX. Quum, ita ordinata acie, Cassius alterum cornu, alterum P. Crassus imperatoris filius, imperator ipse medium agmen duceret; ad modicum flumen, *Balissum* nomen erat, perventum. Ibi raptim ex siti recreatus exercitus, festinante Crasso, in conspectum hostium magno gradu adductus est. Illi, maxima copiarum parte post primam aciem abscondita, (et erat locus inaequalis, tegendis insidiis arborum objectu aptus) neque numero formidabilem, neque specie, manum objecerunt: nam ex praecepto Surenae rutilantia arma pellibus et tunicis obtexerant. Sed dissimulata primum, deinde subito ostensa exercitus armorumque moles majorem ex improviso terrorem injecit Romanis.

Cum magno strepitu, et horribili specie.

XL. Jam primum horribili strepitu sunt exterriti. nec enim tubis aut cornibus pugnam accendunt Parthi, sed tympana simul multis locis pulsantes, velut ululatu belluarum et tonitru mixtum mugitum cient. dein, rejectis integumentis galeae loricaeque, ex Margiano ferro fulserunt. ipsi etiam equi, ferreis aeneisve squamis muniti, formidabilem obtulerunt speciem visentibus. Inter eos Surenas, proceritate cultuque conspicuus, exsultabat: acer idem bellator, et propius Medicum luxum fucatus comtusque. nam ceteri Parthi tum etiam Scythico more Germanoque crinibus ad verticem reflexis, in altitudinem comabantur.

Cap. XXXVIII. Val. Max. 1, 6. Plut. Dio. Plut. Cap. XL. Justin. 41, 8. Plut. Tac. Germ. c. 38.

XLI. Parthi, primum ordines infestis contis perturbare nisi, postquam eorum viderunt firmitudinem, momento dilapsi, priusquam Romani animadverterent, illorum aciem circumdederunt, emissamque a Crasso levem armaturam, grandine telorum obrutam, repulerunt ad suorum agmen: idque initium pavoris legionibus fuit, quum aculei sagittarum pari violentia per armatas corporum partes, ac per nudas, adacti cernerentur. At Parthi, diductis ordinibus, amplexi Romanam aciem, sagittas eminus mittebant in confertos atque ita densatos, ut vix ullum cadere sine noxa telum posset, etiamsi de industria aberrare voluissent. Adfligebat Romanos anceps malum, quod et stantes impune vulnerabantur, et, si qui procurrerent, neque attingere poterant velocissimum hostem, et a Parthis, inter fugiendum nihilominus tela spargentibus, ut mos erat genti, nihilo mitius petebantur. U. c. 699. A. C. 53. *Pugna conseritur.*

XLII. Hunc tam gravem casum una hac spe solabantur, fore ut, exhaustis Parthorum pharetris, ea sagittarum tempestas cesset. at, ubi multos illis camelos praesto esse telis onustos cognitum est, Crassus, majore metu perculsus, filio per nuncios mandat, ut, priusquam circumiretur, manum conserere properet. Adolescens, praeter equites mille, quos adduxerat e Gallia, trecentis aliis adsumptis, cum octo cohortibus et sagittariis quingentis, quum evectus esset; Parthi, sive quod in uliginosa loca inciderant, sive, ut alii prodiderunt, astu, ut quam longissime a suis abriperent Crassum, versis habenis abierunt. Nec caruit successu dolus. incitat equum adolescens, *hostem fugere*, clamitans. sequuntur aequales, Censorinus senator ex disertis, et robore corporis animique praecellens Megabocchus. ne pedites quidem morantur, quin spe et gaudio victoriae cursum equitum prope adaequent. *P. Crassi virtus.*

XLIII. Sed, postquam repente et, qui fugerant, substiterunt, et praeterea recentes accurrerunt alii, sperabat tamen pugnam Publius, ad manus venturum, ut contra paucos, hostem ratus. At Parthi, cataphractis in prima acie oppositis, cetero equitatu disperso circumvecti, magnam vim pulveris de industria concitarunt, quo conspectum et spiritum Romanis adimerent. Atque illi ferales inter umbras et triste silentium, nam et vocem intercluserat pulveris nubes, ja- *Sed infelix.*

Cap. XLI. Plut. Cap. XLII. Appian. Plut.

U. c. 699. A. C. 53. culis temere incidentibus figebantur. Miserabili morte consumptis plerisque, quia vellere hamata spicula conantes, per venas per nervos penitus adacta, sua ipsi corpora foede laniabant; ne superflites quidem ad pugnam erant apti, Publioque, ut impetum facerent in cataphractos, hortante, manus scutis, pedes solo adfixos ostentabant.

Gallorum cum Parthis certamen impar.

XLIV. Igitur Publius cum equitibus cursu invectus est, haudquaquam pari certamine, quum nuda corpora Gallorum, nam id roboris erat, firmissimis contis percuterentur; Parthos, crudo corio aut ferrea lorica tectos, breves et imbecilles lanceae parum offenderent. Ergo Galli, abjectis lanceis, contos prehendebant manibus, et ad corpora hostium evadebant: correptosque deturbabant ex equis, armorum pondere ad resurgendum inhabiles. Alii, relictis suis, hostium subibant equos, ventresque eorum fodiebant, ut rabie mortis correpti excuterent sessores, suisque et hostibus, ut quisque occurrerat, promiscue obtritis commorerentur. Tandem siti atque aestu, quod utrumque genti est infestissimum, coacti Galli ad suos se pedites receperunt, in medium accepto Publio, qui fortissime dimicando graviter erat vulneratus.

P. Crassi exitus.

XLV. Quum in collem quemdam evasissent, religatis in medio equis, clipeos opposuerunt barbarorum telis, auxilium ex loco habituros rati: quod contra fuit. Nam in plano a prioribus ordinibus sequentes utcumque teguntur: acclivis tumulus, quia posteriores semper altiore vestigio tolluntur, omnes ex aequo nudat. In ea necessitate Graeci duo Carrhas incolentium adolescentem hortabantur, ut cum ipsis se subduceret Ichnas, quod in propinquo Romanarum partium oppidum esset. At juvenis eos, qui propter ipsum huc malorum pervenissent, deserturum negans, dimisit comiter Graecos. ipse, quia manus trajecta officium negabat, armigero praebuit latus. Exemplum hoc Censorinus imitatus est: ceteri nobiles, quos inter et Megabocchus, sua sibi manu consciverunt necem. ceteros adorta Parthorum multitudo confodit contis: neque amplius quingentis vivi capti sunt.

Patris Crassi constantia.

XLVI. Filio imperatoris hunc ad modum pene sub oculis patris interfecto, Parthi in ipsum signa converterunt, jam accepto nuncio periculi ad opem filio

Cap. XLVI. Val. Max. 1, 6. Dio.

ferendam profectum. Ubi in conspectum agmina venerunt, quidam Parthorum, hasta suffixum caput ostentantes, obequitabant Romanis, quaeritabantque, *quibus natalibus iste juvenis ortus esset? non enim se credere, tantam indolem ab ignavissimo hominum Crasso procreari potuisse.* Id spectaculum vehementissime permovit milites, non ut accenderentur in ultionem, sed ut plane torpore et desperatione demitterent animos. At Crassus, numquam clarius ostensa animi magnitudine, *suum hunc dolorem, suam cladem esse*, vociferabatur: *populo quidem Romano, salvis legionibus, nihildum accidisse calamitosum unius militis jactura. Resumerent modo pristinam alacritatem, et, quod saepe duris temporibus copiae Romanae fecissent, dubitantem fortunam ad suas partes virtute cogerent.* U. c. 699. A. C. 53.

XLVII. Sed jacebat omnis militum vigor, moestique et taciti adstabant: mox, edere clamorem jussi, tenuem et inaequalem sustulerunt, quum a Parthis ingens et animorum plenus redderetur. Nec alia fortuna pugnae utrisque, quam animis praeceperant, fuit. Romanos ambigua sors lethi terrebat, quod servantibus ordines molesti arcus Parthorum erant; eruptionem tentantes contis figebantur adeo validis, ut interdum duos simul viros idem impetus transverberaret. *Pugna cum Parthis.*

XLVIII. Laborantibus undique Romanis, novus repente hostis exortus, quum haud parum detrimenti daret, plus etiam doloris intulit. Nam cum Osrhoënis Abgarus, quem sibi amicum arbitrati fuerant, terga adversus Parthos pugnantium caedebat. Unde plena omnia consternationis et tumultus: et, quia saepe convertebantur ordines, ut aliqua ex parte clamor acciderat, multi se induebant in commilitonum gladios: praesertim, quia vi hostium, et vitandi sagittas studio, coacti in arctum erant. Sustinuerunt tamen ad noctem usque; qua appropinquante, Parthi caedendo fessi se receperunt, *id dare se Crasso tempus ad lugendam filii mortem*, dictitantes, *nisi postridie seque et exercitum in fidem Arsacis dederet.* Patrium id Parthis fuit, ut noctes procul ab hostibus agerent: qui neque castra munire consueverant, et inter tenebras equitum et sagittariorum nullus propemodum usus est. *Abgarus juvat Parthos.*

Cap. XLVI. Flor. 3, 11. Oros. 6, 13. Plut. Cap. XLVIII. Dio. Plut. Dio. et Plut.

U. c. 699. A. C. 53. *Fuga Romanorum.*

XLIX. Digressis Parthis, miserabilior apud Romanos, quam inter ipsam pugnam, luctus fuit, quod et acceptam calamitatem noscere vacabat, et impendentem deflere. Crassus, in tenebris abditus, vix a legatis tribunisque in principia adductus est. Neque dubitabatur, quin evadi Carrhas oporteret. Idcirco silentio eductus exercitus, quamquam sequebatur nemo, saepius tamen acie facta constitit, quia saucii et aegri, quum se relinqui sentirent, mixto ejulatu ac clamore, magnum tumultum excitaverant. Et quidam, ut poterant, suorum iter consequebantur: hisque vicissim aut sustollendis aut deponendis lente procedebat agmen: nisi quod cum Egnatio equites trecenti, abrupti a ceteris, nocte concubia venerunt Carrhas. Coponius ibi praesidio Romano praeerat, cui Egnatius nunciari quum jussisset, *ingenti proelio cum Parthis pugnatum esse*, nihil ultra moratus, ad Zeugma cum suis pervenit incolumis.

Crassus venit Carrhas.

L. Coponius, nihil ex his, quae allata erant, laeti suspicatus, armat extemplo milites, et, praemissis exploratoribus, quum venire Crassum audisset, occurrit ei, deducitque in urbem, nihil per tenebras moventibus Parthis, quamquam hostium fugam sensissent. At ubi diluxit, relictos in castris, haud pauciores millibus quatuor, quotquot sua manu non invenerant mortem, qui numerus amplus fuit, trucidarunt: palantes per campos exceperunt: quatuor cohortes cum legato Varguntejo in colle quodam conciderunt, praeter milites viginti; quibus, per medios hostes strictis gladiis ruentibus, admiratione virtutis dederunt viam, Carrhasque pervenire passi sunt.

Eodem et Surenas.

LI. Interea Surenas, ut certior fieret, ubi Crassus atque Cassius essent, Carrhas mittit certos homines Osrhoënos, qui in castris Romanis utrumque saepe viderant, una cum quodam Latinae linguae perito, qui Surenam colloqui velle cum Crasso, foederis feriendi caussa, diceret. Ita cognito Carrhis eum esse, postero die admovit exercitum muris, internecionem denuncians omnibus, nisi Crassum atque Cassium vinctos tradidissent. At illi, videntes se deceptos, nec in oppido tutos, et longe Armeniorum auxilia fore, decreverunt fugere.

Crassus ab Andromacho

LII. Id consilium, quum enunciari Carrhenorum nemini oportuisset, pessimo omnium et perfidiosissimo

Crassus exponit Andromacho, qui flagrantem imperatoris gratiam non alia magis arte, quam foedissima adulatione, meruerat. Neque is prodere omnia Parthis differebat, tyrannidem patriae pactus, quam et mox obtinuit, sed in poenam, a civibus suis cum universa familia concrematus. Sed Crassus adeo confidebat homini, ut illo maxime duce itineris uteretur. Exspectata nocte illuni, Crassus cum exercitu processit, et, a proditore varie circumductus, postremo in loca paludosa et fossis concisa detrusus, non multum confecit viae. Cassius, animadverso dolo, repetiit Carrhas: monentibusque ducibus itineris exspectare, donec Luna Scorpionem transisset, *plus se timere Sagittarium* dicens, cum equitibus quingentis evasit in Syriam.

U. c. 699. A. C. 53. *perfidiose circumducitur.*

LIII. Legatus Octavius, vir fortis, fidos nactus duces, quinque circiter millia militum habens, montosis locis, Sinnaca vocabant, in tutum se receperat: sed, in subjecto colle Crassum urgeri ab hostibus videns, decurrit ad opem ferendam, paucis primo, deinde omnibus sequentibus. Disjectis horum impetu Parthis, in medium acceptus imperator est, non scuta magis, quam corpora sua, strenue pro eo opponentibus cunctis. Igitur Surenas, ne, iterum producto ad noctem proelio, Romanis in montes deinde evadendi copia fieret, ad dolum se convertit, quem jamdudum struxerat, ut simulatione pacis deceptos circumveniret. Hunc in usum ex composito in Parthicis castris sermones iis locis, ubi excipi a captivis possent, seri jusserat; *beneficio magis illigare Romanos, quam internecino bello delere, constituisse regem.* Id captivi, de industria negligentius adservati, deferebant ad suos. simul pugnam remittebant barbari, et cum nobilissimo quoque sensim ad collem advectus Surenas, nervo arcus remisso, *invito rege, virtutem se Parthicam ostendisse Romanis*, ajebat: *nunc, illo volente, daturum et humanitatis specimen, itoque foedere salutem praestiturum abeuntibus.*

Mox simulatione pacis decipitur a Surena.

LIV. Haec non secus ab Romanis accipiebantur, quam si ab ipso rege dicerentur. Surenas enim, non viri, sed dignitatis, nomen, eoque inferioris etiam aevi Persis usurpatum, magistrum vexilli sive militiae significante vocabulo, proximus auctoritate et poten-

Surenae dignitas.

Cap. LII. Nicol. Damasc. apud Athen. l. 6. c. 13. Plut.
Cap. LIV. Marcellin. 24, 5. Plut.

U. c. 699. A. C. 53. *Et opes.*

tia regi erat: et, qui tum eo honore fungebatur, opibus et genere praecellebat.

LV. Gentilitia ei praerogativa erat, ut regi Parthorum diadema primus imponeret. Ad haec uti statura et pulchritudine corporis, ita virtute et consilio facile erat omnium princeps, licet tricesimum aetatis annum nondum implevisset. Ipsum, qui tum regnabat, Oroden, pulsum a Parthis, reduxerat, et magnam Seleuciam redegerat in potestatem, primus omnium conscenso muro, et repulsis defensoribus. Quoties iter faceret, mille cameli cum sarcinis, et rhedae ducentae pellicum sequebantur: equites cataphracti mille stipabant, leviter armatorum multo major numerus. Clientium etiam et servorum (nam et servos armabant Parthi) habebat haud intra decem millia.

Crassi et Surenae congressus.

LVI. Sed Crassus, toties deceptus, cunctabatur habere verbis Surenae fidem: donec, clamore et conviciis militum armis concrepantium omnium coactus, *Vos*, inquit, *Octavi Petronique, et, quotquot adestis, legati tribunique Romani, testor, indigne et violenter me in ordinem cogi. Vos autem circumventum ab hostibus, non a civibus deditum, perisse, quocumque perveneritis, dicetis.* Pactus deinde cum Partho, *uti certo loco, qui aequaliter ab utroque exercitu distaret, pari numero comitum congrederentur*, in planitiem descendit.

Crassus interficitur.

LVII. Ibi Crasso, quum Romano more pedes processisset, Surenas equum adduci jussit, tamquam a rege muneri missum: stratoresque, signo dato, corripuerunt Crassum imposueruntque: tum admoverunt equo virgas, ut in cursum concitarent. At Octavius, viso, quid ageretur, manum injecit freno, aliique mox Romani circumsteterunt. Hinc orto certamine, percussit equisonem Octavius, et vicissim a tergo percussus ab alio cecidit: tum, accurrentibus ex composito barbaris, Romani, quibus tam celeriter succurri a suis, peditibus plerisque, non poterat, superati sunt. Crassus quoque, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est: incertum hostiline, an Romana manu. Tum vero Romanarum copiarum reliquiae partim de colle degressae permiserunt se victori, partim noctu tentarunt fugam: sed evaserunt omnino pauci.

Romanorum clades.

LVIII. Haec est nobilis illa Romanorum in Mesopotamia clades, qua M. Crassus cum filio, clarissimo

Cap. LV. Justin. 41, 2. Cap. LVI. Plut. Cap. LVII. Plut. et Dio. Plut.

et praestantissimo juvene, pulcherrimisque legionibus interiit. Plurimi etiam senatores cum aliquot consularibus et praetoriis desiderati sunt. In universum cecidisse viginti millia, decem capta referuntur: quod de Romanis tantummodo copiis intelligendum arbitror, quum Appianus, de centum millibus hominum non tota decem millia redisse in Syriam, narret: Florus, sparsas in Armeniam, Ciliciam, Syriamque reliquias, vix nuncium cladis retulisse. Magnum inter hos Lucanorum fuisse numerum adnotatum est, propter prodigium, quod anno superiore in Lucanis pluisse ferro nunciatum erat, et cavenda superna vulnera aruspices responderant, quasi de Parthorum sagittis monuissent, quas illi solebant imbris instar spargere, non directis ictibus, sed in altum emissis, unde temere inciderent subjectis hostium agminibus. U. c. 699. A. C. 53.

LIX. Cadaver imperatoris inter cetera corpora feris et alitibus relictum: caput cum dextera manu relatum ad regem, tum maxime epulas cum Artabaze Armenio celebrantem. Pacem enim interea pepigerant, Pacoro filio Parthi desponsa Artabazis sorore. Forte tum Jason, tragoediarum actor, Agaven recitans, corripuit Crassi caput, quassansque, carmina, quae de Pentheo fecerat Euripides, recitavit. Post hoc deinde ludibrium, in rictum oris aurum liquefactum infuderunt Parthi cum exprobratione avaritiae, *ut satiaret se tandem eo, quod infinitis modis sitisset.* Erat enim appetentissimus pecuniae, quamquam tantas haberet opes, ut eum pro paupere miseraretur, qui ex suis facultatibus exercitum alere non posset. Hic fuit opum et potentiae, tam laboriose ac nequiter comparatae Crasso, terminus: cujus etiam interitus, tamquam remoto, quem ambo respicerent, socios tyrannidis inter se commisit, ut et hos velox poena comprehenderet: et tres terrarum partes, Crassus in Asia, Pompejus in Africa, Caesar in Europa interfecti, pro imperio, quod contra fas partiti fuerant, cadaveribus, et vix sepulcris, obtinerent. Sed neque Parthis impunita perfidia et crudelitas fuit. Surenam paullo post invidia gloriae ejus Orodes interemit: Orodes, procedente tempore, a Phraate filio est sublatus. *Crassi caput regi Parthorum epulanti adfertur.*

Cap. LVIII. Oros. Plut. Appian. Parth. Flor. 3, 11. Plin. 2, 56. Cap. LIX. Val. Max. l. 6. Flor. Plut. Dio. Flor. Dio. Cic. Paradox. 6. Vell. 2, 46. Flor. 4, 2. Plut.

EPITOME

LIBRI CENTESIMI SEPTIMI.

C. Caesar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit: nulloque ibi hoste invento, reversus in Galliam, Eburones et alias civitates, quae conspiraverant, vicit, et Ambiorigem in fuga perse-

C. Caesar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit] Praenomen deest in Boend. Vide ad Epit. 62. Hinc *Treveris* Leid. Berg. Boend. et edd. principes. Utraque scriptura in monumentis et libris antiquis obcurrit. V. Cellar. Geogr. Ant. 2, 3, 200. Tum *in Galliam* Norv. male. Deinde *transit* Leid. Voss. Norv. et ferme omnes edd. usque ad Gronov. qui anno 1665. emendavit *transiit*. V. ad Epit. 103. Mox *nulloque ibi invento hoste* Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Gronovium, qui eodem tempore, transpositis vocibus, dedit *hoste invento;* quod probant omnes nostri, et ed. Camp.

Et Ambiorigem in fuga persecutus] Hoc frigide dici, et addendum fuisse videtur, quo eventu eum persecutus fuerit. Fortassis *in fuga frustra persequutus est*. Ambiorigem e Romanorum persequentium manibus, quum jam in eo esset, ut caperetur, bis elapsum fuisse, scribit Caesar 6. B. G. 30. et 43. DUKERUS. *et regem Ambiorigem* Boend. Exc. Pithoei, Norv. et edd. pleraeque ante ultimam Gruteri, quae *τὸ regem* expunxit. Eadem vox exsulat etiam a Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. Tum *persecutus est* legunt Leid. Berg. Boend. et ed. Camp.

In via Appia ad Bovillas occisi] Sic Cic. pro Milone. Sed praepositionem et Voss. et duo Gud. nesciunt. Et solebant sic quoque loqui. Suet. Domit. [17.] *Cadaver Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit*. J. FR. GRON. Praepositio etiam exsulat a Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. omnibusque editis usque ad Curionem, qui eam primus adscivit. Interdum praepositio addi solet, ut apud Liv. 22, 36, 8. *In via Fornicata, quae ad Campum erat, aliquot homines de coelo tacti exanimatique fuerant*. Ascon. in Argumento Orat. Cic. pro Mil. *Semianimem Clodium extractum in via Appia occisum esse*. Et postea: *Nominatim caedem in Appia via factam comprehendit*. Saepius tamen praepositio omitti solet. Liv. 4, 41, 8. *Jam consul via Lavicana ad fanum Quietis erat*. 10, 36, 16. *Interamnam coloniam Romanam, quae via Latina est, occupare conati*. 22, 55, 4. *Equites expeditos et Appia et Latina via mittendos*. Valer. Max. 1, 8, 4.

:utus est. P. Clodii, a T. Annio Milone, candidato :onsulatus, Appia via ad Bovillas occisi, corpus ılebs in curia cremavit. Quum seditiones inter candidatos consulatus Hypsaeum, Scipionem, et Milo-ıem essent, qui armis ac vi contendebant; ad com-ɔrimendas eas Cn. Pompejus legatus a senatu con-ıul tertium factus est, absens et solus, quod nulli ıllii umquam contigit. Quaestione decreta de morte P. Clodii, Milo judicio damnatus in exsilium actus :st. Lex lata est, ut ratio absentis Caesaris in pe-

Fortunae etiam muliebris signum, quod est via Latina ad ;uartum milliarium, eo tem-ɔore cum aede consecratum. Ascon. ad Cic. Orat. pro Milon. :ap. 18. *Via Appia est prope ırbem monumentum Basilii.* Verius igitur est, ut scriptis et ɔdd. primis pareamus, ac prae-ɔositionem expellamus. Paullo ınte *candidato consulari* Leid. lta Cic. pro Mur. 27. *Videtur ɔraetorius candidatus in con-ıularem, quasi desultorius in ;uadrigarum curriculum, in-:urrere.* et in Fragm. orat. in Toga candid. *Ut repente gla-liatores populo non debitos ɔolliceretur, quos ipse consu-ıaris candidatus perspexit, et egit, et emit.* Reliqui tamen ɔmnes codd. *consulatus* tuen-ur.

Qui armis ac vi contende-ɔant] *armis atque militibus* Boend. *armis atque vi* Voss. Su-ɔra Epit. 79. *Quum perniciosas eges per vim atque arma fer-et.* In praecedentibus *Scipio-ıem, Milonem*, omissa copula, Voss. Berg. et Lov. 2.

Cn. Pompejus legatus a se-ıatu] Quid hic *legatus*? MSS. *tab senatu consul tertio.* Num-quid igitur, *delegatus ab senatu et consul tertio factus est absens*? An potius *rogatus a senatu*? Hanc enim speciem ambitioni suae circumdedit. J. FR. GRON. *Cn. Pompejo legato et a senatu consul tertio factus est* Voss. Similiter Berg. nisi quod *tercio consul* legat. *Cn. Pompejus legatus et a senatu consul tertio factus est* Leid. *tertio* etiam Lov. 2. Boend. Norv. omnesque edd. ante Moguntinam, quae *tertium* substituit. Vide ad 5, 16, 1.

Quod nemini umquam contigit] Vet. lib. *quod nulli alii umquam*, sine voce *contigit*. SIGON. Sic Sigonius, deleto, quod adjiciebatur olim, *contigit*. Subscribunt Vossianus et Gudianus minor. Intelligendum *facti sunt*. Major Gud. *quod nulli alii unquam accidit*. J. FR. GRON. *quod nulli alii umquam*, omisso verbo *contigit*, Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei. *quod nemini umquam contigit* Norv. *quod nulli alii umquam contigit* Leid.

Lex dicta est, ut ratio] Vet. lib. *Lex data*. Hinc ego, *Lex lata*. SIG. *Lex data est* Leid. Voss. Berg. et Boend: unde Si-

titione consulatus haberetur, invito et contradicente M. Catone. Praeterea res gestas a C. Caesare adversus Gallos, qui prope universi, Vercingentorige

gonius legendum conjicit *lata;* quod in Exc. Pithoei superesse, auctor est Hearnius. Voces *datus* et *latus* saepe in Mstis commutantur. Praeter exempla enumerata ad Livii 1, 4, 7. vide, quae notantur ad 7, 24, 8 ad Epit. 7. et 46. Similiter *dictus* et *latus*. V. ad Livii 7, 28, 8. et ad Epit. 19. Paullo ante *quaestione de certa morte P. Clodii* Boend.

Invito et contradicente M. Catone] Hoc verisimile quidem est, nec tamen alibi, quod sciam, legitur. *Lex* hic est plebiscitum, quod, Pompejo tertium consule, decem tribunis plebis ferentibus, et Pompejo ipso adnitente, factum est, ut Caesaris absentis ratio in petitione secundi consulatus haberetur, de quo est in Cic. 7. ad Att. 3. et 8, 3. in Dione lib. 40, 144. in Appian. 2. Civ. 442. et Floro 4, 2, 16. Suetonius in Caes. 26. eamdem rem paullo pluribus hoc modo refert. Quum tribuni plebis Pompejo, quem solum consulem senatus fieri censuerat, Caesarem collegam destinarent, hunc cum iis egisse, potius ad populum ferrent, ut absenti sibi, quandoque imperii tempus expleri coepisset, petitio secundi consulatus daretur, idque obtinuisse. Nam quae de destinatione tribunorum plebis et actione Caesaris cum iis narrat, alii praeterierunt: nisi quod e Dione intelligi potest, tum a quibusdam agitatum fuisse, ut Caesar Pompejo collega daretur. Scribit enim, Pompejum id metuentem per tribunos plebis effecisse, ut Caesari absenti consulatum petere liceret. Aliam deinde legem, ab eodem Pompejo in tertio consulatu latam, cujus uno capite absentes, ne Caesare quidem excepto, a petitione honorum submovebantur, memorant Sueton. Caes. 28. Cic. 8. ad Att. 3. et Dio 40, 147. Sed accuratissime Suetonius, e quo solo discimus, quo jure Marcellus, qui post Pompejum A. V. DCCXII. consul fuit, et haud dubie alii earumdem partium contenderint, beneficium populi, quod Caesari plebiscito datum fuerat, eidem lege Pompeji, quae plebiscito posterior erat, ademptum esse. DUK *et invito et contradicente* Leid.

Inter quas Avarici Biturigum et Gergoviae Arvernorum] Voces *inter quas* omittit Voss. quae etiam, si plures codd. concinerent, omitti possent: nunc vero servandas censeo, partim quia reliqui Msti constanter retinent, partim quia auctor ita loqui solet. Supra Epit. 77. *Duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, judicati sunt.* Epit. 80 *Omnibus adversae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro.* Hinc confirmatur conjectura supra proposita Epit. praeced. *Quum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent, inter quae ejus, qui in Treviris praeerat, Q. Ciceronis.* In nominibus propriis hic mire variant Msti. *Avarici Baturigenses et Gergovia Avernorum* legit Leid. *Avaria, Bituria, et Gergoniae Arvernorum* Voss. *Avarici Bituricum, et Gergoniae Avernorum* Berg. *Avarici*

Arverno duce, defecerunt, et laboriosas obsidiones urbium continet: inter quas Avarici Biturigum, et Gergoviae Arvernorum.

Biturihiae, et Gergoniae Arvennorum Lov. 2. *Arvaria Bituria vicit cum religione Arvernorum* Boend. Sed Hearnius ex suis nihil aliud notat, quam τὸ *et* deesse in Exc. Pithoei, et Norv. eorumque posteriorem *Gergovis* habere. Certum tamen est ex Caesare aliisque, receptam lectionem probam ac veram esse. Paullo ante *adversus*, pro *adversum*, recepi fide Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Campani. V. ad Epit. 47.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXXII.

IN LOCUM LIBRI CVII. T. LIVII.

U. c. 699. A. C. 53. *Galli bellum parant.*

I. Dum ad orientem hoc vulnus accipit respublica; non minore in metu legiones erant, quae per Gallias sub imperatore C. Caesare merebant. Quamquam enim defensa nuper Ciceronis castra, defensa T. Labieni erant; non ideo terror omnis exoleverat. quin ad Caesarem quotidie veniebant nuncii, *diversis Galliae partibus parari arma, cogi juventutem, conjurare inter se principes, et magnos ubique motus esse.* Tasgetium, a Caesare sibi regem impositum, Carnutes nuper interfecerant. id exemplum sequuti Senones, valida civitas, Cavarinum ejecerunt, et vocatus ad imperatorem senatus eorum dicto audiens non fuit. Nervii Atuaticique, sed ante omnes in Treviris Indutiomarus omni conatu instruebat bellum: et, quamquam permovere Germanos nequiverat, ut denuo Rhenum transirent, Gallorum undique venientibus ad se nunciis excitabantur.

Indutiomarus a Labieno caeditur.

II. Initium belli facere ab oppugnatione castrorum Labieni, quae erant in Remis, constituerat: sed idem etiam finis ei tumultuandi simul et vivendi fuit. Quippe Labienus, utili consilio, quamquam munitione castrorum tutus, metum eo usque simulavit, donec nihil metuentes Treviros, et, post convicia conjectaque suo more intra vallum tela, secure sparsimque abeuntes, immisso repente equitatu turbavit. Sed, quia praeceperat suis, ut nemo prius peteretur, quam interfectus Indutiomarus esset, in hunc tota vis omnisque contentio persequentium versa, in ipso fluminis vado intercepit transiturum. caput in castra relatum. Ea res cognita non modo repressit Treviros; sed Ner-

---

Cap. I. Caes. de B. Gall. l. 5. Dio, l. 40. Flor. 3, 10. Oros. 6, 10. Caes.

viorum etiam et Eburorum disjecit jam contractas copias, paulloque quietiorem ad tempus Galliam praestitit. U. c. 699. A. C. 53.

III. Hoc Caesar intervallo ad sarcienda detrimenta usurus, per M. Silanum, C. Antistium, et T. Sextium legatos delectum habet: simul ad Cn. Pompejum mittit, ut, quos ex Cisalpina Gallia consul is sacramento rogasset, ad Caesarem juberet proficisci. ita ante exactam hiemem tres ad eum legiones venerunt: una recens conscripta: reliquas Pompejus commodabat. His copiis auctus, ut inferret potius bellum, quam exspectaret, per hiemem adhuc contendit in Nervios, imparatosque venire in deditionem, et obsides dare cogit. Primo deinde vere Senones, deinde Carnutes, illos Aeduis, hos Remis deprecatoribus, quae solae Caesari per ea tempora fidae civitates fuisse videbantur, in gratiam recepti, obsides dederunt. *Caesar copias contrahit.*

IV. Caesar, hac parte curarum exoneratus, omnes deinde cogitationes ad opprimendum Ambiorigem vertit. Is, post Indutiomari mortem, cum propinquis ejus, ad quos delatum a Treviris erat imperium, foedere facto, Menapios, qui uni Gallorum ad Caesarem de pace numquam miserant legatos, in societatem adsciverat: Germanosque cis et ultra amnem sollicitare non desinebat. Igitur Caesar Menapios primum tripartito exercitu intrat: magnisque detrimentis adfectos ad pacem petendam cogit, obsides imperat: Ambiorigem et legatos ejus suis finibus recipere vetat. *Ambiorigem insequitur.*

V. Inter hanc expeditionem Treviri Labienum cum una legione, quae iis locis hibernaverat, petierant. Sed, edocti duas missu Caesaris supervenire legiones alias, donec Germanorum auxilia accessissent, castra intra spatium quindecim millium a Romanis castris posuerant. Horum consilio cognito, Labienus, occasionem dimicandi se inventurum sperans, cum quinque et viginti cohortibus, magnoque numero equitum, obviam egressus, non amplius mille passuum relicto spatio, consedit. *Labieni bellum cum Treviris.*

VI. Inter utraque castra flumen praeruptis ripis intererat. Mosellam fuisse consentaneum est. Id flumen, tam propinquo hoste, neque ipse erat transiturus, nec Gallos rebatur. Idcirco, ut eliceret hostem, *Ejus strategema.*

Cap. III. Caes. de B. Gall. l. 6. Plut. Caes. Dio. Oros. Caes.

U. c. 699. A. C. 53. convocato consilio, palam in hunc sensum disseruit: *quum propediem adfuturi Germani nuncientur, se rem in tantum discrimen commissurum non esse. parati intentique ad signum omnes essent, ut postridie prima luce proficiscantur.* Quod magna Gallorum equitum multitudo in castris Labieni erat, res cito defertur ad hostes. Sed Labienus noctu tribunis militum primique pili centurionibus consilium suum exponit: *sibi in animo esse, simulatione timoris fallere hostem, ut, non exspectatis Germanis, transeat flumen, alieno loco congressurus.*

Et victoria. VII. Igitur, majore, quam opus aut consuetudo esset, strepitu motis castris, quum id quoque subito nunciatum hostibus esset, ad insequendum eos illiciunt. Spe victoriae praedaeque, et ne fugienti scilicet Romano spatium evadendi darent, flumen transgrediuntur. Id ubi ex voto atque exspectatione Labieni factum, *Habetis*, inquit, *milites, quam postulastis, pugnandi copiam, et, ut locus pro nobis esset, feliciter curatum est. vos modo, quam soletis, operam praestare meminerit is.* Sic converso agmine, quum impetus in Treviros fieret; illi, novitate rei attoniti, ne primam quidem impressionem tulerunt. Equitatus immissus ad silvas fugientium ingentem caedem edidit. Ita motus Trevirorum repressus, civitas a Labieno recepta. Germani, qui auxilio veniebant, audita re, ut erat gesta, domum regressi sunt. cum iis propinqui Indutiomari trans Rhenum abiverunt Civitatis imperium Cingetorigi, quem ob studium erga Romanos socer Indutiomarus nuper expulerat, est traditum.

Caesar iterum Rhenum transit. VIII. Victis ad hunc modum Treviris, Caesar de Rheno iterum transeundo deliberabat, duplici stimulatus utilitate: altera, ut puniret, qui contra se auxilia Treviris miserant; altera, ne receptus apud eos Ambiorigi esset. Idcirco in finibus Trevirorum, haud multo supra, quam prius erat transgressus, pontem paucis diebus effecit: nota tum militibus ratione, sed ad hodiernam segnitiem nunc prorsus incredibili. Quippe non in proeliis modo, sed magis in opere, Romani militis invicta duritiés erat. Inter cetera pontibus struendis ita erat exercitus, ut quamlibet latum et profundum amnem facillimo negotio transmittere pos-

Cap. VII. Liv. Epit. Caes. Cap. VIII. Lips. de Milit. Rom. 1. 5. Dial. 11. et 13. Suidas in *Ζεῦγμα.*

ɔoſſet. Cujus rei per illa et sequentia tempora in Danubio, in Rheno, in Euphrate frequentia documenta lederunt. U. c. 699. A. C. 53.

IX. Ratio autem jungendorum pontium haec fuit ısitata. Lato alveo naves superiore, quam ubi pons leſtinaretur, loco conſtituebantur. Signo dato, primum una earum, secundo flumine demiſſa, quantum ɔoterat, applicabatur citimae ripae. deinde ſtorea saıis repleta mergebatur fundo, ancorae vicem firmatu:a deligatam valido rudente navem. Continuo materia, cujus ipsa navis copiam praebebat, tota conſterɔebatur. eadem ceterarum deinde navium adjungenlarum erat ratio, quas et demiſſae in amnem moles, ɜt vicinis utrimque navibus innexa vincula retinebant. Quum ad alteram ripam deductus pons erat, in ex:rema nave turres cum machinis et catapultis, et ad ɜgrediendum porta ſtruebatur. *Ratio jungendorum pontium.*

X. Ceterum nihil ultra gloriam bis transcensi fluminis hac expeditione quaesitum eſt. Paucos dies moratus in Germania Caesar, quum Suevi se in silvas recepiſſe dicerentur, *inopiam*, ut ipse ait, *frumenti veritus;* ut Dio, *Suevos timens*, (nam et frumentum ex Gallia subvehi nullo negotio potuiſſet) pontem in longitudinem pedum ducentorum rescindit, atque in extremo turrim tabulatorum quatuor conſtituit: praesidiumque tuendo ponti relinquit in Treviris, ut Germanis saepius transituri speciem faceret. *Caesar redit ex Germania.*

XI. Sed ipse, capiendi Ambiorigis cauſſa, per silvam Arduennam, quae per quingenta millia paſſuum ı ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios usque ɔertinebat, Minucium Basilum cum equitatu misit. Nihilque propius factum, quam ut comprehenderetur. ɜffugit tamen, misitque nuncios, qui populares moıerent, ut sibi quisque consuleret. Multi tamen hotili ferro, aut incommodis fugae perierunt. Cativul:us, rex dimidiae partis Eburonum, gravis aetate, quum fugere non poſſet, devoto diris Ambiorige, veıenum, quod ex arboribus taxis in Hispania et Gallia ɜxprimi solebat, sumpsit. Caesar, Ambiorigem frutra et cum vexatione suorum persequutus, ut nomen Eburonum tolleret, neque tamen milites adduceret in liscrimen, quorum per ignotas silvas subinde quidam *Ambiorigis fuga.*

Cap. VIII. Lips. Poliorcet. l. 2. Dial. 5. Cap. X. Dio. ɔaes. Cap. XI. Flor. 4, 12. Caes.

U. c. 699. A. C. 53. desiderabantur, consilium iniit suam injuriam Gallico sanguine vindicandi. Missis igitur circum civitates nunciis, Eburones, si vellent, diripiendi potestatem omnibus facit.

Sicambri castra Caesaris oppugnant.

XII. Ea res mirifici cujusdam caussa fuit et inopinati eventus. Quippe Sicambri, Transrhenana natio, quae nuper Tencteros fugientes receperat, praedam ex infortunio Eburonum facturi, duo equitum millia, Rhenum navibus ratibusque transiverunt. Hi, quum a captivo didicissent, profectum longius Caesarem totius exercitus impedimenta cum modico praesidio reliquisse Atuaticae, quo loco ante annum hiberna Titurii et Aurunculeji fuerant, protinus, eodem captivo duce, ad castra Romanorum contenderunt.

Re infecta recedunt impune.

XIII. Forte Q. Cicero cohortes aliquot frumentatum emiserat. Eodem tempore veniunt Germani, portaque decumana conantur irrumpere. In re subita, nihil enim tum hostile metuebatur, quum interfecti aut sparsi hostes, et cum novem victricibus legionibus in propinquo Caesar esset, vix defendi castra potuerunt. Inter haec reversae cohortes, quum et ipsae improviso incidissent in hostem, multis amissis, aegre perruperunt ad suos. Germani, spe castrorum expugnandorum amissa, cum praeda, quam ceperant, impune trans Rhenum redierunt: quod illos persequi tempore anni, et cura rerum urbanarum, et cupiditate capiendi Ambiorigis Caesar prohibebatur. Sed ille, quamquam Caesariani tanta diligentia sequebantur, ut saepe in conspectu fugientem, aliquando pene in manibus haberent, effugit tamen, quatuor equitibus comitatus, quibus solis vitam suam audebat c edere. Interea Caesar, Durocortori Remorum concilio Galliae habito, de Accone Senonum principe, qui defectionis auctor civitati fuerat, supplicium sumpsit: deinde, distributis per hiberna legionibus, per caussam conventuum agendorum in Italiam profectus est, de rebus urbanis sollicitus, quae continuis certaminibus seditionibusque supra solitum ingravescebant.

Urbana certamina.

XIV. Tribuni plebis, exemplo superiorum, comitiis, quorum iterum tempus aderat, moram injiciebant; tribunos militum, sicut olim, fieri oportere dictitantes, quod respublica pluribus magistratibus indigeret. Sed, ejus rei mentione, quia vix auribus

Cap. XIII. Dio. Caes. Dio.

dmittebant homines, deposita, C. Luccejus Hirrus ribunus plebis, consentiente collega M. Coelio Viiciano, rogationem promulgarat, *uti Cn. Pompejus reiublicae constituendae dictator diceretur*. Sed invisum hoc t detestabile Romanis nomen Sullae crudelitas efferat. Igitur sic invectus est in Hirrum M. Cato, ut arum abfuerit, ne abdicare cogeretur. Erat tamen nxius ob potentiam Pompeji senatus, nec audebat satis uidquam ei, quod appeteret, denegare. Amici quidem jus, ipse enim tum aberat, negabant Cn. Pompejo plaere nimios honores: et per Ciceronem, petente Pomejo, Crassum Junianum, ne auctor fieret, dudum deteruerant. Sed nihilominus ingenium ejus tectum, et lia cupiens, alia simulans, metuebatur. Tandem ipse dventu suo composuit omnia; quum, a Catone laulatus, aliud facere, quam quod honestum esse intelligebat, erubesceret. Ita consularibus comitiis auxilio jus habitis, Cn. Domitius M. F. Calvinus, M. Valerius Messalla creati mense demum Quintili.

U. c. 699. A. C. 53.

Lex de Pompejo dictatore creando.

Ab ipso repudiatur.

Cn. Domitio, M. Valerio coss.

XV. Itaque, simul inierunt, de comitiis habendis ctum, non faciliore, quam proximis annis fuerat, negotio. namque per candidatorum ambitum et factiones turbabantur: adeo ut, velut in magno et atroce uctu, consules, lato clavo posito, senatum in equestri habitu convocarent. Salubre tum decretum factum est, *ne magistratus ante quintum annum, quam consules praetoresve fuissent, provincias sortirentur*. Sic aliquantum reprimi posse ambitionem putabant, si sperata potentia ongum in tempus, et varios admissurum casus, differretur. Nam eo turpitudinis audaciaeque res venerat, ut candidati tam largitionibus, quam ferro, certarent; et aliquando consul Cn. Domitius vulneretur.

De comitiis habendis agitur.

XVI. Unde sic turbata sunt in urbe omnia, ut initio sequentis anni neque consules, nec urbani alii magistratus essent; et Kalendis Januariis nundinae agerentur: quae res infaustum luctuosumque casibus anum praesagire putabatur: idemque Lepidi tumultu cciderat. Sed hoc tempore et alia evenerant, quae olidos, et tam divinorum, quam naturalium, operum nescios, territabant. Bubo visus erat: simulacrum

Kalendis Januariis nundinae.

Cap. XIV. Plut. Pomp. Cic. ad Q. Fratr. 3, 8. et 9. Cic. ad Fam. 8, 4. Dio. Plut. Dio. Plut. Cic. ad Q. Fratr. 3, 8. Plut. Dio. Cap. XV. Ascon. in Milon. Dio. Cap. XVI. Macrob. Sat. l. 1. c. 13. Dio.

U. c. 699. A. C. 53. quoddam triduo continuo sudaverat: fax in coelo a meridie ad orientem transcurrerat: glebae, lapides, testae inter pluvias frequenter ceciderant.

Pugnae competitorum.

XVII. Crebrae interea per factiones candidatorum in urbe caedes edebantur: quum tamen comitia non haberentur, licet multis consulatum petentibus. Erat inter competitores T. Annius Milo, per quem P. Clodii audaciam Pompejus repressérat, Ciceronemque patriae restituerat. Idcirco Clodius, qui eumdem in annum petebat praeturam, ne ab inimico consule premeretur, P. Plautio Hypsaeo et Q. Metello Scipioni contra Milonem summe studebat. Unde, tribus quotidie exercitibus forum obsidentibus, crebrae inter hos pugnae committebantur, audacia omnium pari, causa meliore Milonis.

XVIII. Atque is quamprimum comitia haberi cupiebat, et bonorum confisus studiis, pro quorum partibus steterat, et populari favore, quem profusis largitionibus ludorumque magnificentia venatus fuerat; ita quidem animose, ut tria his consumeret patrimonia, praeter relictas a naturali patre Papio, et adoptivo C. Annio haereditates, etiam uxoris Faustae facultatibus abusus.

Pompeji occulta ambitio.

XIX. Sed competitores ejus trahi rem volebant: non invito Pompejo, et hoc dissimulanter agente, ut, perturbato rerum statu, dictatore opus haberet respublica, quem se utique futurum esse nihil dubitabat. Praeterea gratificari cupiebat Metello, qui filiam ei desponderat Corneliam, P. Crassi viduam, ejus, quem Parthi nuper interfecerant. Idcirco, quum ante diem tertium decimum Kalendas Februarias interregem creari moris esset, auctore Pompejo, T. Munatius Plancus intercessit, ne ad senatum referretur de patriciis convocandis, qui interregem proderent.

Interregem prodi vetat.

U. c. 700. A. C. 52.

Clodius a Milone interficitur.

XX. Inter eas moras Milo, molesse ferens a Pompejo se perfidiose ludi, simul quia Lanuvii, ex quo municipio erat, flaminem a dictatore prodi ante certum diem oportebat, eo profectus est. Erat enim

Cap. XVII. Liv. Epit. Dio. Plut. Pomp. et Cat. et Caes. Ascon. Appian. Civil. l. 2. Cic. pro Mil. c. 9. Ascon. Plut. Cat. Cap. XVIII. Ascon. Cic. ad Fam. 2, 6. et ad Q. Fratr. 3, 9. Ascon. Cic. pro Mil. c. 35. Cap. XIX. Ascon. Appian. Ascon. Plut. Pomp. Ascon. Cap. XX. Appian. Ascon. Cic. pro Mil. capp. 10. et 17.

tum dictator Lanuvii Milo. Forte per idem tempus P. Clodius Ariciae fuerat. Igitur postridie factum, ut in Appia via paullo ultra Bovillas inimicissimi homines sibi occurrerent: exitusque hic rei fuit, ut, pugna oborta, percussus a gladiatore Milonis Clodius in tabernam proximam deportaretur. Hoc ubi rescivit Milo, subeundum aeque vulnerati hominis, atque occisi, judicium cogitans, ad hoc in omnem casum ex inimici morte solatium habiturus, accurrit, eruique Clodium atque jugulari jussit. Hac re patrata statim manumisit servos, ne praebere quaestioni cogeretur: ipse praemium bene meritis, vita domini defensa, inimico sublato, datum adseverabat. U. c. 700. A. C. 52.

XXI. Sed cadaver interfecti relictum in via Sex. Tedius senator, forte rure rediens, lecticae suae imposuit, Romamque deportandum curavit. Ante primam noctis horam perlatum in atrio domus, quam paucis ante mensibus de M. Scauro sitam in Palatio emerat, uxor Fulvia constitui jussit; statimque infinita multitudo, servorum praecipue et infimae plebis, cui generi propter amorem seditionum carissimus ille fuerat, moerens lugensque circumstetit. Sed et integri a factionibus, quamquam odissent Clodium, humanitatis intuitu, et effusa lamentatione Fulviae, vulnera invidiose ostentantis, movebantur. et erant, qui per hanc caussam Milonem quoque, haud minus turbulentum civem, exturbari posse sperarent. Postridie, quum vixdum luceret, major eodem concursus fuit, ut noti homines, et inter hos C. Vibienus senator, in turba eliderentur. *Magno dolore vulgi.*

XXII. Sic adfectam rem tribuni plebis Q. Pompejus, T. Plancus nacti, quum et ipsi Milonem odissent, in Clodii domum accurrerunt. horum conspectu magis incitatur temeritas vulgi: corripitur mortuus, et, uti nudus in lecto jacebat, ut conspici vulnera possent, defertur in forum, et in rostris proponitur. Plancus et Pompejus in Milonem concionantur: nihil, quod ad concitandam invidiam commiserationemque fieri potest, praetermittitur. His quum ultra solitum imperitae multitudinis indignatio exarsisset, Sex. Clodio *Clodii corpus in curia Hostilia crematur.*

Cap. XX. Ascon. Appian. Dio. Ascon. Dio. Ascon. Cic. pro Mil. capp. 21. et 22. Cap. XXI. Ascon. Appian. Dio. Ascon. Dio. Ascon. Cap. XXII. Dio. Ascon. Appian. Dio. Ascon. Cic. pro Mil. c. 33.

U. c. 700. A. C. 52. scriba duce, qui praecipue Clodiani furoris signifer semper fuerat, corpus infertur in curiam Hostiliam, neglectisque funerum ritibus, sine imaginibus, sine cantu, sine exsequiis, rogo ex subselliis, et tribunalibus, et mensis, et codicibus librariorum congesto concrematur. Hoc igne et curia hausta est, et vicina aliquot aedificia privatorum. comprehendit etiam Porciam basilicam, quam censor Cato sub curia in foro struxerat.

Interrex M. Lepidus. XXIII. Hoc tumultu excitati Patres sub vesperam ejusdem diei in Palatio convenerunt, creatoque interrege M. Lepido, illi tribunisque et Pompejo, qui proconsul ad urbem erat, curam reipublicae mandaverunt. Sed Clodiana multitudo ad oppugnandam absentis Milonis domum cucurrit cum facibus. sed sagittis repulsa fasces, ex lecto Libitinae raptos, ad domum Scipionis et Hypsaei, tamquam, Milone jam amoto, certorum consulum, attulit: mox cum iisdem in hortos profecta Pompeji, modo *consulem* illum, modo *dictatorem* inclamavit.

Milo redit Romam. XXIV. Eadem nocte Milo, qui profectus in voluntarium exsilium putabatur, fidenti animo rediit Romam: quod, auditis, quae acciderant, majorem inimicorum, quam suam, invidiam fore sperabat. Itaque, non segnius, quam antea, consulatum petens, propitiandae multitudinis caussa tributim singula millia assium populo dedit. Igitur Scipionis et Hypsaei factio, ut recenti adhuc Milonis invidia uterentur, a M. Aemilio Lepido, qui erat interrex proditus, haberi comitia postulabat. Id quum facturum se Lepidus negaret, (nec enim moris erat, per primum interregem haberi comitia) domus ejus per omnes interregni dies (fuerunt autem ex more quinque) a multitudine obsessa et oppugnata est, janua vi expugnata, dejectae majorum imagines, et uxoris Corneliae, cujus castitas pro exemplo habita est, lectulus fractus. Actum erat de Lepido, si tantum ab unis partibus oppugnaretur. supervenit Milonis manus, et ipsa haberi comitia postulans. ita licet eamdem rem omnes flagitarent, tamen omissa est, conversis ab interregis oppugnatione ad consuetà certamina inimicis factionibus.

Cap. XXII. Dio. Cic. pro Mil. c. 13. Ascon. Appian. Ascon. Liv. 39, 44. Cap. XXIII. Plut. Cat. Maj. Dio. Cic. pro Mil. c. 33. Ascon. Cap. XXIV. Cic. pro Mil. c. 23. Appian. Dio. Ascon. Ascon. in c. 5. Orat. pro Mil.

XXV. Ceterum, simul atque rediſſe Milonem innotuit, concionem ei M. Coelius tribunus plebis dedit. sed, iram simulans, nolle se concedere dilationem reo praeferebat, quin apud populum ſtatim diceret cauſſam. Porro, ipse favens Miloni, sic egerat cum populo, ut insidias ei factas a Clodio diceret. Quum silentio auditus eſſet, incepit Milo dicere; *forte, aut dolo Clodii commiſſam eſſe pugnam, ſe neſcio: ejusque rei vid ns argumentum eſſe, quod impedimenta et uxorem in comitatu abuiſſet, res minimè commodas pugnaturo.* Deflexit deinde ad vituperationem Clodii: *facinoroſum et pe ditum hominem, ſuique ſimilium ſigniferum, caput, et facem fuiſſe.* U. c. 700. A. C. 52. *In concione se purgat.*

XXVI. Quum adhuc loqueretur, contrariae factionis tribuni cum sua multitudine irruperunt in forum. jam gladii micabant, caedesque fiebant, quum Milo et Coelius servili habitu evaserunt: aliorum magna ſtrages edita, multique ignoti pro Milonianis, libidine magis, quam ira, occisi. nam infima plebs et servorum magna multitudo arma corripuerant: et, per caussam quaerendorum Milonis amicorum, effractis domuum et insularum foribus, praedas agebant. *Expellitur foro.*

XXVII. Per multos inde dies continuato tumultu, quum ignibus, saxis, ferro dimicaretur, senatus veſtem mutavit; *omnes Italiae juniores conjurare, Pompejumque delectus ex iis habere* juſſit: iterato decreto, *videret, ne quid respublica detrimenti pateretur.* Atque is quum, summa celeritate comparato praesidio, ad urbem veniſſet, extra pomoerium ad theatrum Pompeji senatus eſt habitus in porticu, ut intereſſe Pompejus posset; factumque senatusconsultum, *ut oſſa P. Clodii legerentur: curiam Fauſtus Sulla inſtauraret, eaque deinceps Cornelia de nomine Sullae vocaretur;* quia prius etiam pater Fauſti eamdem refecerat.

XXVIII. Inter has turbas, quum alii ex aliis interreges fierent, neque tamen comitia haberentur, misit ad Pompejum Milo, *deſiſtere ſe petitione, ſi ita ei videretur.* Nam ob adfinitatem Q. Metello summe ſtudebat Pompejus: neque minus Hypsaeo, quod quaeſtor suus fuisset. Responsum a Pompejo dicunt, *nemini ſe neque petendi, neque deſiſtendi auctorem eſſe: neque populi Romani po-* *Pompejum rogat.* *Sed frustra.*

Cap. XXV. Appian. Ascon. in Milon. Cic. pro Mil. c. 33. Appian. Cap. XXVI. Cic. Appian. Cap. XXVII. Dio. Caes. de B. Gall. l. 7. Cic. pro Mil. c. 23. Ascon. Dio. Cap. XXVIII. Ascon.

U. c. 700. A. C. 52. *testatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum.* Idem deinde C. Lucilium familiarem Ciceronis, atque ideo Milonis amicum, rogasse dicebatur, *ne se hac de re consulendo invidia oneraret.*

Catone sententiam Bibuli prebente,

XXIX. Crebrescebat interea rumor, *dictatorem creandum Pompejum esse, nec aliter sedari mala civitatis posse.* aliis Caesarem fieri consulem placebat, cujus sub idem tempus maxima erat fama, propter amplissimas res gestas saepius et plurium dierum, quam cuiquam unquam, supplicationibus decretis. Neutrum eorum senatui gratum erat. Igitur, ne aut Pompejus dictator, aut Caesar iterum consul habendus esset, M. Bibulus, qui primo loco rogatus erat sententiam, *Cn. Pompejum, licet absentem, consulem faciendum esse,* censuit, *sine collega. Sic enim aut evasuram ex his malis rempublicam; aut, si dominus tolerandus sit, optimo servituros.* Ea sententia quum et re et ob auctorem nova videretur, quod Pompeji dignitati adversatus antea semper Bibulus fuerat, Cato exsurrexit, omnium opinione repugnaturus, quod et antea Pompejum comitiis praeficiendum jubentibus, *non legibus in Pompejo, sed Pompejo in legibus praesidium esse oportere,* responderat. Sed ille, *Hanc,* inquit, *sententiam non eram dicturus prior: sed dictam ab alio sequor, et approbo. quemlibet in urbe magistratum, quam nullum, esse praestat; et Pompejum quolibet alio rectius usurum hac potestate confido.*

Pompejus consul creatur sine collega.

XXX. His auctoribus reliqui Patres haud gravatim annuerunt, salubriter temperasse visi, ut praesentibus coërcendis turbis Pompejus imperium solus haberet, tamquam dictator; rationi tamen reddendae, tamquam consul, esset obnoxius. Simul futurum rebantur, ut a Caesare et populo Pompejum abstraherent, senatui se daturum, a quo tot ornatus novis honoribus esset. Neque tribuni plebis repugnabant, ipso sic volente Caesare. nam eum tribuni collegam Pompejo destinarant. Caesar ad populum ferri malebat, *ut in secundo petendo consulatu ratio absentis haberetur.* Igitur, senatusconsulto in sententiam Bibuli facto, per interregem Ser. Sulpicium Cn. Pompejus tertium consul creatus est solus, ante diem quintum Kalendas Martias mense intercalari, hac adjecta con-

Cn. Pompejo III. cos.

Cap. XXIX. Dio. Sueton. Caes. c. 24. Dio. Appian. Plut. Pomp. et Caes. et Cat. Cap. XXX. Appian. Dio. Vell. 2, 47. Sueton. Caes. 26. Ascon. Plut. Liv. Epit. Val. Max. 8, 15.

ditione, *siquidem collegam desideraret, ut suo arbitratu, dum ne intra bimestre, adlegeret.* Pompejus, statim inito magistratu, Catoni egit gratias, consiliumque ejus expetivit. Ille, *non defuturum se petenti privatim*, respondit, *consilio suo; publice etiam non petenti.* U. c. 700. A. C. 52.

XXXI. Sed erat ad componendum reipublicae statum novis legibus opus. Igitur in his omnis consulatus ejus vis consumpta est. Post diem tertium magistratus initi, quum de legibus ad senatum consul retulisset, *duas esse promulgandas*, senatus censuit, *alteram de vi, qua nominatim caedes Clodii, et incendium curiae, et M. Lepidi interregis oppugnata domus continebatur: alteram de ambitu.* *Leges Pompejae.*

XXXII. De utroque non semel et antea latum erat: sed his legibus poena gravior constituebatur, cum severiore judicii forma. Nam et judices accuratius legebantur, et finiebatur patronorum numerus, ne judices horum multitudine perturbarentur; et prius testes audiri per triduum, deinde uno eodemque die et ab accusatore, et ab reo perorari oportebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. Laudationes etiam et preces aliorum pro reo, quibus rebus multi erepti nocentes fuerant, tollebantur. Quaesitores utraque lege ex iis, qui consules fuissent, suffragio populi creari oportebat. Et, quo pluribus atque acrioribus vinculis ambitus constringeretur, dabatur accusatio iis etiam, qui damnati eodem crimine fuissent; praemio veniae proposito, si quis horum duos similis inferiorisve culpae, aut majoris unum reum peregisset. *Prioribus adstrictiores.*

XXXIII. Voluerat et praeteritis delictis graviores poenas constituere Pompejus; sed id neque juri publico, neque commodo satis congruere Cato putabat. *Nam et puniri quem ea lege, contra quam non deliquisset, absurdum; et definire tempus, unde incipere debeat haec animadversio, difficile, nec exemptum a sermonibus fore.* Pompejus tamen, ut nec ipse refugere, quod in alios pararet, videretur; qui a primo suo consulatu honoris *Etiam in praeterita delicta.*

Cap. XXX. Ascon. Plut. Pomp. Plut. Pomp. et Cat. Cap. XXXI. Vell. Cic. Philipp. 1, 7. Ascon. Cic. pro Mil. c. 5. Ascon. Cap. XXXII. Dio. et Ascon. Auct. de Caus. corr. eloq. c. 38. Cic. Bruto, c. 94. et de Fin. 4, 1. Plut. Pomp. et Cat. Dio. Ascon. Appian. et Dio. Cap. XXXIII. Appian. Plut. Cat. Appian.

U. c. 700. A. C. 52. adipiscendi caussa largitiones fecissent, comprehendi volebat: ulteriora non audiri. Sed eo temporis complexu Caesaris etiam consulatus continebatur. Igitur, amicis ejus querentibus, moleste tulit, *allegari Caesarem, cujus sicut extra suspicionem esse rationes, ita extra periculum*, dicebat. Contraxit tamen tempus, et secundum consulatum suum finem impunitatis et quaestionum constituit, non aliter se mederi reipublicae posse praefatus.

Pompejus Milonem odit.

XXXIV. His intercedere studiosissimus Milonis M. Coelius parabat, *privilegia, non leges*, appellando. Sed et praecipitari judicia malo exemplo dictitabat: donec Pompejus iratior, *si coactus esset, armis se rempublicam defensurum*, dixit. Erat enim implacabili in Milonem odio, quod ab eo sibi parari insidias existimabat. Idcirco plerumque non domi suae, sed in hortis superioribus, manebat, magna circum excubante militum manu. Multa enim ad eum deferebantur, et in Capitolio P. Cornificius frequentissimo senatu exclamavit, *ferrum Milonem habere sub tunica ad femur alligatum*. Sed ea quidem falsa criminatio fuit: refellitque statim nudato femore Milo, succlamante Cicerone, *talia esse et reliqua crimina, quae in Milonem jacerentur*.

Sed eum Cicero defendit.

XXXV. Defendebat enim Milonem summa fide et constantia M. Cicero, neque Pompeji offensionem reformidans, neque tribunorum plebis convicia et minas: quamquam Q. Pompejus, T. Munatius Plancus invidiam ei concionibus omnibus facerent, et infensum Miloni populum in patroni ejus odium facile concitarent: praesertim quum etiam C. Sallustius Crispus collegarum furori accessisset, inimicus Miloni, a quo deprehensus in adulterio Faustae, lorisque caesus, neque dimissus, nisi data pecunia, fuerat. Sed ex his Plancus, ceteris, ut suspicio erat, in gratiam cum Milone ac Cicerone reversis, infestissime perstitit, diem Ciceroni dicturum prae se ferens.

Quaesitores et judices creati.

XXXVI. Perlata interim lege sua, statim quaesitorum creandorum caussa comitia Pompejus habuit. creati sunt Cn. Domitius Ahenobarbus, A. Manlius Torquatus, ut legibus Pompejis, de vi Domitius, Torquatus de ambitu cognoscerent. Judices deinde

Cap. XXXIV. Ascon. Vell. Ascon. Cic. pro Mil. c. 24. Cap. XXV. Ascon. Porphyr. in Hor. Sat. 1, 2. Varro apud Gell. 17, 18. Ascon.

sunt propositi, tanta Pompeji cura, ut constaret, numquam neque sanctiores viros, neque clariores propositos esse. U. c. 700. A. C. 52.

XXXVII. Tum a duobus Appiis adolescentibus, Gaji filiis, qui Clodii fuerat frater, de vi postulatus est Milo; et a Domitio ante diem pridie Nonas Apriles adesse jussus. Sed eadem ei dies ab A. Manlio praedicta erat, apud quem de ambitu postulabatur. Igitur ipse venit ad tribunal Domitii; a Torquato per M. Marcellum obtinuit, ne prius caussam de ambitu diceret, quam esset de vi judicatum. *Milo accusatur.*

XXXVIII. Judicio constituto, quum prima die productum testem C. Cassinium Scholam, qui se cum Clodio fuisse, quum is occisus esset, dicebat, M. Marcellus interrogaret; tantum Clodiana multitudo excitavit tumultum, ut ultima timens Marcellus in tribunal a Domitio reciperetur. Igitur M. Marcellus et ipse Milo praesidium abs Domitio, Domitius a Pompejo postularunt. Ille, quum, ad aerarium sedens, eodem clamore fuisset perturbatus, promisit Domitio, se postridie cum praesidio adfuturum. Ita proximo biduo quietius auditi testes. Ultimae testimonium dixerunt Sempronia Tuditani, amentis illius filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia; coronamque fletu muliebri magnopere commoverunt. Igitur, dimisso circa horam decimam judicio, T. Munatius populum adhortatus est, *ut frequens adesset, et elabi Milonem non pateretur, judiciumque et dolorem suum ostenderet.* *Testes audiuntur.*

XXXIX. Postero die sortitione facta judicum unius et octoginta, iisque protinus sessum euntibus, Appius major et M. Antonius, qui mox viduam duxit, et P. Valerius Nepos accusationem horis duabus ex lege peregerunt. His unus erat responsurus Cicero, tribus omnino horis ad dicendum datis. Igitur ille, et brevitate temporis circumscriptus, et adspectu territus armatorum, quos circa forum Pompejus disposuerat, non eadem, qua solitus erat, constantia et facundia caussam oravit. Nam, quae inscripta pro Milone legitur Ciceronis oratio, postea scripta est: puto, ostendere cupiente oratore, non sua culpa, sed ob novam *Cicero Milonem defendit.*

Cap. XXXVIII Val. Max. 7, 8. et Cic. Philipp. 3, 6. et Acad. Quaest. 4, 28. Ascon. Cap. XXXIX. Cic. Phil. 2, 5. Ascon. Plut. Cic. Dio. Cic. pro Mil. c. 1. Plut. Ascon.

U. c. 700. A. C. 52. judiciorum faciem, variosque terrores, deterius defensum reum fuisse.

Clamor Clodianorum. XL. Nam, clausis tota urbe tabernis, immensa vis populi accurrerat: et dicere incipientem horribili clamore Clodiani terruerunt, ne militum quidem circumstantium metu cohibiti. Ergo, Pompeji jussu gladiis eductis, quosdam, nec ut sauciarent, sed lato ferro percusserunt: deinde, quum eo facto magis etiam incensa vulgi petulantia, velut in re ludicra, convicia pro verberibus regereret, vulnerati complures a militibus, quidam etiam interfecti sunt. Hic metus tranquillum de cetero judicium praestitit. Caussa utrimque dicta, quum accusator et reus ex numero judicum quinos senatores, totidem equites, et tribunos aerarios rejecissent, unus et quinquaginta sententiam tulerunt: absolverunt tredecim; ceterorum omnium suffragiis damnatus est. Quidquid de vulnerato Clodio fuisset, occisum jussu Milonis constabat: ejusque notam audaciam reprimendum videbatur: praesertim quum in ipso etiam judicio non remitteret spiritus, tonsus nitidusque, sicco vultu, constanti voce susque deque periculum suum habere visus. Ferunt tamen, Catonis palam lata sententia eum esse absolutum, idque si fuisset aliquanto maturius factum, non fuisse defuturos putant, qui exemplum sequerentur.

Milo, pluribus judiciis damnatus. XLI. Damnatum autem opera maxime Ap. Claudii pronunciatum est: a quo et lege ambitus apud Torquatum postero die postulatus, damnatus est absens. ceteris etiam judiciis, pluribus enim factus reus fuerat, tristem abstulisse sententiam reperio; de sodalitiis apud M. Favonium; de vi, apud L. Fabium.

Massiliam in exsilium abit. XLII. Igitur intra paucissimos dies Massiliam exsilii caussa profectus est. Ubi, quum orationem Ciceronis, quae postea conscripta est, missam ad se legeret, dixisse dicitur; *Bene, quod ita non sum defensus in judicio: nunc enim tantos mullos Massiliae non ederem.* Bona damnati propter aeris alieni magnitudinem semuncia venierunt. sestertium enim debuisse dicitur septingenties, quod ad summam accedit nostratis pecuniae vicies centena thalerorum imperialium millia: adeo

Cap. XL. Dio. Ascon. Cic. pro Mil. c. 34. Plut. Cic. Ascon. Vell. Cap. XLI. Ascon. Cap. XLII. Dio. Ascon. Plin. 36, 15.

ıovum non eſt, ut plures summae fortunae speciem lienis, quam suis, facultatibus suſtineant. U. c. 700. A. C. 52.

XLIII. Poſt Milonem M. Saufejus M. F. poſtulatus ſt, qui dux expugnandae apud Bovillas tabernae, occidendique Clodii fuerat. Ille tamen, licet pejor ejus auſſa, quam Milonis, eſſet, bis adductus in judicium, emel lege Pompeja, iterum Plautia de vi, quam tum quaeſtionem M. Considius exercebat, absolutus eſt. Damnatione Milonis satisfactum erat publicae indignaıoni, locusque iterum apertus inveterato hominum n Clodianam improbitatem odio. Igitur et Sex. Clolius, qui auctor inferendi in curiam cadaveris fuerat, nagno consensu damnatus eſt. Alii praeterea multi cauſſis diversis eamdem sortem subierunt: ex quibus naxima pars Clodianorum fuit, propter incendium curiae. quo crimine Plancus etiam Rufusque, simul poteſtate abierunt, condemnati sunt. Rufum alius Rufus damnavit, M. Coelius orator: Plancum nobilior adhuc orator, M. Cicero, iratus ab eo se oppugnari, quem defenderat. *Clodiani multi damnantur.*

XLIV. Sed id quidem judicium omnino singularis exempli fuit. Quippe Pompejus, legum, quas ipse tulerat, subversor, ut eriperet reum, incredibili contentione incubuerat. Sed accusatoris diligentia, et constantia judicum, superior potentiſſimi viri ſtudiis fuit. Jam primum M. Cato, quum miſſa a Cn. Pompejo laudatio legeretur, obturatis auribus, recitari prohibuit: indignans legem tam recentem, et ab ipso auctore, violari. Et, quamquam rejectus a reo, praeudicio laedebat: quod virum juſtiſſimum nemo rejecturus, niſi nocens, videbatur. Praeterea quia jam damnata in Q. Rufo eadem cauſſa fuerat; judices, ne servi eſſe Pompeji dicerentur, contra tantas opes ejus, a quo ipsi lecti erant, reum condemnarunt. *Pompejus legum suarum subversor.*

XLV. In ambitus quoque judiciis notata Pompeji iniquitas et inconſtantia fuit. Duo, competitores Milonis qui fuerant, Q. Metellus Scipio, P. Hypsaeus, poſtulabantur. Hypsaeus egreſſum balneo Pompejum, prostratus ad pedes, quum rogaſſet; reliquit jacentem, hoc tantum responso: *Nihil eum aliud agere, quam ut convivium ſuum moraretur.* Sic ille quidem damnatus eſt. *Iniquus et inconſtans.*

Cap. XLIII. Ascon. Dio. Val. Max. 4, 2. 7. Cic. ad Fam. 5, 2. Cap. XLIV. Tac. 3. Ann. 28. Dio. Plut. Pomp. et Cat. Dio. Cap. XLV. Plut. Pomp. Dio. Appian. Plut.

U. c. 700. A. C. 52. At pro socero suo Scipione venire in forum, et coram rogare judices non erubuit, veste quoque mutata: quod et nonnulli judicum imitati sunt. Id ubi Memmius vidit, (is spe secundum legem Pompejam recuperandi, quae damnatus ipse nuper amiserat, Scipionem accusabat) reipublicae statum invidiose miseratus, accusatione destitit. Erat ea res quum per se parum probabilis; tum etiam, inter tot illustrium virorum ruinas, magis eminebat impunitas unius. Multi enim et alii per idem tempus damnationem passi erant, et inter hos M. Scaurus. Pro Scauro quum populus deprecaretur, per praeconem Pompejus edixit, *judicum sententiam exspectari oportere.* deinde, quum sic quoque accusatoribus molesta multitudo esset, Pompejani milites immissi, audacissimo quoque interfecto, ut damnari tuto reus posset, effecerunt.

Pompejus collegam adsumit.

XLVI. Quum inter haec anni pars magna praeterlapsa esset, Pompejus socerum suum Scipionem mense Sextili collegam in reliquum tempus consulatus adsumpsit. Is Scipio Corneliae gentis erat, P. Nasicae filius: sed adoptione Q. Pii transierat in Metellorum domum. eoque interdum quolibet istorum nominum, et, quoties plura exprimerentur, Q. Caecilius Q. F. Metellus Pius Scipio vocabatur.

Pompejo prorogantur provinciae.

XLVII. Quum haec ita essent a Pompejo gesta, ut, exceptis, quae retulimus, virtute illius res urbanas, vel inimicorum testimonio, commodiorem in statum perveniisse constaret, prorogatae sunt ei in aliud quinquennium provinciae; et stipendii ducenties quadragies in singulos annos attributum. Nec puduit eum accipere, quum sub idem tempus ex senatusconsulto de provinciis legem ferret, non ante quintum a gesto magistratu annum cuiquam decernendis.

Leges tantum invalidos constringunt.

XLVIII. Scripserat et de comitiis legem, *ne cujus absentis ratio in petendo magistratu haberetur:* sed, quum ea res amicos Caesaris mirifice offenderet, addidit: *praeterquam si quis nominatim exceptus esset.* Igitur, ut fit corrupta republica, legibus invalidi tantum coërcebantur; potentium cupiditates nullis adstrictae vinculis erant. et Pompejus, quae optabat, sumebat;

Cap. XLV. Plut. et Appian. Dio. Appian. Cap. XLVI. Plut. Pomp. Appian. Dio. Cic. ad Fam. 8, 8. Cap. XLVII. Plut. Caes. de B. Gall. 7, 6. Plut. et Dio. Cap. XLVIII. Sueton. Caes. 28. Dio.

neque Caesar deerat sibi, quo minus opum suarum securitati prospiceret. U. c. 700. A. C. 52.

XLIX. Qui nuper erant Pompeji legibus damnati, quum exsulare cogerentur, ad Caesarem confugerant; ipsumque peti iisdem illis caussibus inculcabant. Caesar, uti solebat, illorum voluntate magnis congiariis auctorata, de Pompejo quidem honorifice loquebatur: ceterum per amicos cum tribunis plebis agebat, *ut absenti sibi petere consulatum liceret.* In ea tota caussa talem se Pompejus gerebat, ut simulare magis amicitiam cum Caesare, quam praestare, videretur. Nam in senatu, quum M. Cato, perpetuus legum defensor, venire Caesarem ad comitia juberet, restitit aliquando Pompejus, amicisque Caesaris, eximia viri merita respici orantibus, adsensit. Sed, acrius instante Catone, tamquam argumentis victus, conticuit. Obtinuit tamen Caesar, quod petierat, inter ceteros Cicerone adjuvante, qui M. Coelium ei adjunxit, tribunum plebis, etiam a Pompejo rogatus. Igitur ea de re ad populum a decem tribunis plebis concorditer latum est. *Caesar absenti sibi petere consulatum licere postulat.*

L. Quum ita crebritate judiciorum et novis legibus omnia streperent, Q. Scipio consul censoriam potestatem, abrogata Clodia lege, restituit; haud magna utilitate civitatis. Quia enim proximis annis, sublata animadversione censoria, multi et in senatorio et in equestri ordine maculosi homines manserant, quos simul aggredi periculosum, relinquere turpe erat futurum; quanto quisque prudentior vir erat, tanto magis a petitione honoris ejus abhorrebat. Sed et auctor restituendae censurae talis erat, ut vix exsistere posset alius nota dignior. Sub idem enim tempus ad Gemellum tribunitium viatorem in convivium venit, a quo et tribuni quidam (haud dubie illi, quos Scipioni favisse supra ostendimus) invitati fuerant. In eo convivio Gemellus Scipioni et tribunis duas illustres matronas, a patribus et viris abductas, itemque nobilem puerum Cn. Saturninum, nefarie prostituit. *Censoria potestas restituta.*

LI. Interea Caesar, quum et motus urbanos satis ex sententia sua compositos accepisset, et crebris suorum nunciis excitaretur, in Transalpinam Galliam ex *Gallorum rebellio.*

Cap. XLIX. Appian. Sueton. Caes. c. 27. Appian. Plut. Liv. Epit. Sueton. Caes. c. 28. Appian. Cic. ad Att. 7, 1. 3. Cap. L. Dio. Val. Max. 9, 1. Cap. LI. Caes. de B. Gall. l. 7.

U. c. 700. A. C. 52. Italia profectus est. Galli, Caesarem civilibus discordiis distineri putantes, propemodum universi rebellaverant, Carnutibus Arvernisque auctoribus. Genabi (nunc Aurelianum appellant) Romani negotiatores a Carnutibus interfecti sunt. Arvernos, deinde horum ope Senones, Parisios, Pictones, aliosque complures populos Vercingentorix commovit. His deinde continuo Biturigas adjunxit, cum parte exercitus in fines illorum profectus. Nam a Romanis defendi nequiverant: et ab Aeduis, qui cum exercitu eo venerant, metu an perfidia incertum, omissa res, reductaeque domum copiae fuerant. Etiam Lucterius Cadurcus, a Vercingentorige missus in Ruthenos, eam civitatem, praetereaque Nitiobriges et Gabalos conciliaverat, et erumpere in provinciam Romanam cogitabat.

Vercingentorigis gesta.

Et Caesar occurrit.

LII. Idcirco Caesar nihil antiquius habuit, quam ut Narbonem, Tolosamque, et reliquas circa urbes confirmaret, praesidiisque opportune dispositis, hostem submoveret. Id ubi feliciter et cito effectum est, Cebenna monte transito, in fines Arvernorum pervenit: majore terrore hostium, quanto improvisior adventus fuerat. Quippe durissimum erat anni tempus, quo tantis tegi nivibus Cebenna solet, ut vix expeditis et singulis eo tempore anni sit superabilis.

LIII. Quod tamen nondum satis ad bellum virium habebat, biduo moratus, quo Vercingentorigem ex Biturigibus attraheret, summa celeritate Viennam, deinde per fines Aeduorum in Lingones contendit. Inde ad reliquas legiones misit, atque ita, ex distantibus hibernis contracto exercitu, Vellaunodunum movit; iter aperturus in Bojorum fines, quorum oppidum Vercingentorix oppugnabat. Vellaunoduno Senonum intra triduum recepto, Genabum exercitus ducitur.

Genabum expugnat.

LIV. Genabenses, quod diutius ad Vellaunodunum pugnatum iri putaverant, imparati ad resistendum, noctu trans Ligerim tentarunt fugam: sed Caesar duas legiones, quas paratas in hunc usum tenuerat, incensis portis, intromittit: oppidoque occupato, paucis elapsis, ceteros omnes redegit in potestatem, quod angu-

Cap. LI. Dio, l. 40. Plut. Caes. Oros. 6, 11. Flor. 3, 10. Liv. Epit. Caes. Cellar. Geogr. Ant. l. 2. c. 1. Caes.

anguſtiae pontis et itinerum fugam morabantur. Oppido propter crimen occisorum civium Romanorum incenso, praeda militibus conceſſa, Ligerim Caesar transducit exercitum in Biturigum fines. U. c. 700. A. C. 52.

LV. Noviodunum in ea via situm erat. quod oppidum quum dederetur, jamque pars obsidum eſſet tradita, Vercingentorix adfuit; qui, Caesaris audito adventu, Bojos oppugnare omiserat. Hujus procul viso equitatu, Bituriges, Noviodunі incolae, denuo clauserunt portas. Interea Caesar, equeſtri proelio commiſſo, poſtquam suos urgeri videt, Germanos equites circiter quadringentos, quos habere semper circum se consueverat, impetum facere jubet. ab his Galli funduntur fuganturque. Oppidani, eventu pugnae conspecto, auctores recipiendorum armorum vinctos adduxerunt ad Caesarem, seque ei dediderunt. Inde Caesar Avaricum movit, tum quoque Biturigum caput; quorum de nomine poſtea *Bourges* appellatum eſt. *Noviodunum deditione capit.*

LVI. At Vercingentorix, convocato suorum consilio, *non eſſe aliam ſpem victoriae*, docet, *niſi ut inopia pabuli frumentique Caeſar maceretur. id autem obtineri nullo pacto poſſe, donec ſtent tot oppida, quae nec defendi omnino queant, et ſint quaſi totidem Romanorum horrea, unde, ut quodlibet eorum ceperint, in multos dies alimenta ſumant.* Ita persuasum eſt Gallis, ut non modo vicos et agreſtia aedificia, sed etiam oppida sua, ultro incenderent: quorum uno die tantummodo in Biturigum civitate amplius viginti deleta sunt. Avaricum tamen ne cremaretur, Biturigum precibus datum eſt, dissentiente primo, deinde concedente Vercingentorige: majore tamen praesidio delectorum muniri placuit. *Galli sua ipsi oppida incendunt.*

LVII. Interim Gallicus equitatus, incensis aedificiis, Romanos inopia rerum neceſſariarum premere satagebat, et frumentatum pabulatumve euntibus insidiabatur. Sed Caesar, tametsi his incommodis non leviter fatigabatur, ſtrenue oppugnationem urgebat. Ceterum a magno hominum numero, situ atque opere munitum oppidum haud aegre defendebatur. donec immenso labore militum diebus quinque et viginti agger factus eſt, pedes trecentos triginta in latitudinem patens, erectus in altitudinem pedum octoginta. Sed et hunc suffoſſum cuniculo succenderunt Galli; et, eruptione facta, cum Romanis, a tertia vigilia usque ad redditam lucem, conseruerunt manus. *Cum Caesare ad Avaricum pugnant.*

U. c. 700. A. C. 52. *Mira Gallorum audacia.*

LVIII. Neque praetermiserim, quod a se visum Caesar memoriae tradendum putavit. Ut maximam Romanorum turrim incenderent Galli, per manus sevi ac picis tradebant glebas, quas acceptas, qui proxime ardentem jam ignem stabat, ad augendum incendium injiceret. Sed hic scorpione a turri ictus concidit. ergo jacentem transcendit alius, ut idem munus perficeret. hunc etiam telo dejectum excepit tertius, et tertium quartus: neque vacuus ille relictus est locus, priusquam omni ex parte finis pugnandi fieret.

Avaricum expugnatur.

LIX. Quum a Romanis defensa opera essent, propugnatores consilio Vercingentorigis relinquere locum voluerunt. Sed feminarum conclamatione atque etiam vocibus prodita Romanis fuga est: ut, qui misericordia suorum non potuerant, saltem suo periculo absterrerentur. At ea res omnibus exitio fuit. Sequenti enim die, quum exorta pluvia Romanos ab oppugnatione in castra reverti coëgisset, Gallique, velut defuncti periculo, domos abirent, Caesar dispositas legiones subito vim facere ad muros jussit. Ita quum vineae, quas in occulto habuerat expeditas, celeriter admoverentur; et hostilium machinarum amenta nervique pluvia resoluti languerent, oppidum vi captum est: homines, citra discrimen sexus aetatisque, caesi. De quadraginta millibus vix octingenti ad castra, quae in proximo, sed locis tutis, Vercingentorix habebat, evaserunt.

Caesaris strategema in transeundo flumine.

LX. Inde Gergóviam itum est, in altissimo monte positum Arvernorum oppidum. Sed amnis Elaver prius erat transeundus, cujus pontes omnes Vercingentorix abruperat: et, ne transeundi spatium Caesari concederet, ab altera semper ripa e regione Romanórum castra metabatur. Tandem Caesar, silvestri loco positis castris, postridie cum viginti cohortibus occultus eodem loco substitit: ceteras copias cum impedimentis, quemadmodum prioribus diebus omnibus facere consueverat, dimisit. Hostes, movisse cum toto exercitu Caesarem arbitrati, suo more insequuntur. Ut enim falleret, non totas legiones, sed quartas quasque cohortes, retinuerat: ita constabat legionum numerus; et, diductis ordinibus, species prioris multitudinis non aegre efficiebatur. Ita Caesar, digressis

Cap. LIX. Oros. Caes.

ıoſtibus, subitario opere pontem refecit, militesque ransduxit; eademque nocte progreſſas reliquas co- ıias revocavit. U. c. 700. A. C. 52.

LXI. Quintis deinde caſtris ad Gergoviam ventum: ıodemque ſtatim cum omnibus copiis Vercingentorix cceſſit. Quum hic locorum ſitus eſſet, ut in plano ıaſtra metatum Caesarem ex superioribus locis Galli ılurimum infeſtare, Caesar viciſſim nocere iis nihil ıoſſet; collem e regione urbis situm, noctu dejecto ıraesidio Arvernorum, occupavit; unde ad cetera ıuoque caſtella urbemque ipsam aditum pararet. Sed ıum ab hoc conatu sollicitati a Vercingentorige Aedui ıbſtraxerunt.

LXII. Auxilium ab his poſtulaverat Caesar, decem nillia. His ut praeficeretur ipse, fratresque ejus cum ıliis principibus ad Caesarem praemitterentur, Lita- vicus curaverat, Arvernorum partes animo proposi- toque amplexus. Hujus aſtu, iter facienti exercitui quidam, velut evitatis Romanorum insidiis, occurrunt; principes suos interfectos Caesaris juſſu nunciant: ipse convenientem fraudi orationem habet. Ita concitati milites continuo cives quosdam Romanos, qui una fa- ciebant iter, interficiunt: rem eam, dimiſſis tota ci- vitate Aeduorum nunciis, Litavicus vulgat: menda- cium de principibus occisis repetit: hortatur, ut vin- dictam quisque hoc exemplo sumat, quod exercitus jam edidiſſet. *Auxiliares Aedui deſiciunt a Caesare.* *Fraude ducis Litavici.*

LXIII. Haec ubi media fere nocte Eporedorix, quem interfectum Litavicus finxerat, ad Caesarem de- tuliſſet; permotus magnitudine rei ſtatim legiones qua- tuor omnemque equitatum eduxit, ut Aeduis in itine- re occurreret. Ubi in conspectum venerunt, equita- tu objecto, qui progredi eos vetaret, Eporedorigem et Viridomarum, quos illi putabant interemptos, ap- pellare suos jubet. Ergo Aedui, fraude Litavici co- gnita, projectis armis, fidei Caesaris se permiserunt. Litavicus cum clientibus Gergoviam profugit. Ad ci- vitatem Aeduorum nuncii de his rebus ab Caesare mit- tuntur. *Sed a Caesare recipiuntur.*

LXIV. Interea caſtra Caesariana totis viribus op- pugnaverant Galli, multosque Romanorum vulnerave- rant: putabanturque poſtridie redituri fuiſſe, nisi ce- leri reditu imperatoris eſſent ab hac spe dejecti.

U. c. 700. A. C. 52. *His cognitis Aeduorum civitas fluctuat.*

Sed Aeduorum vulgus, et qui Gallicarum partium inter principes erant, partim temeritate, alii ne esset sibi dicenda proditionis caussa, ad primum a Litavico nuncium cives Romanos occidere, bona diripere, alios. qui se defendebant, oppugnare atque obsidere coeperant. Mox, ubi suos milites teneri a Caesare didicerunt, ut hos recuperarent, decretum fecerunt, *ut de bonis direptis quaestio haberetur: Litavici et fratrum bona publicarentur: legati satisfactum Caesari mitterentur.* Caesar legatis benigne respondit, ne alieno tempore potentissimam civitatem irritaret. Nam, desperata Gergoviae expugnatione, quemadmodum citra dispendium exercitus aut famae discederet, cogitabat.

Caesar a Gergovia prope capta rejicitur.

LXV. Attamen inter eas cogitationes aliquando hostium castra propemodum vacua conspicatus, quod ii ad certum communiendum locum milites eduxerant, parum a capiendo oppido abfuit. Nam celeri impressione tria hostium castra cepit: prosequentibus victoriam spe praedae Romanis, nonnulli muros oppidi conscenderunt. Sed propter summam iniquitatem loci, quemadmodum Caesar praeviderat, facile rejecti detrimentum acceperunt: centurionibus sex et quadraginta, manipulariumque promptissimis amissis circiter septingentis. Caesar, hoc accepto incommodo, castigatisque simul atque in posterum confirmatis militibus, id tantum moratus, donec timoris opinionem repelleret, instructa acie copiam pugnandi hostibus per triduum fecit. Deinde, quum a Vercingentorige tantum equitatus emissus, isque levi proelio iterum repulsus esset, quemadmodum constituerat, obsidione relicta, profectionem in Aeduos instituit.

Aedui publice desciunt.

LXVI. Quum ad flumen Elaver venisset, Eporedorix et Viridomarus commeatum petunt: *intelligere se, ad commovendam civitatem Litavicum cum omni equitatu in Aeduos profectum; opus esse sua praesentia, ut in fide contineant cives.* Ita dimissi, postquam Noviodunum venerunt, ad Ligerim positum Aedui nominis oppidum aperte desciverunt: nunciis suorum et praesente praeda incitati. Quippe Noviodunum Caesar obsides e tota Gallia, frumentum, pecuniam, impedimentorum partem, et coëmptos in Italia ac Hispania equos contulerat. Igitur, comperto, Litavicum Bibracte, praecipuae potentiae oppido, receptum; et principes civitatis ad illum venisse; publico nomine legatos ad

Vercingentorigem mitti: occisis, qui Novioduni erant, Romanis, equos et pecuniam inter se dividunt; obsides deducendos Bibracte curant; oppidum incendunt; commeatus, quod asportare non poterant, in flumen projiciunt. Quum ita omne nomen Aeduum defecisset, prorsus redintegratum bellum videbatur: quod victorias Caesaris et detrimenta Gallorum his adjuncta opulentissima civitas haud difficulter adaequabat. U. c. 700. A. C. 52.

EPITOME
LIBRI CENTESIMI OCTAVI.

C. Caesar Gallos ad Alesiam vicit, omnesque Galliae civitates, quae in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius, quaestor M. Crassi, Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit. In pe-

C. Caesar Gallos ad Alesiam vicit] Sic item Caesar ipse in Comm. Diod. Siculus, Strabo, Vellejus, Dion Cassius, Polyaenus, et Orosius. Sed *Alexiam* in Norv. et editt. Aler. Sig. Vineti, atque Gruteri. Nec aliter Metaphrastes Caesaris, et Florus; quamvis etiam hic vetustis editt. *Alesiam* prae se ferat. *C. M. Nobilissimus. Salex. M. P. M.* in inscriptione quadam, a Cl. Reinesio edita Cl. 2. num. 15. cujus indicio *Alexia* notatur, ultima litera praecedentis vocis describentis oscitatione perperam repetita. V. Cellarii Geogr. Ant. vol. 1. p. 135. HEARNIUS. *Alexiam* Leid. Voss. Berg. Boend. et edd. ante Gronovium, qui anno 1665. *Alesiam* reposuit, auctores ab Hearnio memoratos secutus. Eam autem veriorem scribendi rationem esse, monuerunt viri docti ad Vell. Paterc. 2, 47. Caesar. 7. Gall. 68. et 69. Flor. 8, 10, 23. et Fabric. ad Oros. 6, 11. qui ex Diod. Sic. 4, 158. docent, Herculem *Alesiam* adpellasse ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν στρατίαν ἄλης, eamque etymologiam non *Alexiam*, sed *Alesiam*, probare. Praenomen Caesaris exsulat a Boend. et ed. Camp. Sed vide ad Epit 62. *Cum Cn. Caesar Gallos ad Alesiam vicerit, omnes Galliae civitates* praefert Berg.

C. Cassius, quaestor M. Crassi] *C. Cassius* Boend. *Cn.* vel *C.* vel *Gajus Caesius* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithoei, Norv. omnesque typis descripti usque ad Frob. qui recte *C. Cassius* emendavit. Ita enim vocatur Plutarcho in Crass. p. 554. Appian. in Parth. 149. Dion. Cass. 40, 132. et 133. Vellej. Pat. 2, 44. aliisque. Praeterea *G. Crassi* Voss. *C. Crassi* Lov. 2. et Exc. Pithoei. Mox *in Syriam transierat* Voss. Sed vide ad Epit. 104. Praeterea *occidit*, pro *cecidit*. Leid. Vide ad 36, 36, 6.

Consulibus Ser. Sulpicio et M. Marcello] Gud. *Ser. Sulpicio, M. Marcello.* J. FR. GRON. Similiter Leid. Voss. Lov. 2. et Boend. Paullo ante *M. Cicero*, pro *M. Cato*, perperam Leid.

Contentiones inter consules de successore C. Caesari mittendo] *continet inter consules* Leid. Voss. Berg. Boend. Norv. et edd. principes. *contentionem inter consules* Lovel. 2. et ed. Parm. Quod nunc exstat, primum apud Aldum inveni. Praeterea *C. Caesaris* Leid. Voss. Berg. Boend. et ed. Campani. Idem error in nonnullis editt. infra committitur Epit. seq. Mox *agente in senatu Marcello* si-

titione consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis consulibus Ser. Sulpicio, M. Marcello. C. Caesar Bellovacos cum aliis Gallorum populis domuit. Praeterea contentiones inter consules de successore C. Caesari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Caesar ad petitionem consulatus veniret, quum is lege lata in id tempus consulatus provincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo in Syria gestas continet.

ne praenomine Leid. Berg. et Lov. 2.

Veniret, quum is lege lata in id tempus consulatus] Ocius dele *to id*, et scribe *in tempus consulatus*, hoc est, in solidum decennium. Ipse lib. 3. de Bello Civ. [1.] *Dictatore habente comitia Caesare, consules creantur Julius Caesar et P. Servilius. is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret.* Fortassis: *consules creantur ipse et P. Servilius. is enim erat annus, quo per leges eum.* Gud. minor etiam *ad petitionem consulatus rediret.* J. FR. GRON. Novem haec vocabula desunt in Voss. sed errore librarii, cui peccandi ansa fuit vocis *consulatus* repetitio. V. ad 9, 11, 11. *rediret*, pro *veniret*, etiam Leid. Mox *gestas in Syria* Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Gronovium, qui anno 1665. *in Syria gestas* dedit, consentientibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. 104.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER LXXIII.

IN LOCUM LIBRI CVIII. T. LIVII.

U. c. 700. A. C. 52.

Labieni periculum.

I. Quum inter haec Labienus, relicto Agendici praesidio, cum legionibus quatuor Lutetiam Parisiorum occupare statuisset; dispersa celeriter omissae ad Gergoviam obsidionis fama, defectionisque Aeduorum, magnum ei periculum praeter exspectationem creavit. Nam, praeter finitimas civitates, quae, Camulogeno Aulerco duce, magnas copias paraverant, ab alio latere Bellovaci, quorum praecipua erat inter Gallos virtutis opinio, repente desciverunt. Idcirco Labienus, omisso longius progrediendi consilio, quemadmodum copias incolumes Agendicum reduceret, agitabat. Sed huic proposito duo maxime obstabant, Sequana, magnum flumen, et, qui cum Camulogeno erat, hostium exercitus. Audendum erat tamen, quod esset spes omnis in celeritate posita: et, si cunctaretur, plures difficultates majoraque pericula adfutura apparebat. Transductis nocte copiis, quum hostes prohibituri serius advenissent, signis collatis dimicatum est. Romani magna caede hostium, duce etiam oppresso Camulogeno, ferro aperuerunt iter. profectusque Agendicum Labienus, inde cum omnibus copiis ad Caesarem pervenit.

Vercingentorix Gallorum imperator.

II. Interea vocatus ab Aeduis Vercingentorix ad communicanda consilia venerat: et, quia de summa imperii controversia erat ab Aeduis mota, totius Galliae concilium Bibracte indictum est. Ibi consensu omnium Vercingentorix imperator constitutus, equitum millia quindecim contrahit: ut frumentationibus pabulationibusque Romanos arceret. In Allobrogas, itemque altera ex parte in Helvios aliosque Caesaris socios copias mittit, quae his bellum inferant.

Cap. I. Caes. de B. Gall. 7. Dio, l. 40. Caes.

III. Caesar, interclusis omnibus in provinciam et Italiam itineribus, adversus Gallicum equitatum auxilia Germanorum, trans Rhenum colentium, evocat ab iis civitatibus, quas superiore anno pacaverat. Hi, ubi cum delectis peditibus una proeliari solitis adfuerunt, quod equos parum idoneos habebant, Caesar iis sumptos a tribunis militum equitibusque Romanis distribuit: et, quo provinciae facilius opem ferre posset, in Sequanos per extremos Lingonum fines proficiscitur. Haec agenti supervenit cum ingentibus copiis Vercingentorix: et, quum tribus locis equestri proelio dimicatum diu fuisset, tandem virtute Germanorum vincit Caesar; multisque hostium interfectis, principibus aliquot captis, Vercingentorigem, ad Mandubiorum oppidum Alesiam cedentem, insequitur.

U. c. 706. A. C. 52. *Vincitur equestri proelio.*

IV. Sed principium ejus pugnae durum Romanis fuerat: suspenderuntque Arverni in sanctissimo templo gladium, quem de Caesare tum captum dicebant. Feruntque postea Caesarem, conspecto eo, adrisisse, amicisque, detrahi jubentibus, non paruisse, quod sacrum illum esse duceret. Quin et in ephemeride sua praedicasse Caesarem accepimus felicitatem suam, quod captum in proelio Gallus, quum in equo portaret, dimiserit, propter occurrentis alterius Galli vocem, insultantis Caesari, eaque verba (Latine credo) proferentis, quae Gallorum lingua dimitti Caesarem juberent.

Nec sine periculo Caesaris.

V. Ad Alesiam deinde iterum equestri proelio certatum est; ubi par Germanorum virtus Caesari victoriam denuo dedit. Ergo Vercingentorix, postquam equitatum suum Germanis imparem videt, simul frumenti paucis diebus inopiam veritus, priusquam a Caesare circumvallaretur, equites omnes a se dimittit: mandato, ut suam quisque civitatem excitaret, et omnes, qui ferre arma possent, praesto esse cogeret. Ipse cum delectis octoginta millibus ad urbem defendendam substitit: et, quo tantae multitudini diutius alimenta suppeterent, Mandubios, qui oppido suo eos receperant, cum liberis et uxoribus exire coëgit. Sed illos Caesar, quum ultimis precibus in servitutem recipi orarent, non admisit: ita, inter urbem ac castra

Vercingentorix Alesiam defendit.

Cap. IV. Plut. Caes. Serv. ad Aen. 11. v. 743. Cap. V. Dio. Plut. Liv. Epit. Oros. 6, 11. Flor. 3, 10. Vell. 2, 47. Caes. Dio.

U. c. 700. A. C. 52.

conclusi derelictique, miserabili morte consumpti sunt.

Galli succurrunt obsessis.

VI. Interea Galli, audito, quo apud Alesiam loco res esset, non, uti Vercingentorix censuerat, omnes puberes, sed certum e civitatibus numerum, contrahunt: equitum circiter octo millia, peditum ducenta quadraginta. Postquam hic ad Alesiam exercitus venit, rursum equestri proelio certatum est. neque tum etiam Germanis resistere Galli potuerunt. Igitur prope desperationem adducti hostes eruptionem tentare statuerunt: dum eodem tempore munitiones Romanorum a ceteris oppugnantur. Sed ea fuit Caesaris ad omnia consilii celeritas, eaque peritia, ut quoslibet hostium conatus efficeret irritos.

Vercingentorigis deditio.

VII. Quum, interfecto maximo Gallorum numero, reliquos e conspectu abstulisset fuga; convocato suorum concilio, Vercingentorix, *omnia se bona fide fecisse*, demonstrabat, *quo publica libertas sarta tecta foret. sed, quoniam vi vincantur, offerre se corpus suum ad utramlibet conditionem, sive morte sua satisfacere Romanis, sive dedere vivum malint.* Quum deditio placuisset, sumptis speciosissimis armis eximioque equo, venit in castra Caesaris, sedentemque circumvectus, dimisit equum; phalerisque et armis ante victoris genua projectis, eodem et ipse accidit, nulla voce edita, sed gestu supplex. Caesar, commemorato, quantis suis beneficiis quam malam ille gratiam retulisset, in vincula conjici jussit, triumphoque servari.

Galli, praeter Bellovacos, pacem petunt.

VIII. Omnibus deinde civitatibus, exceptis Bellovacis, de pace mittentibus legatos, res ex suo usu composuit: Arvernisque et Aeduis, ut potentissimas civitates praecipuo beneficio adstringeret, viginti millia captivorum reddidit, quum ex aliis populis singula capita, toto exercitu, praedae nomine divisisset. Propter has res a Caesare gestas Romae supplicatio dierum viginti decreta est.

Cassius Parthos vincit.

IX. Sub idem tempus irrumpentes in Syriam Parthos C. Cassius, qui M. Crassi quaestor fuerat, feliciter repulit. Hic adhuc vivo Crasso delatum sibi in Mesopotamia imperium, nec receptum, post mortem imperatoris necessario receperat: Antiocho quodam

Cap. VI. Caes. Cap. VII. Polyaen. Strat. l. 8. Caes. Plut. et Dio. Cap. VIII. Caes. Liv. Epit. Caes. Cap. IX. Liv. Epit. Vell. 2, 46. Dio.

concitante Syriam, et Parthis quasi nudatam duce et exercitu provinciam incurrentibus. Sed ea ipsa fiducia salutí Romanis et Syriae fuit. Quippe velut ad facile bellum modica cum manu Parthi venerant: unde major militibus animus accessit; Cassiique diligentia et virtute rejectus cum clade hostis est: Antiochus interfectus. Sub idem tempus e Graecia nunciatum est, inter ipsa solemnia ludorum, Olympii Jovis statuam, admirandi operis, fulmine petitam percussamque esse. U. c. 700. A. C. 52.

X. Hic etiam annus consulatus tres candidatos habuit: sed, quanto meliores viri erant, tanto civilius magistratum petebant. Ser. Sulpicius Rufus, M. Claudius Marcellus erant: quibus tertius accesserat M. Cato, non honoris cupidine, sed reipublicae cura, adductus ad petendum. Eo enim procedi videbat, ut Pompeji Caesarisque supra modum auctae opes, sive concordes opprimerent rempublicam; sive dissidentes bellis civilibus involverent. Ut igitur nimiam horum potentiam destrueret, quia privatus frustra contenderat, consulatu sibi opus esse rebatur. *Cato consulatum petit.*

XI. Nec tamen irascebatur competitoribus: et, quum taxari Sulpicium audisset, quod Catonis amicitia provectus ei tamen cedere recusaret, *Non est mirandum*, ait, *si, quod summum quisque bonum esse existimat, id alteri nolit concedere.* Senatui tamen persuasit, ut tolleret morem, quo propinqui et amici petitoris pro eo ambibant prensabantque; juberetque quemlibet candidatum per se tantum petere. Sed eam rem populus indignanter tulit, omne suum jus a Catone eripi questus: qui lucrum ex petitionibus nuper ademisset; nunc etiam, accisa rogandi populum consuetudine, honorem et gratiam. Idcirco, quum et amici Caesaris ac Pompeji populum ei inconciliarent, (semper enim mali viri diffidunt bonis) et Cato, minime factus ad ambitum, gravitate magis et integritate in petendo, quam precibus et blanditiis, uteretur, repulsam tulit: Sulpicius Marcellusque designati sunt; ille peritia juris, hic eloquentia, uterque comitate, favorem hominum meritus. *Sed repulsam fert.* U. c. 701. A. C. 51. Ser. Sulpicio, M. Claudio coss.

XII. Postquam hi consulatum iniverunt, C. Caesar, domitis subita impressione Biturigibus, deinde Carnutum gente, in Bellovacos venit. Cum his Ambiani, *Caesar Bellovacos aggreditur. Il-*

Cap. IX. Oros. 6, 13. Euseb. Chronic. et Praepar. Ev. l. 4. Cap. X. Plut. Cat. et Dio. Cap. XI. Plut. Dio. Liv. Epit. Cic. Bruto, c. 71. Cap. XII. Hirtius de B. Gall. l. 8.

U. c. 701. A. C. 51. *Ii se castris tenent.*

Aulerci, Calletes, Vellocasses, Atrebates conjunxerant copias, Correo Bellovaco et Comio Atrebate praecipuis ducibus: et locum paludibus silvisque munitum, et ad omnia opportunum, castris ceperant. Hos ut ad pugnandum eliceret Caesar, cum quatuor tantum, sed spectatae virtutis, legionibus in conspectum venit. Deinde, quum illi nihilominus loco se suo tenerent, et praeter levia certamina fieret nihil; quia neque castra hostium oppugnari sine maximo periculo, neque circumveniri a tam paucis poterant, C. Trebonium cum tribus legionibus arcessit, magnumque sociorum equitatum evocat, quem pabulatoribus praesidio mitteret. Ex eo numero Remi, Bellovacorum insidiis circumventi, Vertisconem principem civitatis, eumdemque praefectum equitum, cum magna multitudine suorum amiserunt.

Donec obsidionis metu coguntur proficisci.

XIII. Vicissim tamen Bellovaci, a Germanis equitibus fusi fugatique, quum etiam accedere cum novis copiis C. Trebonium legatum cognovissent, trepidare coeperunt: et, ne uno loco inclusa innumerabilis multitudo fame interiret, quidquid aetate aut viribus fessum, aut armis parum instructum aderat, cum parte impedimentorum statuerunt dimittere. Sed Caesar, animadverso hostium consilio, ad insequendum se parabat. huic rei ut moram adferrent Galli, tutioremque suis discessum praeberent, instructas et ipsi copias pro castris ostenderunt. Idcirco Caesar, per difficilia loca suis in jugum montis transductis, unde tela tormentorum pertingere ad hostium cuneos possent, castra ibidem posuit.

Eorum strategema.

XIV. At Bellovaci, quum neque discedere auderent, vicini hostis metu, neque diutius permanere sine cibariis possent, plenum calliditatis consilium capiunt. Mos erat Gallorum, ut in acie non starent instructi, sed sederent; quo minus ante proelium vires consumerentur. Tum etiam fasces stramentorum atque virgultorum, quorum summa erat iis copia, effecerant, quibus insiderent. hos per manus inter se traditos ante primam aciem collocarunt: et sub vesperam diei, quo tempore se recepturi erant, simul ab omni loco incenderunt. Quum sublatus maximus ignis esset, isque conspectum Gallorum Caesari adimeret, ille tamen, quid ageretur, solerti conjectura adseque-

Cap. XII. Oros. 6, 11. Dio. Hirt.

batur. Sed persequi fugientes, tanto objecto incendio, non poterat: et, ne forte alicubi in insidiis latent hostis, timebat. U. c. 701. A. C. 51.

XV. Bellovaci, hoc vaframento impune digressi, non longius inde millibus decem munitissimo loco castra posuerunt. Quum subsequutus Caesar esset, Galli, locorum adjuti peritia, crebra pabulatoribus damna inferebant. eo successu animosior Correus, delectis ex omni copia sex peditum millibus, cum equitibus mille, quo loco futurum putabat, ut Romani frumentandi caussa accederent, quod omnia circa jam desecta erant, in insidiis consedit. Campus erat haud amplius mille patens passus, quem impeditissimae silvae a ceteris partibus, ab una flumen altissimum cingebat. *Insidias Caesari struit Correus.*

XVI. Sed, e captivo quodam, Caesar, cognita fraude, insidiatorem suo astu petiturus, equitatum, interposita levi armatura, praemittit: ipse cum legionibus citato gradu subsequitur. Ubi primum in campo conspecti sunt equites, Correus, cum paucis occurrens, conserit manum: deinde plures, postremo pedites ex silvis erumpunt. Repugnant fortissime Caesaris equites, levis armaturae praesidio adjuti: donec crebris nunciis ipsi hostesque certiores facti sunt, Caesarem cum instructis legionibus adesse. Eadem res et Romanorum auxit, et hostium fregit animos: et, majore parte suorum amissa, Bellovaci in fugam se conjecerunt. sed irretiti eisdem locorum fraudibus, quas in exitium Romanorum delegerant, paucis exceptis, ceciderunt. *Sed in ipsum vertuntur.*

XVII. Dux eorum Correus, aeque fugam atque deditionem turpem ratus, fortissime proeliari non omisit. donec Romanos, qui vivum capere maluissent, vulnerando, tela in se conjicere coëgit. Hoc proelio debellatum: missique ad Caesarem oratores civitatum, obsides, quos ille imperaverat, adduxerunt. Pacatis omnibus aliis, solus Atrebas Comius arma retinebat, nulla resistendi spe, sed desperatione salutis, quia nemini se Romanorum audebat committere. Nam superiore anno sub specie colloquii petitus insidiis, auctore Labieno, vulnere accepto, vix evaserat. *Correo caeso, Bellovaci deditionem faciunt.*

XVIII. Caesar, eo bello confecto, in fines Eburonum proficiscitur, eosque crudelissime devastat: eo consilio, ut Ambiorigem, quem capi posse desperarat, in summum odium suorum adduceret, qui propter *Comius in Britanniam fugit.*

U. c. 701. A. C. 51. istius perfidiam tam atrocia paterentur. Sed Comium, in Britanniam fugientem, insequutus deprehendere non potuerat, egregio hominis astu delusus. Nam is, quum, ad Oceanum veniens, ventum quidem secundum, sed aestum recedentem invenisset, et in siccis aestuariis naves haererent, pandi nihilominus vela jussit. Ergo Caesar, quum eminus tumentia vento videret, jam in cursu esse putans, ne frustra periret sibi tempus, recessit.

In Pictonibus bellum ortum.

A Caninio et Fabio opprimitur.

XIX. Interea in Pictonibus Duracii atque Dumnaci discordia novum bellum ortum. Duracius, qui semper Romanarum partium fuerat, in oppido Limono obsidebatur. Igitur C. Caninius Rebilus, duabus, quas habebat, legionibus adductis, quum ad dimicandum haud satis firmas copias haberet, munito loco consedit. Sed Dumnacus, castris per aliquot dies frustra oppugnatis, quum rediisset ad obsidionem Limoni, certior factus de adventu C. Fabii legati, ne hinc ab exercitibus Romanis, inde ab obsessis invaderetur, Ligerim statuit copias transducere. Sed jam pontem C. Fabius occupaverat; isque, equitatu in nescios et ex itinere fessos immisso, magnam stragem edidit. Cedentem deinde Dumnacum insequutus ita profligavit, ut plusquam duodecim hominum millia conciderentur; Dumnacus, expulsus finibus, nudatus exercitu, errans, latitansque, in extremas Galliarum partes profugere cogeretur.

XX. Ad quinque ferme hominum millia ad Drapetem Senonem ex fuga convenerunt: cum quibus ille provinciam erat petiturus, adsumpto etiam Luterio Cadurco, summae audaciae viro. Igitur Romani duces, divisis partibus, C. Caninius in provinciam contendit, ut his occurreret: C. Fabius in Carnutes reliquasque civitates, quae auxilia Dumnaco miserant, impetum fecit. Atque illae, viribus accisis, terrore aucto, datis obsidibus, celeriter in deditionem venerunt.

Uxellodunum obsidio.

XXI. At Drapes et Luterius Uxellodunum, in Cadurcis munitissimum oppidum, occuparant. Eodem et Caninius cum duabus legionibus procedit, visque loci situ, tribus circa castris positis, paullatim munitionibus claudere oppidum instituit. Erat in animis omnium recens Alesiae calamitas: ideoque, ut rei fru-

Cap. XVIII. Frontin. Strat. 2, 13. Cap. XIX. Hirt.

mentariae ratio haberetur, Drapes et Luterius, modico in urbe relicto praesidio, ceteras copias frumenti comportandi caussa educunt. Id quum, castris intra decimum milliare positis, per angustas silvestresque semitas in oppidum importare coepissent, strepitu prodente, a Caninio sub ipsam lucem sunt circumventi. Luterius, qui cum frumentatoribus erat, cum paucis ita effugit, ut eorum nemo in castra reverteretur. Igitur Drapes, ignarus omnium, subito Germanis erruentibus, turbatur: multi occiduntur hostium: ceteri, atque imprimis ipse dux, capiuntur. Caninius ad obsidionem Uxelloduni redit: eodem et Fabius accedit postridie. ita pluribus ex partibus opera administrantur. U. c. 701. A. C. 51.

XXII. Interea Caesar, relicto in Bellovacis quaestore M. Antonio, Carnutes adiit: concitoremque belli Guturvatum supplicio adfecit. Cognita deinde crebris nunciis Uxellodunensium pervicacia, faciundum sibi statuit, ut ipse eo proficisceretur: ne, si unum oppidum diutius restitisset, universam Galliam ad vires iterum tentandas sollicitaret. *Eodem et Caesar accedit.*

XXIII. Postquam Uxellodunum Caesar venit, inspectisque omnibus, situm loci inexpugnabilem, frumenti copiam in longum tempus oppidanis suppetere, nec omitti rem posse, clauso operibus oppido, cognovit; unam spem victoriae in eo verti credidit, si aqua prohibere oppidanos posset. Et flumine quidem, quod imis radicibus montis ita ferebatur, ut nullam in partem derivari posset, per sagittarios funditoresque prohibere non erat difficile. ceterum sub ipsius oppidi moenibus fons magnus prorumpebat; quem adimi obsessis posse, quum reliqui tantum optarent, Caesar unus vidit, remque effectam dedit. *Et aquam prohibere instituit obsessis.*

XXIV. Namque ex adverso fontis vineas agi et aggerem strui jussit: et, quamquam ex superiore loco multi milites vulnerabantur, tanta tamen constantia fuit, ut agger sexaginta pedum altitudine efficeretur. In eo turrim erexit Caesar tabulatorum decem. ita non quidem altitudo moenium adaequabatur, quod nulli obtineri operibus poterat; sed tamen fontis fastigium vincebatur: telaque tormentis ad ejus aditum mitti poterant, ne sine periculo aquarentur. Eodem tempore cuniculi ad fontis caput aguntur: cujus rei

Cap. XXIV. Frontin. Strat. 3, 7.

U. c. 701. A. C. 51. oppidani nescii, tantum, quod ob oculos erat, malun formidabant.

Uxellodunensium eruptio.

XXV. Igitur, ut hoc averterent, cupas, sevo, pice ac scandulis repletas, et igne immisso, in opera Romanorum devolvunt. Ibi, quum ad prohibendum incendium concursum esset, acre proelium exstitit; quun Romanos virtus, oppidanos locus adjuvaret. Sed, ub multos suorum vulnerari Caesar vidit, ex omni parte scandi montem cum clamore jubet. Ita ad speciem oppugnandorum moenium Uxellodunenses, omisso proelio, revocant in oppidum armatos, et in circuitu mur disponunt: Romanus iniqua proelii conditione liberatur. In hoc statu, quum oppidani, licet multis sib pereuntibus, tamen resisterent, repente fons, qu solo utebantur, cuniculis interceptus exaruit. Ea res quod non humani consilii, sed Deorum ira accidisse putaretur, velut miraculo exanimavit hostes; deditionemque omni ope destitutis necessitas extorsit.

Caesar saevit in deditos.

XXVI. Caesar omnibus, qui arma tulerant, amputari manus jussit, vitam relinqui, ne poenam eorum ex conspectu reliquorum amoveret. Nec enim crudelitate, a qua plurimum abhorrebat, supplicium hoc irrogaverat, sed in exemplum, quo ceteri a rebellando retinerentur. Quum enim unam tantum habere imperii aestatem reliquam, eamque ipsam inimici cuperent eripere; nulla alia ratione rebatur obtineri, quam tantis laboribus quaesierat, pacatae Galliae famam posse.

XXVII. Consilium Caesaris solita ejus felicitas adjuvit. Sub idem tempus Luterius, qui novas concit re turbas potuisset, ab Epasnacto Arverno vinctus, Caesarem missus est. Drapes aliquot dierum inedia se confecit. Surus, virtutis et generis fama nobilis, qui solus Aeduorum arma retinnerat, in Treviris a Labieno captus est equestri proelio, quo et Treviri et Germani, Trevirorum socii, superati sunt. Tota Gallia pacata, quum nondum Aquitaniam adisset Caesar, sed per P. Crassum nonnullas civitates subegisset, eo profectus est, omnibusque legatos et obsides mittentibus Aquitania universa in fidem accepta, Narbonem rediit conventuque ibi habito, in Belgas abiit, ut Nemetocennae hibernaret.

Tota Gallia et Aquitania pacatur.

XXVIII.

Cap. XXIV. Hirt.

XXVIII. Ibi lubenter cognovit, ne quid deinde turbarum in Gallia metueret, etiam Comium Atrebatem in fidem venisse. Is enim, post factas sibi insidias ad ultionem semper intentus, occasione tandem reperta, arma posuerat. Nam C. Volusenus Quadratus, equitum praefectus, ad id colloquium, per cujus simulationem Comii mors petebatur, missus a Labieno fuerat. Igitur, quum hinc magnum inter eos odium intercederet, Volusenus, Comii saepe interceptis equitibus, postremo capiendi ipsius cupiditate, eum cum paucis vehementissime est insequutus. Ibi Comius, longe a suis abreptum videns, repente comitum invocat fidem, conversoque equo Volusenum petit: ceteri strenue sequuntur ducem: Romani, re improvisa territi, terga vertunt. Comius Quadrati medium femur lancea trajicit: praefecti vulnus Romanos pudore sistit. Ab his denuo vertuntur in fugam Galli.

U. c. 701. A. C. 51. *Comius Atrebas in fidem venit.*

XXIX. Hac re perpetrata, Comius, sive quod multos suorum amiserat, sive dolori suo satisfactum rebatur, legatos ad M. Antonium misit, imperata facturum pollicitus, dum ne Romani cujusquam in conspectum veniret. Antonius, ab justo metu proficisci postulata Comii ratus, obsidibus acceptis, veniam actorum omnibus, qui cum eo fuerant, et ipsi, quam petierat, vitandi Romanos facultatem concessit. Atque hic bellorum eorum finis fuit, omni Gallia cis Rhenum, atque inter mare mediterraneum et oceanum, nisi qua paludibus invia fuit, perdomita.

Pactus, ne veniret in conspectum cujusquam Romani.

XXX. Dum his rebus Caesar occupatur, M. Marcellus consul edictum proposuit, *de summa se republica acturum*: proximoque senatu de multis rebus contra Caesaris rationes retulit; maxime de provincia, quam ante diem Kalendas Martias jubebat terminari, Caesaremque ad petitionem consulatus venire. *Nam et, bello confecto, dimitti victorem exercitum debere: et absentis rationem comitiis non habendam: quia lege Pompeja, quo capite absentes honorum petitione submovebantur, ne Caesar quidem exceptus esset.* Namque Pompejus, quum Caesarem excipere nominatim debuisset, sive per oblivionem, seu consulto, Caesaris mentionem nullam fecerat: et de-

Marcelli consulis actiones contra Caesarem.

Cap. XXIX. Sall. Hist. 1, 2. Cap. XXX. Sueton. Caes. c. 28. Appian. Civil. l. 2. Dio. Hirt. Cic. ad Att. 8, 3. Liv. Epit. Sueton.

U. c. 701. A. C. 51.

mum, lege jam in aes incisa, et in aerarium condita correxerat errorem.

Civitatem adimit Novocomensibus.

XXXI. Item Marcellus de civitate Novocomensibus adimenda retulit, quam coloniam rogatione Vatinia Caesar deduxerat, per ambitionem et ultra praescriptum datam caussatus. Donata autem jure Latii Novum Comum colonia fuerat: quo jure quae erant coloniae, in iis qui magistratum annuum gessisset, eo ipso civitatem adeptus Romanam intelligebatur. Talem aliquem Marcellus nactus virgis cecidit; qua poena Romae civis Romanus nullus adficiebatur: jussitque Caesari vibices ostendere.

Pompeji machinationes contra Caesarem.

XXXII. Haec agenti Marcello, summâ ope Caesar per addictos sibi tribunos plebis et Ser. Sulpicium collegam Marcelli resistebat. neque plerisque ceterorum probabatur, alicui, priusquam tempus lege datum exisset, provinciam auferri. Sed et ipse Pompejus, qui, simulato ad Hispanienses exercitus itinere, tamen in Italia subsiterat, in eadem sententia fuit. Clam tamen intendit animum, ut exarmaret Caesarem, et statim, atque elapsum imperii tempus foret, privatum in urbem redire cogeret. Hoc ut facilius adsequeretur, C. Marcellum, fratrem patruelem Marci, qui simultatem gerebat cum Caesare, consulem fecit: Cajumque Curionem, in locum Servii, qui damnatus post designationem fuerat, petentem, ut tribunus plebis crearetur, adjuvit. Plurimum enim praesidii in eo ponebat, si adolescens nobilis, disertus, audax, inimicissimus Caesari, tribunitia potestate armaretur.

Curio tribunus plebis designatur.

XXXIII. Inter haec crebro relatum de Galliis et graviter actum fuerat. ante diem undecimum Kalendas Sextiles, quum senatus ad Apollinis haberetur, essetque mentio facta de legione, quam Caesari Pompejus expensam ferebat, itemque de successione C. Caesaris, Pompejus respondit, abducturum sese legionem eam: de provinciis placuit, ut quamprimum ad urbem Pompejus reverteretur, (Ariminum profecturus ad exercitum erat) eoque praesente de successione provinciarum ageretur. Intervenit deinde ju-

Cap. XXXI. Strabo, l. 5. p. 213. Sueton. Appian. Plut. Caes. Cap. XXXII. Sueton. et Dio. Dio. Appian. Dio. Appian. Sueton. Caes. c. 29. Dio. Cic. ad Fam. 8, 4. Cap. XXXIII. Vell. 2, 48. Dio. Appian. Cic. ad Fam. 8, 8. Id. ibid. 4. Plut. Pomp. et Caes.

dicium C. Marcelli consulis designati, quem M. Calidius postulaverat, competitor ejus, sed repulsam passus, et insuper accusatus a duobus Galliis. U. c. 701. A. C. 51.

XXXIV. Tandem, adsentiente Pompejo, ante diem pridie Kalendas Octobres senatusconsulta sunt in haec verba perscripta: *Quod M. Marcellus consul verba fecit de provinciis consularibus, de ea re ita censuerunt, uti L. Paullus, C. Marcellus consules, quum magistratum iniissent, de consularibus provinciis ad senatum referrent: neve quid prius ex Kalendis Martiis, neve quid conjunctim de ea re referretur a consulibus: utique ejus rei caussa per dies comitiales senatum haberent, senatusque consultum facerent: et, quum ea de re ad senatum referretur a consulibus, equitum Romanorum, qui in trecentis judicibus essent, sex adducere liceret. Si quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset, uti Ser. Sulpicius, M. Marcellus consules, praetores, tribunique plebis, quibus eorum videretur, ad populum plebemve ferrent: quod ii non tulissent, uti, quicunque deinceps essent, ferrent.* *Senatusconsultum de provinciis.*

XXXV. Adscriptum erat, *senatum existimare, neminem eorum, qui potestatem habeat intercedendi, impediendi, moram adferre oportere, quo minus de republica quamprimum ad senatum referri, senatusque consultum fieri possit. qui impedierit, eum senatum existimare contra rempublicam fecisse. si quis huic senatusconsulto intercesserit, senatui placere, auctoritatem perscribi, et de ea re ad senatum populumque referri.* Huic senatusconsulto intercessit C. Coelius, L. Vinicius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa, tribuni plebis. Item: *Senatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Caesaris sunt, qui eorum stipendia emerita aut caussas, quibus de caussis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, caussaeque cognoscantur.* *Tribuni quidam intercedunt.*

XXXVI. Itemque, *Senatui placere in Ciliciam provinciam, et in octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore obtinerent, eos qui praetores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex senatusconsulto cum imperio in provincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere. si ex eo numero, quos ex senatusconsulto in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur; tum uti quodque collegium primum praetorum esset, tum deinceps proximi cujusque collegii, qui praetores fuissent, neque in provincias profecti* *Senatusconsultum de praetoriis provinciis.*

Cap. XXXIII. Cic. ad Fam. 8, 4. Id. ibid. 9. et 4. Id. ibid. 8.

U. c. 701. A. C. 51. *essent, in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.* His etiam senatusconsultis quum intercessum a C. Coelio, C. Pansa tribunis esset, auctoritates perscriptae sunt. Attamen hoc postremum senatusconsultum lege Pompeja nitebatur: qua etiam eodem anno duo consulares, M. Cicero in Ciliciam, M. Bibulus in Syriam cum imperio missi fuerant.

Parthi in Syriam redeunt.

XXXVII. Sed ante Bibulum in provinciam Parthi venerunt. Submoti superiore anno a C. Cassio cum justo exercitu reverterant, Pacoro ducente, regis Orodis filio, ut nomen ducis hic haberet; ceterum Osaces, adolescentulo custos additus, administraret bellum. Hi, quum, omnibus in itinere redactis in potestatem, Antiochiam venissent, oppugnare urbem coeperunt, magna cum spe, ultro suas ad partes accessuram Syriam, pertaesam Romani imperii, et, quemadmodum locis, ita moribus Partho propiorem. Sed adversus homines, oppugnandis urbibus ineptissimos, facile defensa Antiochia est.

Ciceronis gesta.

XXXVIII. Et animos Cassio, timorem Parthis M. Cicero addiderat, qui, in Amano, quo monte Cilices a Syris discriminantur, re bene gesta, Imperator appellatus, transiturus in Syriam credebatur: praesertim quod magnus equitum Parthorum numerus, quam in Ciliciam irrupisset, ab equitibus Ciceronis et cohorte praetoria, quam Epiphaneae praesidii caussa collocaverat, erat concisus. Ducebat autem Cicero exercitum non poenitendum, peditum duodecim millia, duo millia sexcentos equites. Praeterea firma habebat et prompta sociorum auxilia, quos lenitate imperii amiciores, quam fuissent, populo Romano effecerat. Etiam Ariobarzanem, Cappadociae regem, praesentibus insidiis liberaverat: Dejotarum autem ita habebat amicum, ut, relicto regno, cum omnibus copiis ad eum proficisceretur. Habebat autem is peditum millia duodecim, Romano armatu, equitum millia duo.

Cap. XXXVI. Pigh. Annal. Cap. XXXVII. Dio. Oros. 6, 13. Strabo, l. 16. p. 748. Oros. Dio. Cap. XXXVIII. Cic. ad Att. 5, 18. 20. 21. et ad Fam. 2, 10. et 15, 1. 2. 3. 4. Plut. Cic. Plut. Cic. Plut. Cic. Hirt. de B. Alex.

XXXIX. Rejecti ab Antiochia Parthi Antigoniam petierunt, quam haud procul inde Philippi filius Antigonus condiderat. Suburbium erat ibi frequentibus arboribus consitum. Id Parthi metu insidiarum ingredi non ausi, succidendis arboribus aperire locum instituerunt. sed, ubi homines huic labori non adsuetos etiam Cassius assidue carpebat, relicta et hac obsidione discesserunt. U. c. 701. A. C. 51. *Parthi ab Antiochia rejecti.*

XL. Cassius, itinere hostium mature cognito, quum per confragosa loca transeundum Parthis esset, omni peditatu in insidiis locato, cum equitibus, quorum habebat haud magnas copias, se ostendit. Celeriter contemptu paucitatis ad pugnam, deinde ad insequendum refugientem moti hostes, priusquam animadvertere, quo progrederentur, spes et cupiditas sineret, locis iniquis a peditatu circumventi sunt. Illa clades (nam et magna pars exercitus ceciderat, et ipse dux Osaces paucis post diebus interierat ex vulnere) expulit Pacorum Syria; diuque post a Parthorum armis quietam provinciam praestitit. *A Cassio vincuntur.*

XLI. Interim M. Bibulus, quem aliquamdiu in obsidione Parthi habuerant, Antiochiam venit. Atque is quidem, quamdiu cis Euphratem fuit hostis, pedem porta non extulit. neque tamen, legatis et amicis ac quaestore suo Ciceronem ad subsidium vocantibus, ea de re literas scribere voluit; omnia perpeti malle, quam videri auxilio Ciceronis eguisse, prae se ferens. *M. Bibuli gesta.*

XLII. Atque hoc ut malevoli animi, sic, quod sequitur, constantissimi moderatissimique specimen fuit. Duos simul egregiae indolis filios amiserat, occisos a quibusdam eorum equitum, qui cum A. Gabinio Ptolemaeum in regnum reduxerant, deinde consederant Alexandriae. Id ille infortunium ingenti animo tulit. Quippe, nunciata morte filiorum, postridie processit ad solita munia: posteaque remissos ad se interfecto- *Et constantia in morte filiorum.*

Cap. XXXIX. Dio. Stephan. Strabo, l. 16. p. 750. Dio. Cap. XL. Frontin. Strat. 2, 5. 35. et Dio. Cic. ad Att. 5, 20. Dio. Cap. XLI. Caes. de B. Civil. l. 3. Cic. ad Att. 6, 8. et 7, 2. Cic. ad Fam. 2, 17. Cap. XLII. Caes. de B. Civil. l. 3. Val. Max. 4, 1. Senec. Consol. ad Marc. c. 14.

U. c. 701. A. C. 51. res a Cleopatra, quae parenti recens defuncto successerat, *intactos reduci* jussit *ad reginam*; addito, *potestatem hujus vindictae non suam, sed senatus, esse debere.* Is igitur Bibulus, quum Antiochiam venisset, accepto exercitu, in Amano monte, qui plenus erat hostium sempiternorum, materiem triumphi coepit quaerere. Sed contra, quam speraverat, res cecidit; amissa cohorte praetoria, et Asinio Dentone, qui primi pili centurio fuerat.

Cicero vexat Amanienses. XLIII. Felicior in eodem monte Ciceronis expeditio fuit: nam communem ille cum Bibulo Amanum habebat, aquarum divortiis dividentibus provincias. Magna ille multitudine hostium occisa, Fugeranam, quod erat Amani caput, praeterea Sepyram, et Ceminorim, cum aliis aliquot castellis cepit. Hinc ad oppidum Eleutherocilicum Pindenissum admoto exercitu, locum munitissimum aggeribus, vineis, turribus oppugnavit, vallo et fossa cinxit, magnoque labore post septimum atque quinquagesimum diem in potestatem redegit. Inde Tibarenos petiit, qui, finitimi Pindenissensibus, similiter receperant fugitivos, Parthorumque adventum exspectabant. Sed hi obsides dare, quam bellum pati, maluerunt. His rebus gestis, per loca dubia aut recens pacata M. Cicero exercitum distribuit, Quintumque fratrem praefecit hibernis: ipse ad conventus agendos in provinciam profectus est.

Ciliciae res inquietae. XLIV. Jam erant ad urbem imperatores duo, qui ex eadem Cilicia triumphare cuperent: Ap. Claudius, cui Cicero successerat, et P. Lentulus, qui provinciam ante Claudium obtinuerat. A multis enim annis inquietae ibi res fuerant vicinitate Parthorum, et ferocibus Cilicum accolarumque ingeniis. Et Lentulus, rebus bene gestis, quum ante biennium decessisset, his consulibus triumphavit. Sed Appius, majestatis reus a P. Dolabella factus, abjecta postulatione triumphi, urbem ingressus est. Caussam pro eo dixerunt M.

Cap. XLII. Val. Max. Cic. ad Fam. 8, 4. Val. Max. Cic. ad Att. 5, 20. Cic. ad Fam. 2, 10. Cap. XLIII. Cic. ad Att. Cic. ad Fam. 2, 10. et 15, 4. Cic. ad Att. 5, 21. Cap. XLIV. Sigon. in Fast. Capit. et Pigh. Annal. Cic. ad Att. 5, 21. Cic. ad Fam. 8, 6.

Brutus Appii gener, et Q. Hortensius, ille adolescens, hic quarto et sexagesimo aetatis anno, paucis ante mortem diebus. Nec illo solum judicio, sed etiam ambitus postea absolutus, censuram petiit, censorque designatus est. U. c. 701. A. C. 51.

Cap. XLIV. Cic. Bruto, c. 94. Cic. ad Fam. 8, 10. 11. 12.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.